WILLUGHBEII.

HISTORIA
PISCIUM

1686

56318/D/2

Francisci Willoughby
Icthyographia
ad
Amplißimum Virum
Dnum Samuelem Pepys,
Præsidem Soc: Reg: Londinensis,
Concilium,
et
Socios ejusdem.
Figuræ Novæ, quæ non paucæ sunt, ┼ notantur.
Sumptibus
Societatis Regalis
Londinensis
1685.

FRANCISCI WILLUGHBEII Armig.

DE

HISTORIA PISCIUM

LIBRI QUATUOR,

Juſſu & Sumptibus Societatis Regiæ Londinensis editi.

In quibus non tantum *De Piſcibus* in genere agitur, Sed & ſpecies omnes, tum ab aliis traditæ, tum novæ & nondum editæ bene multæ, naturæ ductum ſervante Methodo diſpoſitæ, accurate deſcribuntur.

Earumque effigies, quotquot haberi potuere, vel ad vivum delineatæ, vel ad optima exemplaria impreſſa; Artifici manu elegantiſſime in æs inciſæ, ad deſcriptiones illuſtrandas exhibentur. Cum Appendice Hiſtorias & Obſervationes in ſupplementum Operis collatas complectente.

Totum Opus

Recognovit, Coaptavit, Supplevit,
Librum etiam primum & ſecundum integros adjecit
JOHANNES RAIUS e Societate Regia.



OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO, *Anno Dom.* 1686.

HT—

75738

Soth 3-4 NW 1924
in lot 43

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Amplissimo viro

D. SAMUELI PEPYS

Celeberrimæ *Societatis* REGIÆ *Londinensis*

Ad promovendam naturalem ſcientiam inſtitutæ

Præſidi meritiſſimo.

Necnon ejuſdem Societatis Concilio

Reliquiſque Sociis opus hoc poſthumum

D. FRANCISCI WILLUGHBEIJ Armigeri

De Hiſtoria Piſcium,

Quod jamdiu cum blattis & tineis rixans

In ſcriniis noſtris delituit,

Nunc vero eorum auſpiciis & munificentia

Elegantiſſimis Iconibus condecoratum

Adeoque ſuum factum

Lucem tandem publicam viſurum prodit,

Humillime dedicat & inſcribit

Devotiſſimus eorundem Cliens

Cujus in eo contexendo, elimando, ſupplendo

Aliquæ partes fuere

Quique in tam Illuſtri Cœtu infimum locum

Occupare Honori ſibi ducit.

Johannes Raius.

PRÆFATIO
AD
Lectorem.

QVis hujus *Historiæ Author fuerit, quæque eum rationes ad studia sua huc convertenda impulerint, siquis scire desiderat, Præfationem* Ornithologiæ *non ita pridem (Anno 1676.)* Londini *editæ, quæ & ejusdem Autoris fuit & eisdem de causis suscepta, consulat: ibidem enim de utrisque tum Authore tum causis operis diximus, quantum Lectori non nimis curioso satisfacere posse arbitramur. Unicum tantum de Autore monendum habeo, nimirum illum paternum suum genus ad prænobilem & antiquissimam familiam* Willoughbeiorum *de* Eresby, *in Comitatu* Lincolniæ, *referre, cum ipsius Avus* D. Percivallus Willoughby *ab eadem illustri stirpe oriundus fuerit: Avia tantum à* Willughbeijs *de* Willughby, *in agro* Notinghamiæ, *originem duxit, quorum etiam ob defectum masculæ prolis hæres extitit.*

Præterea cum & reliqua quæ de opere illo præfati sumus, huic, non inepte mutatis nominibus, accommodari possint, nec alia cognitu necessaria præmittenda habeamus quæ nos spectant; ut labori nostro parceremus, Lectorem eo remittendum duximus, cum illi ea inde petere quam nobis huc transcribere facilius sit.

Superest tantum ut quibus in rebus hoc opus illi excellat paucis exponamus. Ea sunt vel Iconum multitudo, elegantia & veritas, seu cum Archetypis piscibusve ipsis conformitas, vel Virorum eruditissimorum ad Historiam ipsam symbolæ, seu Observationes & descriptiones Piscium nondum editorum collatæ.

Quoniam autem, non dico ingenuum, sed justum est, ut suum cuique tribuatur, oportet omnino ut eorum, qui hæc ei πλεονεκτήματα *contulerunt, & aliorum etiam quorumcunque, qui in eo perficiendo edendove quoquo modo adjumento fuere, honorifica nobis in hac Præfatione mentio fiat.*

Reverendissimus in Christo Pater D. Johannes Fell *Episcopus Oxoniensis, cujus & favore editio promota, & typis opus impressum.*

Amplissimus Vir D. Samuel Pepys, Societatis Regiæ *Præses, ingenuarum Artium & Eruditorum fautor & Patronus eximius, qui Operi illustrando exornandoque Icones plurimas ad Tabulas usque Sexaginta, privatis impensis & proprio ære sculptas, raro magnificentiæ exemplo, largitus est.*

Sculpturarum pulchritudinem, & piscium Vivorum æmula lineamenta D. Martini Lister *M. D. Viri ad promovendum Societatis Regiæ institutum nati, singulari naturæ arcana detegendi dote præditi indefessis laboribus in solidum deberi agnoscimus, qui & accuratum exemplarium, quæ Chalcographis imitanda & exprimenda proponeret, delectum habuit, & operis dirigendis, earumque lapsibus & erratis corrigendis assidue invigilavit. Præterea idem eruditissimus Vir tum* Orbes *dictos nova methodo disposuit, tum aliorum multorum piscium quos Observavit, seu recens captos, seu in Curiosorum* Museis *asservatos, descriptiones & historias adjecit.*

Huic proximus, ingenio & eruditione præstans, morumque suavitate admodum affabilis D. Tancredus Robinson *M. D. qui & Manuscriptum à me primo efflagitavit, & quæcunque in eo desiderari solicite circumspiciendo animadvertit, ea omnia undique conquisivit, & locos non paucos supplevit*

plevit vel generalibus observationibus, vel omissis speciebus; partim etiam e privato suo penu subministravit: Adeo ut hujus præcipue mira industria effectum sit, ut opus hoc multo auctius prodeat; passim enim per totum librum quamplurima inseruit.

Post hos D. Radulphus Johnson *de* Brignal *prope fluvium* Tesam *& pontem* Gretæ *in confiniis Eboracensis Provinciæ & Episcopatus Dunelmensis, Zoologiæ & totius Naturalis Historiæ peritissimus,* Ichthyologiæ *nostræ plurimum contribuit.*

Nam observationes multas de piscibus, Salmonibus præcipue & Truttaceo genere, nonnullas etiam effigies novorum piscium ad vivum delineatas, eorumque descriptiones & historiæ amice communicavit.

Nec reticenda liberalitas generosissimi Viri D. W. C. Medii Templi *Londini Armigeri, qui & varias piscium ad vivum depictorum imagines, & pisces rariores exsiccatos operi consummando impertivit.*

At neque D. Jacobus Frasier, *qui & ipse variorum piscium Indicorum picturas perquam elegantes coloribus suis ad vivum expressas æri incidendas benevole commodavit.*

D. Franciscus Aston *Societatis Regiæ Ornatissimus Secretarius,* Johannis Nieuhoff *historias piscium Indiæ Orientalis* Belgice *conscriptas in nostram gratiam* Anglice *vertit, quo & eas intelligere possemus, & de figuris sculptis melius judicare: quin & literis plurimis huc illuc scriptis editionem promovit.*

Ingeniosissimus D. Fredericus Slare *M. D.* Leonardi Baltneri *Piscatoris Argentinensis Manuscriptum de piscibus Rhenanis, aliisque prope urbem eam captis, e Germanico Idiomate in Anglicum sermonem transtulit, quo nos, eo intellecto, & de Iconibus dubiis certiores redderemur, & inde excerpere possemus quæ in rem nostram essent.*

Clarissimus D. Edvardus Tyson *M. D. Insignis Anatomicus, Galei lævis accuratam Anatomen, aliasque observationes curiosas contribuit.*

D. Philippus Skippon *Eques Auratus Harengos sale condiendi & fumo indurandi modum a se observatum & descriptum transmisit, &* Reutell *seu* Rotele *Piscis e Truttaceo genere imaginem pictam.*

D. Petrus Dent *Medicus & Pharmacopæus* Cantabrigiensis *Observationes nonnullas de Piscibus Cartilagineis planis, præcipue de utero & Ovis Raiarum, & elegantes tum ipsorum piscium, tum partium eorundem internarum delineationes communicavit.*

D. Samuelis Langley *Tamworthensis Ecclesiæ Rectoris dignissimi sunt, quæ de* Sprattis *dictis pisciculis in Lacu* Rosternensi *captis habemus.*

Denique Societatis Regiæ Londinensis *Museum instructissimum multos pisces exsiccatos, oppido raros, nec a quoquam hactenus, quod scimus, evulgatos, suppeditavit.*

Jam vero cum humanum sit errare, ego autem homo sim, nec humani quicquam à me alienum putem, minime dubito quin & opus hoc sua habeat σφάλματα, *suosque nævos & errores, quos siquando vel ipse detegam, vel ab aliis admonitus discam, ne pudor noster Lectori fraudi sit, prout occasio dabitur, agnoscere & emendare non gravabor, quod & nunc facio de erratis Ornithologiæ a me observatis, ex quo librum illum edidi, quæ Lectorem benevolum & nobis condonare & sibi emendare obtestor in hunc modum.*

1. *Toucan avis, Pica* Brasilica *falso dicta, ad Picorum genus quo proprie pertinet, ut ex digitorum in pedibus situ & conformatione liquet, transferatur.*

2. *Perdicem ruffam majorem seu Græcam* Bellonii, *cum Perdice ruffa majore seu Coturnice Italorum specie convenire existimo, collatis diligenter utriusque descriptionibus & historiis.*

AD LECTOREM.

3. *Fringilla ſpuria cum calcaribus Alaudæ pro diſtincta ſpecie ab Ave præcedente, ſeu Montifringilla majore, per oblivionem & inadvertentiam ponitur.*

4. *Larus maximus noſter* pag. 261. *deſcriptus non eſt Skua Hoieri, at conjectabamur: cum Skua eadem ſit Catarracti nobis* pag. 265. *deſcripto, nullis reclamantibus notis.*

5. *Anas fera capite ſubruffo minor* pag. 282. *deſcripta, non eſt ſpecies a Clangula* Geſneri *ſeu Chryſophthalmo anate diverſa, ſed ejuſdem fœmina, ut ab Aucupibus edocti ſumus. Suſpicor etiam* Anatem feram capite ſubruffo majorem *ibidem pro diſtincta ſpecie exhibitam, non aliam fuiſſe quam Clangulam marem juvenem, qui nondum pennas mutaverat.*

6. *Anas fera fuſca* &

7. Havelda Wormii *male inter Anates fluviatiles diſponuntur, cum ad marinum genus pertineant.*

8. *Phaſcas fortaſſe* Geſnero *perperam pro diſtincta ſpecie ponitur, cum non alia avis ſit quam Penelope fœmina.*

9. *Stellam avem* Aldrovandi *ab Otide ſeu Tarda ave ſpecie diſtinctam eſſe, mutata ſententia, agnoſco, ideoque me immerito* Aldrovandum *reprehendiſſe, quod Tardam avem* Italiæ *peregrinam affirmaverat. Exiſtimo tamen* Stellam Aldrovandi *Anati campeſtri* Bellonii *eandem avem eſſe.*

10. *Inter Aves poſtico digito carentes, pagina* 3 *enumeratas,* Morinellus *omittitur.*

11. *Quod diximus de ſitu Appendicum inteſtinorum in Avibus contrario cæcis Animalium Quadrupedum* αὐτοψία *falſi convincit: ſiquidem non deſcendunt a ventriculo deorſum verſus, ſed ab inteſtino recto ſurſum aſcendunt, ſuntque nihil aliud quam rami inteſtini recti ſurſum producti, quemadmodum in Quadrupedibus inteſtinum cæcum eſt colon productum, ſeu continuatum.*

JOHANNES RAIUS.

ERRORES TYPOGRAPHICI.

PAg. 1. l. pen. Squamis. p. 2. l. antep. (qui lenticularis. p. 2. l. pen. penicillos. p. 10. l. 19. inter. p 13. l. ult. infimo. p. 14. l. 46. teſtudines. p. 15. l. 36. ut vel & 52. motui. p. 16. l. 3. habeant. p. 16. l. 7. natatui & l. 21. foeminis. p. 17. l. 19. indagator. p. 17. l. 5. foecunda. p. 20. l. 25. tolerant. p. 21. l. 2. pro vadiis leg. radiis. p. 25. l. 6. quodnam. p. 28. l. 30. odorandum. p. 29. l. antep. longam. p. 32. l. 11. quodam. & 19. anum. p. 33. l. 27. cauſa. p. 35. l. 7. perfectior. p. 36. l. 8. nitatur. p. 38. l. 17. palato. & l. 19. apparitores. p. 39. l. 43. conſpectum. p. 40. l. 42. politiſſima. p. 41. l. 4. magnitudinis. p. 41. l. 13. eſſe putat. p. 42. l. 46. Charybdes. p. 42. l. ult. Groenlandiam. p. 43. l. 18. balænæ. p. 45. l. 16. obtinent. p. 51. l. 14. tamen. p. 58. l. 14. pene. & l. 30. navarunt. p. 61. l. 1. Galei. p. 63. l. 12. cartilagines. p. 63. l. 40. Rondeletius ſic. p. 65. l. 33. gravem. p. 65. l. 32. offibus. p. 70. l. 12. genus. p. 75. l. 3. rictus. p. 77. l. 19. nimirum. p. 80. l. 18. l. plures. p. 82. l. 23. alibi. p. 83. l. 52. flaccidum. p. 85. l. 15. ut. p. 86. l. 20. intertextos. p. 95. l. 21. branchiis. p. 96. l. 16. cum Rhombo. p. 99. l. 30. pulmonum Ranarum. p. 101. l. 17. margines. p. 103. l. 19. porrecto. p. 104. l. pen. autem. p. 105. l. 1. cæterum & l. 31. excrementitia. p. 111. l. 35. propagari. p. 121. l. 37. aerea. p. 124. l. 10. &. p. 132. l. pen. colore. p. 133. l. 8. Exocoetus. p. 133. l. antep. radii. p. 135. l. 1. Exocoetus. p. 136. l. 20. membranas. p. 139. l. 23. illam. p. 153. l. 18. *dele* com. p. 154. l. 25. cærulei. p. 157. l. antep. inciſuras. p. 158. l. 22. tantum. p. 159. l. 13. cælato. p. 160. l. 35. *dele* totius. p. 160. l. pen. pinnam. p. 162. l. 45. coeperint. p. 166. l. 9. natatoria. p. 176. l. 36. novem. p. 176. l. 39. branchias. p. 186. l. 37. Ferram. p. 190. l. 10. foeturam. p. 193. l. 14. tranſiliat. p. 200. l. 8. maculis. p. 201. l. 9. capiuntur. p. 206. l. 27. membranula. p. 208. l. 11. Ariſtoteles. p. 218. l. 13. uncias. p. 214 l. 9. Hiſpaniam. p. 221. l. 41. diligenter. p. 223. l. 49. adeoque. p. 226. l. 2. citandum. p. 228. l. 43. caſtigato. p. 232. l. 28. rarus. p. 233. l. 13. parua eſt. p. 234. l. 3. penè. p. 236. l. 17. viridi. p. 241. l. 24. ὀξύῤῥυγχος. p. 241. l. 29. acumine. p. 242. l. 13. ſemper. p. 246. l. 9. nonnihil. p. 247. l. 2. vocatur. p. 261. l. 11. capiuntur. p. 266. l. 28. dorſum. p. 293. l. 17. ſubnexæ. p. 298. l. pen. pinnæ omnes. p. 310. l. ult. inſignes. p. 325. l. 10. cauda. p. 334. l. antep. tamen.

LIBER PRIMUS.

DE

PISCIBUS

IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

Quid Piscis nomine intelligimus.

NON ſum neſcius *Piſcis* nomen à nonnullis quam latiſſime extendi ad *Aquatilia* omnia ſignificanda tam ſanguinea, quam exanguia majora, quæ *Ariſtoteles* in tria genera dividit, nimirum μαλάκια ſeu *mollia*, μαλακόστρακα ſeu *cruſtacea*, & ὀστρακόδερμα ſeu *teſtacea*. Quin & vulgus noſtrum hæc omnia pro piſcibus habet. Verum nos in hoc opere reſtrictiore acceptione voce *piſcis* utemur, pro iis tantum aquatilibus, quæ & ſanguinea ſunt, & pinnis natant, & pedibus carent, & in aquis perpetuo degunt, ibidemque pariunt, nec unquam ſponte in ſiccum exeunt, aut extra aquas diu vivere poſſunt.

Quod ad *cetaceum* genus ſeu *belluas marinas* dictas attinet, quamvis pulmonibus reſpirent, & quadrupedum more coeant, & vivos fœtus pariant, partiumque omnium internarum ſtructura & conſtitutione cum Quadrupedibus viviparis conveniant; quia tamen figura corporis externa piſces omnino referunt, cute glabra & depili à Quadrupedibus viviparis differunt, pedibus inſuper carent, à quibus præcipue Animalium diſtinctio peti ſolet, pinnis denique natant, nec in ſiccum exeunt, eas pro piſcibus habendas putamus.

Animalia amphibia vivipara & piloſa, rectius me judice ad Quadrupeda vivipara referuntur: ovipara autem [ſanguinea intellige] ſeu glabra, ſeu ſquammoſa, cruſtaceave, ad Quadrupeda ovipara ſeu Serpentinum genus.

Eſt ergo, nobis definientibus, Piſcis *Animal aquatile, pedibus carens, vel ſquammis vel cute nuda contectum, pinnis natans, in aquis perpetuo degens, nec ſponte unquam in ſiccum exiens.*

A Unde

Unde Hippopotamus, Crocodilus, Phocæ, (*Seals, Morses*) Manati, cæteraque amphibia, vel è quadrupedum, vel serpentum genere, hujus loci non sunt.

CAP. II.

De partibus Piscium externis.

NOS in hoc opere neque de partibus Piscium omnibus agemus, neque exactam cujusvis descriptionem proponemus; sed vel generales tantum observationes de partibus Piscium propriis; vel insignes quasdam notas quibus differunt inter se partes communes Piscibus & aliis animalibus.

Os. Est in Piscium *ore* (ut vere observavit *Rondeletius*) peculiare quiddam quod in nullo alio animantium genere invenire licet, videlicet quod os quidam protrudant retrahantque, non aliter quam homines labra extendunt & retrahunt, atque id in lævibus tantum & squammosis reperire est, hanc arbitror ob causam, ut pisces quos insectantur, aliamve prædam facilius corripiant.

Dentes. Pisces plerique *dentes* habent, quo cum quadrupedibus potius quam cum avibus conveniunt, nonnulli tamen plane edentuli sunt, ut v. g. *Sturio, Mugil*, &c. *Rondeletius* eos qui sola aqua limoque degunt, dentes nullos habere ait. Quod quidem verisimile est: nam cum dentes Piscibus ad escam apprehendendam dati sint, iis qui sola aqua degunt quis dentium usus esset? E dentatis alii dentes in maxillis, palato, lingua obtinent, alii in imo ore tantum prope ventriculi orificium, cujusmodi sunt *Cyprinus*, *Tinca*, *Capito*, *Barbus*, *Leuciscus*, aliique multi fluviatiles.

Dentes, inquit *Rondeletius*, lib. 3. Cap. 8. plerisque Piscibus neque ut mandant, neque ut se tueantur dati sunt, sed potius ut cibos apprehendant & retineant, cujus rei causa in os recurvos habent; ut *Plinius* lib. 11. cap. 7. *Dentes*, inquit, *habent in os vergentes, ne excidant cibi nullum habentibus retinendi adminiculum.* Plerisque, inquam, non tamen omnibus, nam *Scarus*, *Aurata*, aliique ejus generis, maxillas intus latiores habent, tuberculaque ossea, quibus cibos comminuere creduntur, unde & *Scarus* ruminare dicitur. Vide plura apud *Rondeletium* lib. 3. cap. 7.

Piscibus plerisque, non tamen omnibus, dentes serrati sunt, nam *Scarus*, *Aurata*, *Sparus*, *Orbis*, *Mola*, *Capriscus*, aliique multi latos habent; nonnulli etiam Saxatiles anteriores humanis incisoribus similes, ut in singulorum historiis videre est. *Rondel.*

Piscibus nonnullis dentes mobiles sunt, ut alterni in *Lucio*.

Labia. *Labiis* permulti pisces carent, nonnulli habent, ut Saxatiles qui musco pascuntur, labrisque tanquam manibus cibos apprehendunt. *Rondel.* lib. 3. cap. 8.

Oculi. *Oculi* Piscibus depressiores sunt seu planiores quam Quadrupedibus, humor tamen crystallinus rotundior videtur, vel scil. exacte sphæricus, vel ad figuram sphæricam propius accedens. Quamvis ergo exterior oculi superficies, cum figuræ sit admodum depressæ & prope planæ, radios visibiles parum refringat, ac proinde punctum concursus eorundem longius à superficie illa distet oportet. Humor tamen crystallinus, cum sphæricus sit, adeoque gibbosior quam Animalium quadrupedum crystallini, qui (lenticularis sunt plerunque figuræ, eorumque utraque superficies sphæræ majoris portio) contrahit penicellos opticos, & ob majorem refractionem punctum concursus radiorum oculi superficiei propius

pius admovet, adeoque compensat utrinque compressam oculi totius figuram. Humor autem crystallinus à coctione in durum, album & opacum corpus densatur.

Pisces omnes *Palpebris* carent; quod (ut vult *Rondeletius*) commode nictare in aqua non possunt. Nec tamen si id possent, piscibus necessariæ videntur. Cum enim palpebræ inserviant vel 1. oculis detergendis & humectandis, vel 2. iisdem protegendis, & ab injuriis externis, plagis v. g. ictibus, animalculorum incursibus &c. defendendis, vel 3. lumini externo moderando, ne magis copiosum aut vehemens oculis occurrat quam visui conveniat, vel denique 4. eidem penitus excludendo somni & quietis causa; palpebræ ad hos usus piscibus non adeo necessariæ sunt. Nam 1. Oculis purgandis & humectandis aqua semper contigua abunde sufficit. 2. A plagis per vim incussis, aut Animalculorum incursu non est metus, cum aqua ob crassitiem suam motuum externorum impetum refringat admodum & obtundat. Festucæ autem & pulvisculi in oculos incidere non possunt, cum nullum sit cavum quo recipiantur, inter palpebras quas nullas habent, & oculi bulbum, aut si incidant, aquæ occursu, cum pisces eam tranant, facile eluuntur. 3. Ne oculi à lumine nimis vehementi lædantur periculum non est, cum aqua medium, ut vocant, densius sit quam aer, minusque diaphanum, nec radios luminis adeo prompte transmittat, sed eorum magnam partem reflectat. 4. Denique non est cur somni causa lumen excludatur, cum an pisces omnino dormiant necne, quæstio sit. Quamvis autem pisces palpebris careant, eorum tamen magna pars, præter tunicas proprias cute diaphana communi ceu velo quodam oculos obductos habent. *Palpebris carent.*

Oculi piscibus, observante *Rondeletio*, duriores facti sunt, ne facile ab aquæ salsedine, quæ arrodit, læderentur. [In causa assignanda non videtur scopum attingere.]

Pisces omnes præter cetaceos, & forte etiam cartilagineos *auriculis* externis & meatibus auditoriis carent; unde non solum muti esse videntur, sed etiam surdi. Verum de auditu piscium postea agemus, & pisces omnes audire demonstrabimus, quamvis quo organo audiant nondum sit compertum. *Auditus.*

Pisces omnes *collo* carere *Aristoteles* jampridem observavit. Collum enim ad cibum capessendum animalibus terrestribus utile quidem est & fere necessarium, piscibus non item. Terrestria scil. animalia, tam volatilia, quam Quadrupeda, pedibus instructa sunt, quibus insistant dum in terra quiescunt, vel corpora sua de loco in locum transferant, cibi quærendi causa, & ad alios vitæ usus adeoque corporis truncus à superficie terræ, in qua gradiuntur, aliquantulum elevatus sit necesse est, unde nec cibum commode colligere, potumve haurire possent si collo carerent: ideoque colli in plerisque longitudo cruribus commensuratur, ut quibus crura longa sint, iis etiam colla longa, & è contra quibus crura brevia, colla quoque brevia, ut in *Lacertis* & *Crocodilo* apparet. *Elephanto* quidem procero animali collum admodum breve est, verum ad ejus defectum supplendum à natura ei concessa est proboscis oblonga, qua cibum capescit, & ori admovet. Nonnullæ etiam aves, vice versa, colla prælonga habent, crura brevia, ut *Cygnus*, *anser*, aliæque aquaticæ palmipedes; cujus ratio est, ut dum in aquæ superficie natant capite in profundum demisso, *Algam* aliasque herbas aquaticas in fundis lacuum, fluminum & stagnorum nascentes, & *cochleas* ibidem stabulantes eruant extrahantque: ideoque nonnulli hoc genus Avium colla lineæ piscatoriæ haud inepte compararunt. Pisces vero, cum pedibus omnino destituantur, collo quoque carere absque ullo incommodo possunt. Nam levi & expedito corporis motu cibum ubicunque situm facile sequi, eique os suum admovere possunt. Hinc aves quoque quæ continue fere volant, Hirundines v. g. & siquæ sunt similes, quæ muscis aliisque insectis, *Collum.*

quæ inter volandum capiunt, maximam partem victitant, non crura tantum perbrevia, sed & collum quoque breve obtinent.

Pinna. Piscium *pinnæ*, avium alis quodammodo respondent: nam pisces pinnarum agitatione eodem fere modo aquas tranant, quo aves aerem remigio *alarum*. In piscibus spinosis dictis pinnæ *nervis* cartilagineis, aut aculeis osseis, & membranis intermediis constant, [*nervos* hosce nunc *radios*, nunc *aristas* appellamus] & præterea ad radicem musculis donantur, quibus pro libitu erigi seu extendi & deprimi seu contrahi possunt. *Pinnæ* numero, situ, magnitudine aliisque accidentibus differunt.

Pinnarum numerus. 1. *Numero*; aliis enim *tres* in dorso datæ sunt, ut *Asellis*; aliis *duæ*, ut *Truttis*, *Salmoni*, *Gobiis* aliisque multis; aliis *unica* tantum, ut *Harengo*, *Lucio*, *Cyprino*, *Tincæ* &c. Cui nulla in dorso pinna sit, nondum vidimus; aiunt tamen dari quoddam *ceti* genus, quod pinna dorsali caret. Plerisque piscibus duo pinnarum paria donantur, alterum ad branchias, alterum in ventre vel thorace. [Pinnæ hæ Quadrupedum pedibus respondent, & corpori movendo inserviunt.] Nonnullis unum duntaxat par concessum est, ut v. g. *Anguillæ* & congeneribus, *Orbi*, *Molæ*, *Caprisco*, *Callichthyi*, aliisque inferius recensendis. Qui utroque pari careat præter *Murænam* & *Lampetram* nullum novimus. Paucis quibusdam ut Anguilliformibus pinna dorsi cum cauda continua est cumque pinna retro anum; hoc est, una continua pinna à medio dorso incipiens, & caudam in gyrum cingens, ad anum desinit. Aliis omnibus piscibus pinnæ hæ discretæ sunt. Qui pinna retro anum careat præter cetaceos & cartilagineos nullum piscem novimus.

Pinnarum situs. 2. *Situ* quoque differunt pinnæ; in marinis enim ad partem superiorem seu anteriorem vergunt, iis præcipue qui fundum petunt. *Rondel.* Ego hânc situs diversitatem in pinnis agnosco: ejus tamen rationem nondum assequor; nec tamen in marinis perpetuum est pinnas omnes habere anterius sitas, h. e. posterius par anteriori proximum; nam in *harengis* & congeneribus pinnæ ventrales versus caudam à branchialibus satis remotæ sunt, nec minus in *Salmone*, ut cartilagineos oblongos omittam: nec fluviatilibus omnibus pinnæ ventrales à branchialibus longius remotæ sunt. *Rondeletius* de *Lucio* agens *duas eum pinnas ad branchiarum ima habere* scribit; *qui*, inquit, *pinnarum situs fluviatilibus piscibus communis est, ut facilius in aqua suspendantur & efferantur: contra altius sitæ sunt eædem pinnæ in marinis, quia dulcis aqua tenuior est & liquidior, marina crassior; ob id hæc pondus magis sustinet, illa minus.* Quicquid sit, quin pinnæ superius aut inferius, anterius posteriusve, proxime vel remotius sitæ sint, ad corpus in aqua commodius librandum minime dubito; & plerunque anterius sitæ sunt in iis quæ caput grandius habent.

Usus pinnarum. Quod si quæratur quis præcipuus pinnarum usus sit, respondeo ad corpus in aqua librandum, erectumque tenendum; conducere tamen puto ad idem flectendum & in directum movendum; cum enim pisces leniter natent, pinnis velut remorum palmulis aquam verberando corpus antrorsum promovent. At vero maxima vis motrix caudæ inest, qua excussa incredibili velocitate teli aut sagittæ instar aquas trajiciunt. Nam cum cauda musculi omnium totius corporis crassissimi sint & robustissimi, motibus etiam vehementissimis exercendis à natura destinati videntur. Hinc pisces, cum vel prædam insequentes, vel hostes fugientes, totis viribus connixi quam possunt citissime provolant, caudam quidem subinde agitant, pinnas vero ad corpus adducunt, ne iis inter natandum moræ aut impedimento sint. Hæc me primum *Gassendus* docuit, ad quem idcirco lectorem cui nondum satisfactum est, remitto.

Piscibus quibus cauda est bifurca, pinnæ quoque in acutum tendunt, quod *Bellonius* observavit.

Pinnæ

Pinnæ ad branchias in omnibus piscibus plures radios obtinent quam eæ quæ ventri aut thoraci adnectuntur.

Squamæ. *Squamæ* piscium propriæ sunt, & corpori ab injuriis externis muniendo inserviunt. An quotannis defluant & renoventur more pennarum in avibus & pilorum in Quadrupedibus me nescire fateor; verum perpetuas esse suspicor, quamvis sententiæ meæ confirmandæ idoneas rationes non habeam. Quicquid sit, in longum & latum pro corporis modo excrescunt, & renascuntur denuo, si per vim decutiantur aut extirpentur. Prope caput & in dorso majores sunt quam inferius & in lateribus.

Linea in lateribus. In omnibus piscibus *linea* à supremo branchiarum angulo in utroque latere ad caudam mediam ducta est, quæ in marinis magis ad dorsum vergit, in fluviatilibus magis ad ventrem. Eadem in quibusdam recta plane est, in quibusdam obliqua, *Rondel.* Linea hæc ex punctis componitur, quorum etiam numerum D. *Willughby* in plerisque piscibus inivit. Sita est autem in interstitio musculorum. Cum enim in utrolibet piscium latere duplex sit musculorum ordo, in quos tota caro à capite ad caudam dividitur, linea hæc series hasce discriminat, seu locum indicat earundem concursus, seu commissuræ.

Humor mucosus. Pisces plerique humore quodam mucoso gelatinæ æmulo undique oblinuntur, qui partim corpori lubricando inservit, ut per angustias facilius eluctentur, & apprehendentium manus effugiant: præcipue vero eidem muniendo contra aquam, ne in carnem per cutis poros se insinuet, eamque liquefaciat & corrumpat. Forte etiam omnes cutis meatus undique occludendo impedit ne vitalis corporis calor tenuis ille & debilis, vel evaporet, vel ingressu frigidæ extinguatur. Pisces autem illi qui squamis carent, copiosiore plerunque muco obducuntur. Unde ortum habeat, in capite de *Raia*, ex Cl. viri *Nicolai Stenonis* libro de Anatome *Raiæ* ostendemus.

Anus. Quadrupedibus, avibus, insectis *anus* in extremo corporis trunco est, piscibus sæpe in medio ventre, ut *Asello molli*.

Barbulæ. Multi pisces *barbulis* seu appendicibus circa os donantur, ut *Mullus*, *Barbus*, qui inde nomen obtinuit, *Sturio*, *Mustela*, *Fundulus* &c. Harum usum esse existimat *Rondeletius* in quibusdam, ut pisciculi vermesque alliciantur, in aliis ut arceantur quæ in os incidere possint, ut *Sturioni*.

CAP. III.

Cerebri Piscium anatome, è Cl. Willisii libro de Anatome Cerebri.

DE Piscium cerebro observamus primo quod cum piscium capita respectu totius corporis sint majora quam cujusquam alterius animalis, cerebrum tamen præ cæteris minimum in se continent. Nam duæ moleculæ anterius positæ totum cerebri ita proprie dicti locum sustinent: ex his duo nervi olfactorii insignes procedunt, qui longo & recto itinere ad foramina ex utroque oris latere excavata, quæque instar narium sunt feruntur: atque hoc piscibus singulare est. Porro de nervis opticis advertimus, quod isti uti in cæteris animalibus ad se mutuo inclinati, haud tamen uniuntur, nisi forsan superficie tenus, verum intercussantur, nervusque e dextro medullæ oblongatæ latere oriundus in sinistrum oculum defertur & e contra, ita quidem ut radii visorii non tantum in oculo, verum intra ipsa nervorum corpora refractionem subeant. Medulla oblongata in piscibus simili omnino ritu ac

in avibus duas insignes protuberantias *intus* excavatas *habet, & revera quoad motus locales spiritus in utrisque simili modo exerceri videntur: nam uti pisces natant in æquore, ita avium volatus videtur quoddam natationis genus esse in aere. Porro in his observare est glandulam pituitariam, infundibulum & arterias carotidas, uti in cæteris animalibus; item pleraque nervorum paria easdem origines & distributiones habent, excepto tamen quod nervi auditorii hic desiderantur, licet* Casserius Placentinus *hoc munus nervis olfactoriis attribuat. Cerebri figura eadem est quæ in perfectioribus animalibus. Porro quod de nervorum Pari vago in homine & quadrupedibus advertimus, nempe quod pluribus ejus fibris una oriundis ad eas nervi truncus a spinali medulla accedat, omnino pariter habet in piscibus. Verum singula ulterius describere non est opus: nam cætera cum ea quæ ipsis tantum & avibus propria sunt, tum etiam quæ cum volucrum & perfectiorum quoque animalium genere communiora obtinent, partim ex peculiari cum Avibus similitudine, partim ex universali omnium analogia facile innotescunt.* Hactenus *Willisius.*

Verum quod ait Avium volatus quoddam natationis genus esse videri, mihi non probatur. Perspicuum enim est Aves aerem alis verberando volare. Pisces vero non tam aquas pinnis feriendo natant, quam caudæ inflexæ & extensæ impetu, quamvis pinnas ad motum piscium progressivum conducere, imo in nonnullis præcipue eum efficere, (ut in cetaceo genere) non negaverim.

Cum autem pisces nervis auditoriis careant, eos etiam auditu destitui verisimile est; nec enim *Casserio* hoc munus nervis olfactoriis attribuenti assentire possumus.

Quicquid vero sit de auditu, de quo capite sequenti diligentius inquiremus, Pisces certe memoriam habere certissimum est, ut S. *Augustinus* experientia propria confirmavit. *Nam fons quidam (* inquit, *) magnus Bullensium regionum fere plenus est piscium. Solent autem homines desuper intuentes eis aliquid jacere, quod sibi vel præripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pastu assuefacti deambulantibus super oram fontis hominibus ipsi quoque cum eis congregatim natando eunt & redeunt, expectantes ut inde aliquid jactent quorum præsentiam sentiunt.*

Illa piscium & avium foramina, quæ ad sensum odoratus dantur, paulum oppido inter se differunt; nam illa hic desinunt rotunda quadam cavitate conclusa; hæc vero ultra excurrentia pergunt tendere ad pulmones. *Blasius* è *Schneid.* l. 3. de Cathar. c. 2.

CAP. IV.

De Piscium auditu.

Pisces omnes, cetaceis & forte etiam cartilagineis exceptis, auriculis externis & meatibus auditoriis carent, unde audiant necne ab aliquibus non immerito in dubium vocatur. Quomodo enim audirent, quibus nullus est organorum auditui inservientium apparatus? Deinde cum minime vocales sint (siquidem pulmone & arteria destituantur) nec facultate voces aut sonos percipiendi instructos esse verisimile est.

Verum frustra ratiunculis hoc evincere conantur, cum contrarium, pisces scilicet audire, experientia constet. Primo *Rondeletium* testem fide dignum adducimus, qui de Piscibus lib. 7. cap. 14. in *Alosis* id se expertum affirmat. *Cum enim,* inquit, *in Arverniæ oppido Maringuesio essem, & in*

in fluvii ripa ſæpe animi cauſa deambularem, ad teſtudinis ſonos aloſas *vidimus adnatantes & ſaltantes, id quod noctu manifeſtius apparebat.* Alibi, nimirum lib. 4. cap. 9. de piſcium auditu hæc habet. *Si piſces non audiant, cur poſt tonitrua Aloſas inſalubres dicimus? niſi enim audiant, quo pacto affici ab his poſſunt?* Imo hoc eis potius evenit, quod poſt tonitrua, ob motum & concuſſionem inſolitam aquæ turbentur & ad putredinem diſponantur principiis ſolutis, ut de vino & cerevifia obſervatur. *Cur Sturiones eadem expaveſcant? Quomodo permulti piſces cicures facti adnatant ad nos vocati, niſi audiant? Non abſurdum eſt hic referre quod non mihi ſolum, ſed multis in Gallia notiſſimum eſt. Non procul ab Ambiano in villa quadam D. Antonii trocta nutritur, quæ vocata ad cibum properat, & de manu capit. Glani & Cyprini in vivario ædium nobiliſſimi viri a* Jarnaco *pulſato pariete ad cibum properant, id quod ipſe ſum expertus. Audio in quibuſdam vivariis Germaniæ inferioris tintinnabuli ſonitu piſces ad cibum vocari.* Hactenus *Rondeletius.* Secundo, *Georgius Segerus* in Ephemer. German. Ann. 4 & 5. Obſerv. 145. ſe olim idem obſervaſſe ſcribit. *Cum enim* (inquit) *An.* 1659. *una cum amicis quibuſdam amplum & amœnum Illuſtriſſ. atque Reverendiſſ. Archiepiſcopi* Salisburgenſis *hortum extra* Salisburgam *ſitum contemplaremur, ad piſcinam quandam lapidibus variis in fundo ſtratam deduxit nos hortulanus. Ea limpidiſſima aqua ſtagnans piſcibus quidem expers apparebat: ubi vero proximum tintinnabulum pulſavit ille, ex omnibus angulis & piſcinæ lateribus concurrerunt truttæ in magna copia, quibus cibum ſuppeditavit, quo abſumpto ad latibula redierunt iſtæ. Hortulanus autem non alio quam hoc modo ſe eas ad cibum capiendum convocare ſolere affirmavit. Nos vero cum poſt ſemihoram obambulando ad hanc piſcinam denuo reverteremur, pulſato tintinnabulo truttas copioſe ad locum conſuetum iterum accurrentes jucundo obſervavimus ſpectaculo.* Fieri tamen potuit, ut intra conſpectum piſcium campanæ iſtæ pulſatæ fuerint, adeoque eos non ſonitu audito, ſed motu viſo velut ſigno dato ad pabuli ſpem convolaſſe. Piſces enim eſca in aquas projecta ab hominibus paſci ſoliti, quamprimum quis in ripa apparet, expectatione cibi confeſtim advolant, quamvis nullam omnino vocem emittat. Vide *Auguſtin.* de *Geneſi ad literam* lib. 3. cap. 8.

Quod vero *Rondeletius* eumque ſecutus *Kircherus* foramina ante oculos poſita ad audiendum an ad odorandum data ſunt vix conſtare aiunt, mihi non probatur. Nam primo cum foramina illa narium locum occupent, nec alia præterea adſint odoratus organa; olfactui potius quam auditui inſervire veriſimile eſt. Deinde in cartilagineis piſcibus res eſt manifeſta; nam ad foramina illa nervi olfactorii tendunt, qui in proceſſus mammillares ipſas eorum cavitates internas concamerantes deſinunt. Qua ergo parte audiant, (ſi tamen omnino audiant) nobis certe nondum plane conſtat.

Quod vero piſces obtuſius audiant quam animalia illa quæ in aere reſpirant, libenter conceſſerim: cum aqua, utpote craſſior & minus fluida quam aer, ſonos non ita facile tranſmittat, imo forte ob aerem tantum intra poros ejus latentem ſonituum excipiendorum capax eſt. Deinde piſces diſciplinæ cæterorum animantium more capaces non ſunt, quod argumento eſt eos ſenſu diſciplinæ i. e. auditu, admodum imperfecto donatos eſſe.

Inſuper obſervatu dignum eſt, quibus piſcibus & amphibiis, ut *Delphino* reliquiſque cetaceis, *vitulo marino* &c. meatus auditorii dati ſunt, iis admodum exiguos & anguſtos eſſe, ut vix cerni poſſint niſi curioſe contempleris, ne, inquit *Rondeletius*, aqua ſubinde replerentur. At vero experientia conſtat aquam in anguſtiores meatus ſe inſinuare quam aerem, ideoque foraminum horum anguſtia ſi excludatur, & aerem una excludi, proinde nullum ſonos communicandi medium admitti. Veriſimilius ergo nobis videtur ideo anguſtos fieri hos meatus,

ne

ne ab aquæ affatim irruentis pondere sensorium, utpote tenerius & rarioris texturæ, membranam intelligo tympanum dictam, prematur nimium & lædatur: verum admitti quantum satis sit ad sonum derivandum. Fortasse etiam ejusmodi animalia cum in imis aquis versantur meatus auditorios penitus occludere possunt, & omnem aquæ ingressum impedire. Hinc urinatores, cum in profundum se demergunt, aurium foramina obturant; ne scilicet aqua copiosius irruens pondere suo membranam prædictam nimium extendat aut fortasse etiam rumpat, aere intus compresso. Si enim auribus apertis urinentur, cum in alto sunt, non levem doloris sensum percipiunt, ob aquas per patentiora foramina affatim intromissas, & tympanum distendentes. Aquæ enim & quævis alia fluida in locis etiam propriis gravitant, ut cum Peripateticis loquar, hoc est, eorum partes se invicem, & quodvis aliud immersum premunt, ut quo quid profundius iis immergatur, eo vehementius undique constringatur, ut illustriss. *Boylius* luculentissimis experimentis abunde comprobavit; & ad oculum clare demonstrari potest, vesica aere repleta in vas vitreum profundius aqua plenum demersa: videbimus enim, quo vesica altius immergitur, eo minorem seu contractiorem fieri, ob aquam undique comprimentem, & aerem inclusum in angustius spatium cogentem; cumque ascendit paulatim continue dilatari & majorem evadere, aere intus ob minorem aquæ pressuram, sensim continue, prout vesica emergit, se extendente.

CAP. V.

De Branchiis & respiratione Piscium.

Descriptio. BRanchiæ piscium propriæ sunt, quibus à cæteris omnibus animantibus differunt: non sunt tamen omnium Piscium communes; nam *cetacei* pro branchiis pulmones obtinent. Sunt autem branchiæ, definiente *Rondeletio*, de Piscibus lib. 3. cap. 12. veluti pili ordine dispositi semicirculo osseo infixi, utrinque cor respicientes, Pilos hosce nos in hoc opere interdum aristas, alias pectines radiosos seu radios pectiniformes appellamus. Semicirculi ossei scrobiculis quibusdam arteriæ magnæ propaginibus excipiendis destinatis excavantur. Siquidem arteria magna mox à corde in branchias tota distribuitur, singulis branchiis singulos impertiens ramos, qui per *Scrobiculos* modo dictos *delati singulis capillamentis* (ut Cl. *Needhami* de formato fœtu cap. 5. verba usurpem) *ibidem appensis vascula exporrigunt, ut ablata arteria, totidem foraminula alveorum favi instar patescant.*

Usus. Branchiæ piscium Quadrupedum pulmonibus respondent, & respirationi quæ piscibus sufficit, inserviunt. Quemadmodum enim pulmonibus donata aerem indesinenter ore hauriunt iterumque reddunt, ita pisces aquam aere impraegnatam ore excipiunt, & per branchias expellunt. Quin & pulmonum structura, ut à nonnullis observatum est, branchias piscium quodammodo imitatur? Nam primo pulmones in lobos majores singulis branchiis respondentes dividuntur, deinde lobi majores in lobulos subdividuntur aristarum branchialium æmulos. Verum hoc differunt branchiæ à pulmonibus, quod non solum vasa sanguinem ad branchias deferentia, verum etiam reductricia arteriæ sunt, cum in pulmone respirantibus hæc venæ sunt, illa tantum arteriæ. Pulmonari ergo arteriæ, perperam *venæ arteriosæ* dictæ, arteriæ in piscibus ad branchias sanguinem derivantes respondent; venæ autem pulmonali seu *arteriæ venosæ*, arteriæ à branchiis reductrices. Quemadmodum enim universus corporis sanguis in Quadrupedibus aliisque pulmone re-

spiran-

ſpirantibus per pulmones tranſit, ut particulis nitroſis aeri per inſpirationem excepto admiſtis imbuatur; ſic in piſcibus per branchias ob eandem rationem. In illis arteria pulmonalis varie diviſa & ſubdiviſa tandem in capillares arteriolas deſinit; vena autem pulmonalis novo principio à venulis capillaribus inchoata in unum tandem truncum colligitur: in his pariter Arteria magna in ramos (ut dictum eſt,) diſtributa, tota in branchias impenditur; ibidemque tandem in radiis pectiniformibus in capillares ſurculos terminatur; deinde arteriæ reductrices novo principio à capillaribus exortæ in majores ramos primo, deinde in unum iterum canalem coeunt (ut inquit *Needhamus* de formato fœtu cap 6.) *aortæ trunco æquipollentem. Hoc tantum ab aliorum aorta diſtat, quod hic ſanguinem e ramis branchialibus tanquam ex pulmone ſine ope ſiniſtri ventriculi immediate recipit.* Nec enim opus eſſe videtur, ut in Piſcibus ſanguis cor repeteret, cum in illis lenius fluat, & (ut Cl. *Needhamus* loquitur) paucis diverticulis contentus, recta poſtmodum linea à capite ad caudam pergit, unde non requiritur magna vis ad eum impellendum. Hoc autem præcipuum ſiniſtri cordis ventriculi officium eſſe videtur, ut ſanguinem à pulmonibus refluum excipiens, eum exantlare, & in remotiſſimas corporis partes, tam ſurſum ſcil. caput & brachia, quam deorſum in abdomen & crura adigere poſſit.

Quoniam autem piſces branchiarum ope ſuo modo reſpirare affirmavimus, nec tamen omnes id concedunt, quamvis branchiarum ſtructura pulmonibus plane analoga, & actio aquam excipiendi & expellendi cuivis non pertinaci rem ita ſe habere facile perſuaderent, è *Rondeletii* libro 4. cap. 9. de Piſcibus unicum adjiciemus experimentum, quod eam extra omnem dubitationis aleam ponere nobis videtur. *Si in vaſe anguſti oris & aquæ pleno concludantur piſces, illic vivunt & natant, non dies aut menſes, ſed annos aliquot. Si vel manu, vel aliquo operculo ita os vaſis obtures, ut omnis aeri aditus intercludatur; ſubito ſuffocantur. Cujus rei ipſe ſæpius periculum feci. Quod ſane in illis non fieret, ſi ſola aqua ad refrigerationem ſatis eſſet. Aerem igitur liberum, & ſuo motu quaqua verſum ſe in aquam inſinuantem deſiderant. Porro ſi in eadem vaſa ad ſummum os non oppleto neque obtecto, ut major aeri locus ſit, contineantur, illic natantes & ludentes piſciculos cum voluptate cernes. Si manum ori vaſis admoveas, tum certatim alius alio ſuperior eſſe in aqua contendit, ut modica aeris uſura fruantur.* Hoc *Rondeletii* experimentum, piſces cum aquæ ſuperficies glacie conſtricta eſt in ſtagnis frequenter mortuos inventos ob aerem intercluſum ſuffocatos eſſe mihi perſuadet. Non me latet *D. Needham* hunc piſcium interitum non ſoli aeris interceptioni tribuendum cenſere, cum notum ſit, inquit, *harum rerum peritis illum potius frigori aquas penetranti deberi. Sicubi enim aquæ profundiores ſunt, facile recedunt piſces, ab hac cœli inclementia tuti, ſine aliquo inſigni incommodo inde percepto: neque quicquam magis periculoſum eſt quam loca vadoſa pertundere; ubi aqua ob brevitatem ſuam frigoris corpuſcula ita per intima ſui admittit, ut piſces huc ventilationis gratia accedentes fatali gelu correpti intereant.*

Quod piſces à vehementi frigore lædantur, non abnuerim; quod autem à frigore ſolo, cum congelatur aquæ ſuperficies, enecentur non concedo, nec ille hoc contendit; quin potius ob aerem interclusum ſtrangulari exiſtimo, eo argumento (ut experimentum *Rondeletianum* omittam) quod foramine in glacie facto piſces ſtatim eo adnatant, ut aere fruantur, cujus adeo avidi ſunt, ut ſe potius manibus capi permittent, quam locum deſerent, quod non tantum clariſſimorum autorum teſtimoniis conſtat, ſed ipſi quoque experientia didicimus. *Iſtri flumine per hyemem glacie aſtricto, piſcatores alicubi ea perfracta velut puteum excavant & aperiunt, ubi cum permulti alii piſces facile capiuntur, tum Autacæi quoque.* Ælianus.

Quomodo aer in piscium branchias se insinuet, difficilis quæstio est. *Rondeletius* de pisc. lib. 3. cap. 12. in branchiis foramina nulla esse aut cavitates, per se attrahendo aeri vel aquæ, aut istis attractis ad cor transmittendis accommodatas asserit: quæ faciunt, inquit, ut dubitem, num hiatus operculi ossei dilatione aperti, & ejusdem compressione occlusi potius quam branchiarum beneficio respiratio fiat. Quis est ergo ex sententia *Rondeletii* branchiarum usus in piscibus? nempe ut cibus per hiatum illum ad respirationem à natura comparatum non efflueret, sed branchiis velut claustris contineretur, & recta ad ventriculum delaberetur; atque ad expulsionem cibum sequentis aquæ. Quasi hæc minore apparatu non possent fieri. Verum *Rondeletio* branchiarum structura & usus non satis perspectus fuit. *D. Needham* contra Severinum, qui lib. de respirat. piscium. aerem per branchias trajici statuit, hoc modo disputat. *Quisquis leges circulationis intelligit, haud facile agnoscet quicquam per has* [*pinnas calamaceas aut arterias capillares branchiarum*] *intro recipi: quum potius omnia in iis vasis a centro ad circumferentiam extrorsum pellantur. Rogo porro, unde recipiunt aerem? Respondet ille, ex aquæ poris. At, inquam ego, quo colo ab aqua secernitur? quod ego inter difficillima naturæ opera pono. Neque enim aer aquæ immistus libenter ab ea separatur. Deinde qua arte branchiis intruditur, quæ lentissimo muco tum ab eodem, tum ab aqua defenduntur. De quibus itidem notabile est, quod ita a natura disponuntur, ut torrentis vires in eas non cadant, quo pacto tenuior aer impelli crederetur, sed a flumine prorsus aversæ radiis osseis, quibus appensæ sunt, ab ejusdem viribus defenduntur. Ut nisi aer sponte diverticula quærat, non detur quod ejus ingressum vel trahendo, vel pellendo efficiat.*

Nos vero quamvis non possimus poros ostendere, per quos aer, branchiarum capillamenta permeans, in sanguinem se insinuet, quin tamen id faciat minime dubitamus, cum pisces sine aeris usura ne brevissimo quidem temporis spatio vivere possunt, & branchiæ pulmonis officio fungantur. Nam nec in pulmone respirantibus meatus unquam vidimus in extremis tracheæ vesiculis, quæ aerem quidem transmittant, sanguinem vero excludant, qui tamen nisi dentur, quomodo aer membranas illas penetrabit, ut sanguini admisceatur? Hoc tantum distat hac in re pulmo à branchiis, quod in pulmone aer intro in tracheæ canales & vesiculas recipiatur, & earundem concavæ superficiei contiguus sit, adeoque majore vi per earundem poros adigi & compelli possit: cum in branchiis exterius tantum capillamentis allabatur, eorumdemque concavæ solum superficiei contiguus sit, proindeque non adeo facile eam penetrare possit. At vero cum pauca aeris quantitas piscibus, utpote natura frigidis, ad respirandum sufficiat, frequenti aquæ ad branchias appulsu, cui aerem admisceri certum est, cur non possit admitti quantum eis ad usus vitæ satis sit?

Tandem de branchiis observavit *Rondeletius* lib. 1. cap. 10. quod quibus minus hiantes sunt minusque diductæ, iis longior vita concessa est; nam affatim non subit aer qui exiguum calorem opprimat & extinguat, & cum tantus quantus calori nativo reficiendo satis sit, sese insinuaverit, non facile remeare potest. In his numerantur *Anguilla*, *Muræna*, *Serpens marinus*, *Exocœtus*. Contra brevioris in terra vitæ sunt qui patentes minusque constrictas habent branchias: Hi enim aeris affatim irruentis copia oppressi protinus extinguuntur. Pro respiratione piscium sic argumentatur clarissimus *D. Willis*; in piscibus branchiæ, quæ sunt velut pulmones substituti seu potius inversi, extra thoracis cavitatem ita collocantur, ut vasorum ductus omnes, & oscula exterius consita, lymphæ continuo affluentes, iis, dum branchiæ dilatentur, nitrosum quiddam, aut illius analogum inspirent, cujus residuum mox effœtum, branchiis contractis, rursus amandetur, ac ita per continuas reci-

cipro-

ciprocationes inspirationis, & expirationis, prout in calidis animalibus, sanguinis vita conservetur; multis tamen experimentis colligo sanguinem in piscibus non (uti in brutis pulmonariis) totum intra respirationis organa transvasari, at siquidem illi pabulo nitroso partim intestino ex se fruuntur, ideo sufficiat iis sanguinem solummodo per partes nitri externi affluxui apponi; pisces respirare, pabulumque aereum ex aquis haurire, aliæ rationes manifeste declarant, nempe, siquidem undæ, ubi pisces degunt, diu stagnantes versus putredinem tendunt, aut si nimium calore aut frigore, aliisve modis, quibus particulæ vitales aeris abigi aut perverti solent, afficiuntur, incolas suas suffocant; porro si aquis parcioribus & nimis angusto limite pisces clauduntur, etiam si plures quam par est in eadem satis ampla piscina, ubertim licet pasti degunt, præ defectu pabuli nitrosi interibunt, quod insuper mortis causam arguit, ante obitum ora undis exerentes, nudum aera captabunt.

CAP. VI.

De reliquis partibus internis.

Piscium proprium est lapides in capite habere: neque enim (inquit *Rondeletius*) in ullis Quadrupedibus nobis etiam diligenter perscrutantibus contigit vidisse. Habent igitur lapides in capite *Lupi*, *Mugiles*, *Corvi*, *Coracini*, *Umbræ*, *Pagri*, *Auratæ*, *Spari*, *Hepati*, omnesque fere squamosi. Hos *Aristoteles* hyemem pertimescere scribit. *Lapides in capite.*

Pisces omnes gulam non habent: quamplurimis enim ventriculus ori contiguus est, sphinctere tantum musculo clausus. At qui oblongo & tenui sunt corpore, ut *Congri*, *Acus*, *Serpentes*, *Anguillæ*, etiamsi pulmonibus careant, gulam tamen habent. *Rondel.* *Gula.*

Ventriculi & intestina piscium adhuc viventium ad tactum frigidi sunt; proinde valde remissum caloris gradum obtinent. Pisces tamen nonnulli voracissimi sunt; nec solum *Cancros*, *Squillas* aliosque crustaceos pisces cum crustis integros deglutiunt, sed eosdem facile digerunt. Unde patet cibos in ventriculo calore non concoqui, sed potius acidi cujusdam humoris seu fermenti ope à sanguine (ut nobis videtur) per ventriculi tunicas secreti, & sensim in eundem extillantis, dissolvi & in chylum liquari. *Ventriculus.*

Infra ventriculum circa pylorum in plerisque piscibus appendices seu intestinula cœca nascuntur, in nonnullis paucæ, in aliis plurimæ; quibus paucæ, iis majores sunt; quibus multæ, minores. Appendices in piscibus & avibus diversum situm obtinent: nam his circa finem intestinorum prope podicem hærent; in illis circa initium eorundem prope ventriculum; quod *Aristoteles* olim observavit. Quis autem appendicum usus sit, mihi, fateor, nondum perspectum est; neque enim ab aliis audivi aut legi, neque ipse possum excogitare, quod veritatis studioso satisfaciat. Cæterum non necessarias esse neque piscibus neque Avibus manifestum est, cum in utroque genere species nonnullæ iis careant. *Appendices.*

Pisces qui per branchias respirant, unicum tantum cordis ventriculum obtinent, & unicam pariter auriculam, eam tamen bene magnam. Nam ut venarum ad arterias, ita auriculæ ad cor proportio multo major in piscoso genere quam in aliis animalibus cernitur, ut observavit D. *Needham.* *Cor & ejus ventriculus.*

ham. Cor autem, quod ad figuram attinet, plerisque piscibus triquetrum est. *Suprema ejus pars*, inquit *Rondeletius*, [arteriæ initium intelligit] *alba & dura est, quæ verrucæ non absurde comparari mihi videtur*, [rectius infundibulo inverso, aut cono cujus basis cordi insistit.] *Si seces, interiore parte parvulis fibris velut lineis distinctam videas.* Arteriæ initium hujusmodi est in omnibus quos dissecui piscibus non cetaceis. Structuræ ratio mihi non constat, alii eam investigent.

Renes & vesica urinaria. *Rondeletius* aliique historiæ piscium scriptores pisces præter cetaceos omnes, squamosos, læves, cartilagineos renibus & vesica urinaria carere affirmant. Verum αὐτοψία eos erroris convincit. Nos enim in plurimis & diversi generis piscibus, *Lucio* v. g. *Uranoscopo, Mola, Galeo* reliquisque cartilagineis vesicam urinariam & renes observavimus, adeo ut putemus paucissimos pisces iis partibus carere, tantum abest ut omnes careant. Observavit D. *Needham* Lib. de Formato fœtu cap. 6. *piscibus quibus vesica natatoria gemina est, renes multo majores esse quam reliquis; interstitium nempe inter duos vesicæ lobos implent, unde postea descendentes manifestis ureteribus in vesicam urinariam exonerantur, quæ in fundo abdominis intestino recto incumbit.*

Anus. *Piscium omnium commune est ore podicem minorem habere. Quæ enim assumuntur vel mole, vel duritie superant ea quæ egeruntur, quæ semper vel liquida, vel in tenues partes comminuta sunt. Rondel.* lib. 3. cap. 18.

Spinæ piscibus peculiares sunt, neque in alio animantium genere reperiuntur, quæ carni ad ejus stabilitatem affixæ sunt, pluresque in iis qui in aqua dulci degunt. *Rondel.* Per spinas officula parva furcata intelligit, musculis dorsalibus intertexta, quæ cum aliis offibus nullam videntur habere connexionem.

CAP. VII.

De Vesica natatoria.

Pisces spinosi dicti præter planos vesicam natatoriam obtinent, aut quid ei analogum, hoc est, cellam aeri continendo destinatam. Est autem cella hæc spatium triangulare in suprema parte cavitatis abdominis secundum dorsi spinam extensa, à reliquo abdomine, in quo viscera & intestina, membrana transversa ad costas utrinque annexa divisa. Vesica vel simplex est, vel gemina, collo nimirum angusto, pervio tamen, intercepta, & in duos ventres divisa. *Folliculus hic* (Needhami verba sunt Lib. de formato fœtu cap. 6.) *pelliculam obtinet tenuem & pellucidam sibi propriam, immediatum aeris conceptaculum; quæ vel alia itidem propria, dura tamen & coruscante fere, ligamentosi genii, vestitur, vel saltem post peritonæum piscis latens inter ipsum & spinam spatium triangulare & quasi prismaticum obtinet &c. Sola ex iis quotquot nobis hactenus conspecti sunt, Alosa major videtur simplici tunica gaudere. Aliæ licet fere simplices & nudæ videantur, tamen aliam tunicam obtinent a peritonæo.*

Canalis a vesica ad ventriculum. In plerisque piscibus ductus seu canalis manifestus à vesica ad superius ventriculi orificium extenditur: qui, observante Clar. *Needhamo*, L. de formato fœtu, cap. 6. *in iis quibus simplex est vesica, plerunque a summitate illius versus ventriculum vergit, & eidem prope diaphragma inseritur. Hi fere omnes dentes maxillis infixas gerunt. Alii quibus os externum læve est, dentes vero in gutture reconduntur, ut* Cyprinus uterque, tinca, capito, Leucifcus, rutilus, &c. *vesicam duplici bocia extuberantem habent. Hisce a posterioris vesicæ initio semper erumpit ductus, & prope*

prope diaphragma ventriculum intrat. Alosa *tamen major, licet simplicem habeat tunicam, nihilominus canalem e medio emittit; neque eum versus diaphragma dirigit, sed ventriculi fundo, qui hic infra medium abdomen descendit, inserit.* Quis hujus canalis usus sit, num aeri intromittendo & vesicæ implendæ, an eidem emittendo & vesicæ evacuandæ, an utriq; ministerio inserviat, quæstio est. *D. Needham aerem sive potius (ut ille loquitur) vaporosam exhalationem in sanguine genitam hoc ductu e vesica excerni & in ventriculum facessere statuit, ut fermentationem & coctionem promoveat, ciborumque in ventriculo digestionem maturet & acceleret, quod ab aere optime fieri omnes fatentur. Nam in* Alosa, *inquit, quomodo fieri potest, ut aer per canalem præscriptum recipiatur, ubi ductus infimo ventriculi angulo inseritur? Quomodo enim aerem recipiet hic ductus? num merum? At tum piscis debet prius ventriculum nudo aere implere, quod non videtur probabile. Num separabit ab aqua & aliis succis in ventriculo fluitantibus? At qua arte? Quæ sunt illic vasa secretoria? videtur potius longe contrarium fieri, & aer illuc e vesica effundi.*

Deinde vesica natatoria in Anguilla *gemina est, posterior duplicem tunicam habet, more aliorum piscium, prior simplex est & venis refertissima. In medio interstitio locantur glandulæ binæ insignes, quibus vasa illa sanguinea inserviunt, excrementumque separant versus vesicam. Minus itaque probabile videtur eadem via & emitti & recipi quippiam.*

His adde, quod si canalis iste aeri intromittendo inserviret, commodissimum esset, ut orificium ejus in vesicam valvula aut alio artificio exacte occluderetur ad aeris egressum impediendum; quod tamen non fit: nam aer è vesica in canalem levi pressura facile compelli potest. Nobis tamen aeri potius excipiendo destinatus videtur ob usum mox dicendum; quamvis, ut verum fatear, experimentum illud de *Alosa* contrarium suadet. Etsi enim in plerisque piscibus canalis ad superius ventriculi orificium tendit, locum ad aerem excipiendum percommodum, quin tamen in reliquis eundem usum obtineat quem in *Alosa*, minime dubitandum est. Si ergo in *Alosa* aerem excipere nequit, nec in aliis eidem excipiendo inservire verisimile est. Verum frustra argumentis contendimus in re quæ experientia haud difficulter posset determinari. Si enim in initio hujus canalis reperiatur vel valvula vel aliud obstaculum, quod aeris ingressum admittat, exitum impediat, tum usum ejus esse ad aerem excipiendum patebit. Quod si hujusmodi valvula ibidem non sit, sed musculus tantum ejus orificium constringens, æque poterit inservire aeri vel emittendo vel recipiendo. Quicquid sit, nec aerem in vesicam recipi ut sanguini admisceatur, nec è vesica expelli, ut cibis in ventriculo digerendis conferat existimamus: nam pisces voracissimi, quique solidissimos cibos deglutiunt, vesica natatoria carent, Canes carchariæ v. g. aliique cartilaginei.

Vesicæ ipsius usus est, ut omnes consentiunt, ad natationem facilitandam: quod quidem verum est, non tamen rem absolvit. Quæri enim adhuc potest, quomodo natationi conducat? Respondebis, corpori levitatem conferendo facit ut aquæ æquiponderet, quod alias ob gravitatem suam fundum peteret. Hoc etiam verum est: nam si vesica rumpatur aut perforetur, piscis illico subsidit, nec se levare aut sustinere in aqua potest: sed nec usum satis explicat. Quod si curiose rem expendamus, inveniemus eum esse proprium vesicæ usum, ut piscem in quavis aquæ altitudine sustineat, sive prope superficiem, sive prope fundum. Hoc ut expedite fieri posset, conduceret plurimum ut piscis pro libitu aerem vel admittere in vesicam, vel expellere possit, quod tamen eum facere posse non putamus, sed vel emittere tantum, vel, quod commodius esset, excipere.

Verum quicquid sit de aeris intromissione aut expulsione, vesicæ tunicis vim musculosam inesse existimo, ut piscis vesicam quando vult con-

contrahere, & aerem contentum in anguſtius ſpatium coarctare poſſit. In multis enim piſcibus veſicæ tunica craſſa admodum eſt & opaca, tunicæ arteriæ non multum diſſimilis, ut in Aſellis omnibus, aliiſque: Arteriæ autem tunicæ ejuſmodi vim ineſſe qua ſe contrahat, Cl. *Williſius* obſervavit. In nonnullis, ut *Merlucio*, veſica intus ſubſtantia quadam rubicunda carnis æmula obducitur, quam ego muſculum eſſe conjicio: in aliis denique veſicam bicornem obſervavi, utrique autem cornu muſculum affixum, ad eam, ut veriſimile eſt, anguſtandam. Non tamen opus eſt, ut vis hæc muſculoſa admodum valida ſit, cum ea inter deſcendendum aquæ pondere continue adjuvetur, ſiquidem aquæ preſſura eo major eſt, quo piſcis altius deſcendit, ut patet ex aſcenſu bullæ à fundo aquæ, nam hæc inter aſcendendum continue extenditur ab imo ad ſummum uſque, ob aquæ pondus continue imminutum. Objicies, poſſe piſcem ſola muſculorum abdominis actione cavum ejus vel extendere, vel contrahere pro libitu; atque hæc contractio vel dilatatio ſufficiet ei ad aſcenſum, vel deſcenſum in aqua, ac proinde ad eam rem quid opus eſt veſica? Reſpondeo, muſculos abdominis ad hæc forte conducere; verum ſoli ad elevandum piſcem è profundo non ſufficiunt: ingens enim vis requireretur ad aquam corpus undique valide comprimentem amoliendam, & abdominis cavum dilatandum. Verum initio à muſculis facto aer in veſica mox ſe dilatat, & muſculorum conatum adjuvat, adeoque piſcis illico aſcendit. Poſſet tamen alias vel levi pinnarum aut caudæ impulſu aſcenſui initium dare, qui ob continuam veſicæ dilatationem facile continuaretur. Atque hoc modo aſcendunt piſces quorum locus naturalis eſt in profundo, quorumque corpora ob id graviora facta ſunt, ut imis aquis æquiponderent; deſcendunt autem iterum proprio pondere. At qui in ſummis aquis verſantur, veſicæ contractione facile deſcendunt, cumque iterum muſculus ceſſat, veſica ſponte dilatata, abſque ullo conatu aut actione muſculorum aſcendunt; ut in bullis vitreis videmus, quæ aere interno compreſſo, quantum voles magna ſubſidunt, vi autem comprimente amota, aer intus contentus ſtatim ſe dilatat, & aquam è bulla expellit, adeoque bulla levior facta ſponte emergit.

Not. quod quibus veſica natatoria in duos folliculos diviſa eſt, major lobus poſterior eſt.

CAP. VIII.

De Motibus piſcium e Borelli Lib. de Motu Animalium.

Volatus & natatus ex eo differunt, quod ad illum exiguntur duæ operationes, prima eſt ſuſpenſio corporis gravis ipſius Avis in aere, quæ ingenti vi muſculorum pectoralium fit, frequentes ſaltus per aerem efficiendo, ſecunda eſt motus tranſverſalis ejuſdem Avis, quæ remigando progreditur; ad hunc vero non requiritur facultas ulla ſuſpenſiva, nam animalia natantia ab ipſa aquæ conſiſtentia & gravitate ſuſpenſa retinentur, ut nequeant cadere ad aquæ fundum, & ideo ſolummodo moveri & incedere per eam poſſunt, impulſa a propriis motoriis organis; hic motus peragitur vel a remigio pedum & brachiorum, ut in navibus levibus, aut longis, & hoc modo animalia terreſtria, quadrupedia, Aves, Ranæ, & teſtitudines natant, aut ab unico vaſto remo, ſeu cauda violenter agitata lateraliter, ut lintres & quidam piſces cetacei; vel a cauda inſtar palæ explanata ſurſum & deorſum aquam impellendo, ut Delphines incedunt ſe demergendo & exurgendo.

ut

Ut dignoscamus quænam pars animalis gravior sit, & in quo situ magnitudinis ejus centrum gravitatis existit, videndum est quomodo situetur corpus animalis dum super aquam innatet; & quia quadrupedia & aves, quomodocunque & quacunque positura cadant, aut demergantur, semper emergunt ventre prono, & dorso & capite supino & sursum exporrecto, ergo centrum gravitatis eorum in medio infimi ventris consistit, hoc autem in hominibus minime verificatur, nam caput valde ponderosum habent, quod post demersionem difficile super aquæ superficiem elevatur, nisi industriose corpus erigatur a remigio pedum & manuum, at in quadrupedibus sponte caput sursum eminet; pisces Cetarii videntur habere centrum gravitatis in infimo ventre situm, eo quod semper ventre prono & dorso supino natant quiescunt & dormiunt super aquam; non sic testudines marinæ, quæ dormiunt ventre supino super aquam, quare centrum gravitatis earum collocatur versus dorsum, quod suadetur etiam ex vastitate ossei clypei, quo dorsum eorum tegitur.

Modus quo natura tale æquilibrium piscium cum aqua conservat, pendet a legibus Hydrostaticis; posuit enim in ventre piscium vesicam quandam aere plenam, ut nimirum aeris levitate compensaret nimium pondus carnium & ossium eorundem piscium; & sic moles composita ex partibus solidis piscis, & ex aere incluso, æque gravis redditur, ac est moles aquæ ei æqualis. Videmus quod pisces ostreacei, conchilia, soleæ, & alii in fundo maris degentes, tali vesica aerea carent; & nos observavimus in Academia experimentali medicea, quod piscis, cujus aerea vesica disrupta fuerit in vacuo, non potuit per mensem integrum, dum vixit in piscina, natando sursum ascendere, sed semper repebat ad instar serpentum in fundo piscinæ; talis uniformis perseverantia gravitatis piscium & aquæ diu & ubique conservari non potest, quia pisces ipsi a commestione gravantur, ab egestione & transpiratione leviores fiunt, aqua ipsa a mixturis corporum heterogeneorum, a calore, aut frigore, levior aut gravior redditur, & hæ mutationes contingunt diversis temporibus; ab hisce ergo omnibus causis perturbaretur æquilibrium illud piscium quod in indivisibili consistit, nisi parens natura piscibus largita esset mechanicum artificium præsentaneum, quo ponderum inæqualitas in specie prompte ad præcisum æquilibrium reduci posset; hæc vesica aerea contrahi, & paululum dilatari potest, vel ejus aer evomatur, aut novus aer deglutiatur per os prout variatio æquilibrii eorum exigit, per canalem vesicæ aereæ in fundo stomachi desinentem aer exinanitur in vacuo, quando piscis per os multiplices spumosas ampullas eructat.

Pisces non a pinnis alarum impulsi, per aquam incedunt; pinnæ enim piscium sunt cartilaginosæ, flexibilissimæ, & pusillæ, comparatæ cum piscis mole; earumque consistentia inepta est ad percutiendam & impellendam aquam cum tanta vi, & velocitate; pinnæ solummodo expanduntur quando motus directus piscis inflecti aut extingui debet forficibus resecui pinnas alarum piscium viventium usque ad earum radices, & sic tonsos in piscina reposui, & vidi quod veloci cursu per aquam ferebantur sursum, deorsum & lateraliter.

Pinnæ duplicatæ in duobus locis infimi ventris piscium non inserviunt motui, sed stationi eorum; hisce enim fulcris, ad instar pedum hominum, aquæ subjectæ innitendo, vacillationes corrigunt; forficibus resecui omnes pinnas ventris piscis vivi, eumque denuo in piscinam demersi, ibique vacillabat ad dextram & sinistram, nec poterat in positura erecta firmiter persistere.

Instrumentum, quo pisces natant, est eorum cauda; hujus flexio usum temonis facile præstat, flectendo cursum ad dexteram vel sinistram; at motum versus fundum inserviunt pinnæ, duplicatæ infimi ventris, quia quando subjectæ illæ pinnæ, versus caudam existentes, expanduntur & eriguntur, officium horizontalis temonis exercent, sicuti cauda avium depressa efficit; e contra per motum sursum pinnæ laterales, seu alæ oblique flexæ & sursum elevatæ, idem præstare possunt, ac cauda avium sursum elevata, a qua cursus avium sursum dirigitur.

Ad

Ad natatum piſcium requiritur major vis motiva muſculorum, quam ad Avium volatum efficiendum; caro muſculoſa piſcium copioſiſſima eſt, multo magis quam in Avibus, cum illi pauciora oſſa habent, quam iſtæ; inſuper tota fere caro muſculoſa piſcium inſervit vibrationi caudæ & ſpinæ, nil ad pedes movendos, quibus carent, parum ad ventrem ſtringendum & ad mandibulas agitandas, minimum ad pinnas tenues flectendas, ergo univerſa fere vis motiva piſcium inſervit natatus, quia caudæ & ſpinæ vibratione producitur; ob corpulentiam & gravitatem aquæ natura cogitur tam grandi vi motiva efficere piſcium natatum.

CAP. IX.

De Generatione Piſcium.

ARiſtoteles recte ex generationis modo piſces in *Cetaceos, Cartilagineos* & *Spinoſos* dividit.

Cetacei quomodo generent.

Ex his *Cetacei* vivipari ſunt, hoc eſt perfectum animal ex ſemine, non ex ovo gignunt, ut Philoſophis pleriſque tam antiquis quam recentioribus viſum eſt. Verum nuperi quidam medici generationis organa ad examen denuo revocantes, eorumque partes omnes & particulas accurate diſſectas curioſis oculis contemplantes, ut ſingularum naturas & uſus genuinos exquirerent, numine conatibus eorum favente & induſtriam penſante, invenerunt tandem quod Anatomicos vulgares tamdiu latuit, nimirum Animalia omnia tam vivipara vulgo dicta quam ovipara ex ovo primitus naſci. Corpora enim illa in fæminis etiam viviparis teſtes fæminei appellari ſolita, nihil aliud revera ſunt quam ovaria, ovaque plurima in ſe continent, quorum aliqua à coitu ſpermatis maſculi contagio imbuta (nam ſemen ipſum eo uſque non penetrat) fœcundantur, & velut fructus maturi ex ovario in uterum delabuntur.

Cartilagineorum generatio ut differat a generat. cetaceorum.

Dices, Quomodo ergo differunt piſces cetacei à cartilagineis generationis reſpectu, cum utrique pariter tam intus ovipari ſunt, quam extra vivipari; qua nota *Ariſtoteles Cartilagineos* à *cetaceis* diſtinxit. Reſpondeo, quamvis, utrique ova concipiunt, multum tamen intereſt inter utriuſque generis ova. Cartilagineorum enim grandia ſunt, viteloque & albumine conſtant, & præterea veſicula quadam quam Harvæus cicatriculam appellat, quæque ovi præcipua pars eſt in qua nimirum fœtus formatur, ad modum Avium. Hi autem aut eorum ſaltem nonnulli, (quamvis de omnibus id affirmat *Ariſtoteles*, & piſcatores noſtri conſentiunt) ova intus in utero fovent & excludunt, qua in re ab Avibus differunt. Hoc nos in caniculis verum eſſe experientia didicimus, nam in ventre Galei ſpinacis quem diſſecuimus duos catulos undique perfectos & magnitudine eximios invenimus.

Cetaceorum autem ova, ut in reliquis viviparis dictis Animalibus, parva initio ſunt, nec ullam habent albuminis & vitelli diſtinctionem, ſed ſimplices veſiculæ eſſe videntur, humore limpido repletæ, quæ cicatriculæ ſoli reſpondent. In his ergo fœtus ovo incluſus, ex ipſo utero alimentum ſuum haurit, cum in oviparis albumen pullo nutriendo inſerviat. Albumen ergo in oviparis reſpondet ſucco illi nutritio quem fœtus in viviparis ex utero imbibit, ut Ovum non inepte à *Cl. Harvæo* uterus expoſitus appelletur.

Cetacei ergo ad normam Animalium quadrupedum perfectiorum *vivipari* ſunt, quæ quantumvis ovum primo concipiunt, illud tamen ab oviparorum dictorum ovis longe eſt diverſum.

Carti-

Cartilaginei ova intus concipiunt grandia, Avium similia, cum duplici intus humore, albumine scil. & vitello. In eo ab avibus differunt quod ova sua non pariunt, verum intus in utero fovent & excludunt, adeoque vivos fœtus edunt, mira naturæ providentia, tum ad ovorum tutelam, tum ne ambientis frigore vitalis calor extinguatur. *Cartilaginei quomodo generent.*

Quod ad organa generationi inservientia attinet, *Cetacei* eadem obtinent quæ reliqua vivipara, *Cartilaginei* autem mares duos *testes* obtinent grandes, longos, albos. A testibus *parastatæ* seu *vasa deferentia*, crebris mæandris huc illuc reflexa, secundum totam dorsi longitudinem ad anum usque extenduntur. His adjacent *vesiculæ seminales* longæ, compressæ, albæ, humore spermatico plenæ. D. *Ent* in Canis Galei descriptione parastatas in vesicam seminariam peramplam & semine refertam terminari asserit. Nobis in Mustelo spinace humorem diversum effundere videbantur ab eo qui in vesicis seminariis continebatur. *Generation. organa.*

In fæminis à diaphragmate non longe vitellarium duplex est ex ovis plurimis constans. Ova simul duo [in singulis racemis singula] maturescunt, & in uterum delabuntur. Hoc tamen fortasse perpetuum non est in omnibus Cartilagineorum speciebus; nam curiosissimus naturæ indigator D. *Fran. Redi*, in Torpedine, in altero oviductu sex tantum ova observavit, in altero octo. Sunt autem ova rotunda seu globosa dum adhuc in vitellario sunt, satis tamen grandia (cum jam matura) cortice duro minime tecta, albumine nullo. Paulo infra vitellarium uterus in duo corpora glandulosa dividitur, quæ tamen in medio pervia sunt. Hæc corpora in Raiæ utero D. *Needham* observavit, eorumque usum assignat Lib. de Formato Fœtu, cap. ult. *Prope ingressum*, inquit, *ovarii occurrunt corpora duo albicantia, glandulosa quæ siccum albugineum copiosum ovario infundunt, spermati testium aprugnorum similem, albuminis materiam.* Ovarium appellat uterum nobis dictum, seu potius cornua uteri: nam ovarium, inquit, duplex est, quod in communem quandam cloacam (quem nos corpus uteri appellamus) bina ova, utrinque unum, effundit. Hæc uteri cornua *Redi* oviductus appellat in descriptione Torpedinis, ubi hæc habet, *in unoquoque ovario* [vitellario] *supra 50. ova diversæ magnitudinis videre erat. Ab his duobus ovariis duo distincti canales descendunt qui in oviductibus terminantur.* Cum diximus ova duo tantum simul è vitellario in uterum seu mavis ovarium delabi; non id ita accipiendum est, ac si plura non desiderent antequam illa exclusa sint, & fœtus intus contentus in lucem editus. Nam quamvis in Raia id forte verum sit, in cujus utero ob figuram enormem plura vix possent commode contineri;at in Galeorum uteris persæpe plura continentur. Nam & *Rondeletius* testatur sese sex in ventre Galei spinacis perfectos fœtus observasse, multis aliis ovis nondum exclusis: & *Fr. Redi* in Torpedinis oviductuum, hoc est, cornuum uteri, altero sex ova satis magna, in altera octo aliis similia observavit. Notandum autem, quod licet Raiarum ova insolentem vehiculi manualis aut Sandapilæ figuram in utero assequantur, quamdiu tamen in vitellario hærent, figuram aliis omnibus vitellis communem h. e. globosam retinent.

Pisces *Spinosi* dicti ova innumera concipiunt, eaque exigua nulla intus albuminis & vitelli distinctione. Ova hæc in duplici folliculo seu utero continentur, quæ cum partui matura sunt, fæmina enititur, eamque insequens mas edita lacte suo seu spermate aspergit adeoque fæcunda reddit. Ego enim hoc genus pisces coire non puto. *Piscium spinosorum generatio.*

Cæterum cum de coitu sermo incidit, non ab re fuerit, quæ *Rondeletius* de piscium coitu habet huc transcribere. *Pisces*, inquit, congressuri latebras quærunt & recessus suos petunt, vel etiam quamvis maris partem incolant, in profundum se recipientes, & tanta celeritate coeuntes ut visum fallant, observari vix possunt. Pisces omnes (inquit *Aristote-* *Piscium coitus.*

 les)

les) demptis planis cartilaginei generis mutuo attritu supinarum partium coeunt; plani autem & quibus cauda est, ut Rana piscatrix, Pastinaca & similes, non solum ut dictum est sese applicantes, sed etiam supinis partibus supervenientes fœminarum pronis, nisi cauda ob crassitudinem impedimento sit. At Squatina, Torpedo & quibus cauda major est, mutuo solum supinarum partium attritu coeunt. Sunt qui vidisse se affirment Cartilaginea nonnulla aversa canum terrestrium ritu cohærere. Pisces longi, ut *Anguillæ, serpentes, congri, murænæ,* mutuo partium supinarum complexu coeunt. Vidi equidem sæpe *Anguillas* hoc modo copulatas in Lado capi. Mares cartilaginei fere omnes circa podicem appendices duas habent, quibus coire creduntur. At ego illas sæpe multumque contemplatus, non video quo pacto his coire illi possunt; potius ergo ad retinendas fæminas factas esse arbitror. Hactenus *Rondel.* At quis credat organa tanto partium apparatu instructa, ad retinendas solum fæminas comparata esse; cum nulli præterea Animalium generi similia aut analoga ad hunc solum usum data sint? Quin potius cum Pisces hosce coire certum sit; corpora autem hæc maribus omnibus & solis donentur, nec ullum aliud membrum genitale exterius appareat, ea penes esse verisimillimum nobis videtur, & pro concesso in hoc opere sumimus. De Anguillarum & congenerum coitu quod dicam non habeo: an & quomodo coeant nescire fateor: verum cum figura corporis ad Serpentes accedant, quidni etiam serpentum more coeant? De aliis piscibus spinosis quid sentiam jam dixi, eos scil. non omnino coire partibus genitalibus sibi invicem admotis: verum fæminas ova parere, mares autem editis supervenientes ea lacte suo aspergere & velut irrigare.

An pisces sponte oriantur.

An pisces sponte nascantur necne, difficilis quæstio est. *Rondeletius* aliique historiæ piscium scriptores id affirmant. Et *Rondeletius* de Piscibus lib. 1. cap. 4. quidem experimento proprio illud comprobat, *Est,* inquiens, *locus inter Montem Pelium, Pezenatium & Betiras collibus undique septus: hunc fons nullus irrigat, nullus fluvius, palus aut lacus alluit, denique in illum præter imbrem de cœlo nullus humor influit. Eum forte pluviæ paucis ante diebus quam illuc iter faceremus compleverant, natura piscibus exornaverat; cyprini inter alios plurimi apparebant. Hoc idem in Galliæ stagnis intueri licet, in quæ nulla unquam principia aut semina multorum variorumque piscium, qui in iis reperiuntur, sunt injecta.* Alibi in capite de Cyprino eadem paucis verbis immutatis repetit.

Albertus magnus (citante *Gesnero* cap. de Pungitio) de generatione piscium spontanea hæc habet. *Piscatores hoc genus piscium* [Pungitios seu Spinachias dictos] *sponte generari aiunt, & ex ipsis alios omnes: hac observatione inducti, quod in lacunis novis primo statim anno inveniantur, & postea sequentibus annis pisces alii diversi, quanquam nulli fuerint immissi.* Ego quamvis animalia saltem perfectiora, qualia pisces sunt, sponte nasci, non libenter concedam, nondum tamen video quid responderi possit argumento illi sumpto ex lacubus & stagnis inter montes, in quos aquæ præter pluvias nullæ influunt, & tamen inveniuntur in illis pisces, & quidem sui generis, quales in tota circumjacente regione nullibi observantur. Unde enim ortum habeant hujusmodi pisces? Num a prima rerum creatione speciem suam propagarunt in lacubus & stagnis istis? At verisimile est nonnulla saltem ex stagnis vel terræ motibus vel aquarum eluvionibus, vel montium saxorumque ruina angustiis occlusis, vel alio quopiam accidente, vel denique hominum manu nuper facta esse, nec à prima mundi origine extitisse.

D. *Levenhoeck* ope suorum microscopiorum nuperrime detexit duplex genus animalculorum in seminibus piscium, avium, insectorum, quadrupedum hominumque, è quibus nutritis, & augmentatis produci fœtus contendit; consulas literis D. *Levenhoeck.*

CAP.

CAP. X.

De victu, ætate aliisque accidentibus Piscium.

PIsces plerique vermibus aliisque insectis vescuntur; multi pisces minores & exanguia aquatica, *cancros, squillas, locustulas*, prædantur; imo aliqui adeo voraces sunt, ut ne suo quidem generi parcant, ut *Lucius*: nonnulli micas panis aut massæ farinaceæ particulas esitant: pauci quidam Algam aliasque herbas in fundo maris nascentes depascuntur. Hujus generis sunt *Scarus*, qui idcirco veteribus ruminare dictus est; & *Salpa* cujus ventriculum dissectum Alga repletum invenimus.

Rondeletius Lib. 1. cap. 12. *quosdam pisces aqua sola nutriri asserit*, ψυχροτρόφυς *idcirco Græcis dictos. Neque enim*, inquit, *aqua nostra simplex sincerumque elementum est, sed compositamque mixtamque esse ipso sensu experimur, & hanc amaram, illam salsam, aliam dulcem & puram, ut* Dioscorides *ait, gustu percipimus. Nam terræ per quam fluit, eorumque quæ inde effodiuntur admistio, ejus sinceritatem vitiat & corrumpit.*

Sunt in Principum & divitum domibus ex lapide ædificatæ & stratæ piscinæ, in quibus permulti, diversi etiam generis pisces aliquot mensibus sola aqua vivunt incolumes. Lutetiæ, Lugduni *& in aliis magnis urbibus, quæ præsertim procul a mari absunt, pisces in naviculis perforatis inclusi, necessario aqua sola victitantes, diu commode asservantur. In* Gallia Narbonensi *curiosi quidam in vasis vitreis aqua plenis diu nutriunt, certumque est quo purior fuerit aqua, eo diutius vitam producere, celeriter autem interire siquid aliud præter aquam, ut panem aut aliud quidpiam solidioris alimenti, in vas conjecerint. Hoc modo suavissima mea conjux tres annos piscem domi aluit, sicque educatus in eam corporis molem accrevit, ut tandem nec vas eum capere, nec qua ingressus fuerat, eadem exire potuit.* Hactenus *Rondeletius*: cui ut assentiamur, quæ adducit experimenta cogunt; nec opus est ut pluribus id probare nitamur.

Pisces autem, ut *Idem* de piscibus l. 1. cap. 3. qui pura temperataque enutriuntur aqua, temperata similiter & optima carne esse necesse est: contra qui in inquinatis, impuris maleque temperatis aquis adolescunt, illos etiam pabuli vitia retinere oportet.

Omne genus piscium (inquit *Rondeletius*) celeriter adolescit, & alibi de piscibus loquens, omnes cito ad magnitudinis constitutum certumque modum provehuntur. *Aristoteles* Thynnos non ultra biennium vivere ait: & ex eodem *Plinius*, *vita Thynnis longissima biennio*: & tamen in cetaceam magnitudinem excrescunt. *Salmones* etiam intra annum perfici affirmant nonnulli. Ego ut pisces celeri auctu adolescere concedam, non tamen *Salmones*, nec *Thynnos* intra annum aut etiam biennium justam magnitudinem assequi facile admiserim. Nam quod ad *Salmones* attinet, piscatores nostri eos annuatim ab ætate distinguunt; annotinos *Smelts* vocant, bimos *Sprods*, trimos *Morts*, quadrimos *Fork-tails*; quinquennes *Half-fish*; sexto demum anno adultos & justam magnitudinem adeptos *Salmones*. Thynni quoque pro ætate varia sortiuntur nomina apud veteres; nam primo anno *Scordyla* appellantur, secundo *Pelamides*, tertio *Thynni*, quarto *Orcyni*, quinto denique *Cete*; tantum abest ut ultra biennium non vivant.

Quicquid autem sit de auctu, pisces longævos admodum esse & vitam diutissime producere minime dubium est. In *Palatina* regione *Germaniæ* (inquit *Gesnerus*) in loco cui nomen à Micha-

 ele-

ele & campo vel agro [*Michaels field*] in foſſa circa arcem carpam eſſe quæ centeſimum vitæ annum attigerit, ex homine fidē digno cognovi.

Aquatica Animalium maxima ſunt, quia aqua nutriuntur, quæ ſemper in promptu eſt. Terreſtria tantæ magnitudinis fame morerentur, ni terra aut aere veſcerentur. Notandum autem Cetaceos ſeu pulmone reſpirantes piſcium omnium maximos eſſe; ex aliis generibus maximos Animalibus terreſtribus haudquaquam majores eſſe: nec enim ſufficit ad augmentum ut alimenti copia ſuppetat, ſed requiritur præterea calor quæ materiam dilatet & corpus extendat. Piſcium autem præter cetaceos omnium calor moderatus eſt. Mirum tamen nobis videtur, quod cete illa immania frigidiſſimis oceani partibus verſus ſeptentriones præcipue verſantur; cum frigus ambientis animalium terreſtrium augmento obſtet, ut in *Anglia* noſtra experimur. Nam in montanis frigidis, inque Alpibus *Scoticis* & *Wallicis*, equi, boves, oves duplo triplove minores ſunt iis quæ in vallibus, planis & temperatioribus aluntur: quamvis forte horum Animalium parvitas alimenti inopiæ in parte debeatur. An dicemus cete non ſponte in maria illa ſe recipere, ſed ut navigantium frequentiam vitent, & quiete, cujus amantes admodum ſunt, fruantur? Alias enim in Meridionali oceano in magnitudinem magis proficerent: nam & cochleæ in mari *Indico*, mirum quantum magnitudine noſtras excedunt, ut ex teſtis huc allatis apparet, & alii pariter, ut veriſimile eſt, piſces. Animalium etiam terreſtrium maxima elephas & Rhinoceros regionum calidarum indigenæ ſunt, nec frigidas facile tolerent. Verum ſuus cuique piſcium generi magnitudinis modus a natura definitus eſt; alii enim perexigui ſunt, ut Aphyæ & Pungitii, in quocunque demum climate vivunt, nec in calidiſſimis regionibus inſignem magnitudinem aſſequuntur. Alii in frigidiſſimis etiam in molem notabilem excreſcunt. Quamvis autem modum illum & terminum excedere non poſſunt; magna tamen differentia eſt inter maximos & minimos ejuſdem ſpeciei: quique tam in calidioribus quam in frigidis libenter degunt in calidioribus majores evadere ſolent. An vero ut in terreſtribus, ſic etiam in Aquatilibus dentur aliquæ ſpecies belluarum, præ aliis omnibus magnitudine inſignes, Oceani Meridionalis propriæ, & calidiorum tantum aquarum patientes, me neſcire fateor.

CAP. XI.

De Diviſione Piſcium.

R*ondeletius* piſces, à locis in quibus naſcuntur & degunt ſumpta differentia, in θαλαττίους ſeu *marinos*, ποταμίους ſeu *fluviatiles*, λιμναίους ſeu *lacuſtres*, & τελματιαίους ſeu *paluſtres* dividit. *Marinos* in πελαγίους, qui procul à litore in alto profundoque mari degunt, quales ſunt Thynni, Lamiæ, Zygænæ, Amiæ, &c, αἰγιαλώδεις ſeu *litorales*, qui muco eluvieque maris, iiſque purgamentis quæ in continentem undarum fluctibus propelluntur, vitam ſuſtinent: & πετραίους ſeu *Saxatiles*, qui meliore purioreque gaudent pabulo, & proinde ſalubriores habentur.

Hanc ego diviſionem minus probo 1. Quia ſeparat eos qui ejuſdem generis ſunt, hoc eſt qui & figura corporis & pinnarum numero ac ſitu aliiſque accidentibus generum characteriſticis conveniunt, Salmones v. g. à Truttis, Anguillas à Congris, Muſtelas marinas à lacuſtribus, ut alios quamplurimos omittam. 2. nonnulli in aquis ſalſis & dulcibus promiſcue

miscue degunt, ut Alosæ, Mugiles, Sturiones &c. anadromi dicti. 3. Quinam *pelagii* sunt, qui *saxatiles*, qui *littorales*, cognitu perquam difficile est: & forte in eodem genere alii *saxatiles* sunt, alii *pelagii*.

Quod si piscium differentiæ à loco sumantur, rectius, me judice, primo in marinas, aquarum dulcium incolas, & anadromos dictos, hoc est, à mari fluvios subeuntes, dividentur: Deinde aquarum dulcium incolæ in fluviatiles, lacustres, palustres & promiscue viventes seu fluviis, lacubus, stagnis communes, cujusmodi sunt *Lucius, Perca, cyprinus* aliique.

Rectius, nostra sententia, pisces in genere ab *Aristotele* dividuntur in *Cetaceos, Cartilagineos* & *Spinosos*. *Cetacei* sunt qui Quadrupedum viviparorum more pulmone respirant, coeunt, concipiunt, vivos fœtus pariunt & lacte alunt. *Cartilaginei* sunt, qui ova intus concipiunt majuscula, Avium modo, eaque in utero fovent & excludunt adeoque vivos fœtus pariunt. *Spinosi* sunt qui spinas in carne habent ad eam fulciendam, & ovipari sunt. eorum ova exigua sunt. Hæc sane piscium divisio satis proba est, & minime rejicienda. Verum quoniam Cartilaginei cum spinosis conveniunt in eo quod branchiis respirant, & unicum tantum cordis ventriculum obtinent, commodius nobis visum est, eos dividere primo in pulmone respirantes h. e. Cetaceos, & branchiis respirantes; deinde branchiis respirantes non in cartilagineos & spinosos, sed in viviparos & oviparos. Viviparorum nomine σελάχη *Aristoteli* dictos intelligo, *qui* ἔσω μὲν ᾠοτόκοι εἰσὶ, ἔξω δὲ ζωοτόκοι. Hi multis insignibus notis ab aliis piscium generibus distinguuntur. Coeunt enim modo sibi peculiari, deinde ova concipiunt grandia avium instar, quæ intus in utere fovent & excludunt, adeoque vivos fœtus edunt. Sunt equidem hi omnes cartilaginei, verum ego à generationis modo potius, quam cartilaginibus piscium differentias sumendas puto; ideoque nec hoc genus à cartilaginibus denominandum, præsertim cum alii quoque pisces qui generationis modo cum spinosis dictis conveniunt, pro ossibus cartilagines habent, ut *Sturio, Attilus*, &c.

Branchiis respirantes viviparos [σελάχη] divido in *longos* & *latos*; *longi* sunt Galei & canes dicti; *lati* Pastinacæ, Raiæ, Squatinæ &c. quorum omnium divisiones inferius dabimus, capite de *Piscibus cartilagineis in genere*.

Pisces branchiis respirantes ovipari numerosissimi sunt, quocirca in plura eos genera distribuemus. Sunt ergo vel in latus projecti seu plani, vel dorso erecto natantes. In latus projecti, plani spinosi vulgo dicti, sunt vel *quadrati*, ut Rhombus & Passer, vel *longiusculi*, ut Solea.

Dorso erecto natantes sunt adhuc vel *longi* & *lubrici*, squamis quoque carentes quos *Anguilliformes* ob similitudinem appellamus, vel corpore contractiore seu breviore & minus lubrico. Ex iis qui corpore sunt contractiore & minus lubrico, alii pinnis ventralibus carent, hoc est unicum tantum ad branchias pinnarum par obtinent: Hujusmodi sunt orbes dicti & congeneres: alii duo habent pinnarum paria, alterum ad branchias, alterum in ventre. Hos clarioris doctrinæ gratia in duo genera dividemus. Primum erit eorum qui nullas in dorsi pinnis spinas seu radios aculeatos obtinent, verum molles & flexiles omnes. Secundum eorum quibus radii aliqui spinosi pinnis dorsi insunt. Primum genus ulterius adhuc dividi potest pro numero pinnarum dorsi in eos 1. qui tres in dorso pinnas gerunt, 2. quibus duas in dorso pinnas: 3. qui unicam in dorso pinnam obtinent. Qui tres in dorso pinnas gestet, præter Asellos nullum piscem novimus: eorum qui duas in dorso pinnas habent præter nonnullos singulares, qui nec inter se nec cum aliis

conveniunt, duæ tribus sunt satis numerosæ, nimirum 1. truttacea, cujus nota characteristica est pinna adiposa parva, nullis nervis aut vadiis intertexta, in extremo fere dorso: 2. Gobionica (si ita loqui liceat) vel Cobitis; cujus characteristica est pinna ventralis simplex; secundi nempe paris seu ventrales pinnæ in unam coalescunt. Quibus unica tantum est in dorso pinna in triplici sunt differentia, aliis enim longa est & continua à summo dorso ad caudam fere, ut Hippuro *Rondeletii* &c. aliis brevior & in medio fere dorso sita, vel circa centrum gravitatis, atque hi vel *marini* sunt, nimirum *Harengiformes*, quorum character linea squamarum servata in medio ventre seu carina corporis secundum longitudinem extensa, vel *fluviatiles*, qui maxillis sunt glabris & edentulis, dentibus in intimo oris recessu seu gutture reconditis, nostratibus idcirco *leathermouthed fishes* dicti. Hujusmodi sunt *Cyprinus* uterque, *Tinca, Barbus, Capito, Leuciscus, Rutilus*, aliique multi.

Secundum genus, hoc est eorum quibus radii aliqui spinosi pinnis dorsi insunt, adhuc duplex est. Aliis enim pinnæ in dorso duæ datæ sunt; & in his pinnæ anterioris radii omnes spinosi sunt; aliis unica tantum pinna concessa est, ejus autem radii anteriores spinosi sunt, posteriores molles. Sunt tamen forte unus vel alter hujus generis quibus radii omnes pinnæ dorsalis spinosi sunt.

CAP. XII.

Piscium Anglicorum, qui ad notitiam nostram pervenerunt, Catalogus.

Cartilaginei longi.

1. Canis charcharias seu Lamia *Rondeletii* & aliorum. *The white Shark.*
2. Galeus glaucus *Rondeletii* & aliorum. *The blew Shark.*
3. Canis galeus *Rondeletii* & aliorum. *Cornubiensibus*, ni fallor, *A Tope* dicitur.
4. Galeas acanthias sive spinax. *The picked Dog or Hound-fish.*
5. Galeus seu Mustelus lævis. *The smooth and unprickly Hound-fish.*
6. Catulus major vulgaris, Canicula *Aristotelis*. *The rough Hound in* Cornubia, *The Bounce.*
7. Catulus minor. *The lesser rough Hound-fish or Morgay.*

Cartilaginei plani.

1. Raia lævis undulata. *The Skate or Flare.*
2. Raia clavata. *The Thornback.*
3. Raia aspera nostras *The white Horse.*
4. Squatina. *The Angel or Monk-fish.*
5. Rana piscatrix. *The Toad-fish or Sea Divell.*

Spinosi plani.

1. Rhombus maximus asper non squamosus. *The Turbot or Bret.*
2. Rhombus non aculeatus squamosus. *Cornubiensibus*, *Lug-alefe* dictus.

3. Passer

3. Passer *Bellonii.* *The Plase.*
4. Passer asper sive squamosus *Rondel.* *The Dab.*
5. Passer fluviatilis seu amphibius. *The Flounder or Fluke, or But.*
6. Hippoglossus *Rondel.* *The Holy but, called in the North the Turbot.*
7. Buglossus seu solea. *The Sole.*

Anguilliformes.

1. Lampetra major. *The Lamprey or Lamprey-Eel.*
2. Lampetra parva & fluviatilis. *The Lampern.*
3. Anguilla. *An Eel.*
4. Conger. *A Conger or Sea-Eel.*
5. Ammodytes *Gesneri.* *The Sand-Eel or Launce.*
6. Gunnellus *Cornubiensium.* *The Butter-fish.*
7. Mustela vulgaris *Rondel.* *The Sea-Loach, or Whistle-fish.*
8. Mustela fluviatilis. *The Eel-pout or Burbot.*
9. Lupus marinus *Schonfeld.* *The Wolf-fish or Sea-Wolf.*
10. Alauda non cristata. *The Sea-lark, called in* Cornwall *Mulgranoc and Bulcard.*
11. Alauda cristata. *The Crested Sea-Lark.*
12. Liparis *Rondeletii.*
13. Gobio fluviatilis. *The Bull-head, or Millers-thumb.*
14. Scorpanæ *Bellonii* similis. *The Ducth Potshoest, Father-Lasher* pueris *Cornubiensibus.*

Pinnis ventralibus carentes.

1. Mola *Salviani.* *The Sun-fish.*
2. Acus *Aristotelis* species major.
3. Acui *Aristotelis* congener. *The Sea-Adder.*
4. Xiphias seu Gladius piscis. *The Sword-fish.*

Non spinosi dorso tripinni.

1. Asellus major vulgaris. *The God-fish or keeling.*
2. *The Whiteing pollack.*
3. Asellus niger. *The Cole-fish or Rawlin Pollack.*
4. Asellus lucus. *The Bib or Blinds.*
5. Asinus Antiquorum Turn. *The Hudock.*
6. Asellus mollis major seu albus. *The Whiting.*

Non spinosi dorso bipinni.

1. Merlucius. *The Hake.*
2. Asellus longus. *The Ling.*
3. Thynnus sive Thunnus. *The Tunny-fish or Spanish Mackrell.*
4. Scomber. *The Mackrell.*
5. Albula Salmoni similis. *The Guiniad.*
6. Albula harengiformis. *The Schelley.*
7. Thymallus. *The Grayling or Umber.*
8. Salmo. *The Salmon.*
9. Salmulus. *The Samlet or Branlin.*
10. Salmo griscus. *The Gray.*
11. Trutta Salmonata. *The Salmon-Trout.*
12. Trutta lacustris. *The Scurf or Bull-trout.* q. an diversa.
13. Trutta fluviatilis duum generum. *The Trout.*

14. Umbla minor *Gesneri. The red charre, or Welch Torgoch.*
15. Carpio lacus *Benaci. The guilt or guilt Charre.*
16. Eperlanus seu viola. *The Smelt.*
17. Gobius niger. *The Rock-fish or Sea-Gudgeon.*
18. Lumpus Anglorum. *The Lump or Sea-Owl.*
19. Cataphractus *Schonfeldii.* Anglis Septentrionalibus *A Dogge.*

Non spinosi unica in dorso pinna.

1. Harengus. *A Herring.*
2. Harengus minor, Chalcis seu Celerimus Gallorum *Bellonio. The Pilchard.*
3. Encrasicholus. *An Anchova.*
4. Alosa seu Clupea. *The Schad or Mother of Herrings.*
5. Sardina. *A Sprat or Sparling*: quæ nihil aliud est quam Harengi fœtus, ideoque perperam pro specie ab Harengo distincta ponitur.
6. Acus vulgaris. *The Gar-fish or Horn-fish.*
7. Sturio. *The Sturgeon.*
8. Lucius. *The Pike or Pickerell.*
9. Cyprinus. *A Carp.*
10. Cyprinus latus seu brama: *A Bream.*
11. Tinca. *A Tench.*
12. Orfus Germanorum. *The Rudde, Oerve or Nerfling.*
13. Capito seu Cephalus. *A Chub or Chevin.*
14. Barbus. *A Barbell.*
15. Leuciscus. *A Dace or Dare.*
16. Rutilus seu Rubellus. *A Roche.*
17. Alburnus Ausonii. *A Bleak or Bley.*
18. Gobius fluviatilis. *Gudgeon.*
19. Cobites fluviatilis barbatula. *A Loche.*
20. Varias seu Phoxinus lævis. *A Pink, Minime or Minow.*

Hi posteriores duodecim fluviatiles sunt, maxillis edentulis, dentibus in imo ore, unde nostratibus *Leathermouthed* i. e. Malacostomi pisces dicuntur.

Spinosi dorso bipinni, pinna anteriore aculeata.

1. Lupus. *The Basse.*
2. Mugil. *A Mullet.*
3. Gurnardus griscus. *They gray Gurnard.*
4. Hirundo *Aldrovandi. The Tub-fish.*
5. Cuculus *Aldrovandi. The red Gurnard or Rotchet.*
6. Lyra prior *Rondel. The Piper.*
7. Mullus major. *The Surmullet.*
8. Draco sive Araneus *Plinii. The Weever.*
9. Trachurus. *The Scud.*
10. Perca fluviatilis. *The Perch.*
11. Faber piscis. *The Dovee.*

Aculeati, unica in dorso pinna, radiis partim mollibus, partim spinosis.

1. Aurata. *The Gilt-head or Gilt-poll.*
2. Pagrus. *The Sea-Bream.*
3. Turdus vulgatissimus. *The Wrasse or Old-wives.* i. e. Vetula.
4. Perca fluviatilis minor seu aurata. *The Ruffe.*

5. Piscis

5. Piscis aculeatus vulgaris seu Pungitius *Alberti*. *The common Stickleback, Bansticle or Sharpling.*

6. Piscis aculeatus minor. *The lesser Stickleback.*

Cetacei Pisces.

1. Balæna *Britannica* Antiquorum, nostrum mare deseruisse videtur: rarius etenim apud nos cernitur, nec bene novimus quoddam genus Piscis fuerit.

2. Balæna vulgaris *Rondel.* *The Whale.* In litore arenoso ab æstu marino destitutus interdum, sed rarius, invenitur.

3. Delphinus Antiquorum. *The Dolphin.* Apud nos rarius cernitur.

4. Phocæna quam *Schonfeldius* Delphinum Septentrionalium vocat. *The Porpesse.*

LIBER SECUNDUS
DE
PISCIBUS
CETACEIS seu BELLUIS *Marinis*.

CAPUT PRIMUM.

De Cetis vel cetaceis Piscibus in genere, ex scriptis Rondeletii *&* Gesneri *præcipue.*

CEtacei pisces, autore *Aristotele,* ii proprie dicuntur, qui magni sunt, & perfectum animal ex semine, non ex ovo gignunt, ut *Delphini, Balænæ, Physeteres.* Quanquam alii tum Latini tum Græci veteres cetaceos acceperint pro grandibus cujusvis generis piscibus. Eosdem Latini *belluas marinas* etiam vocarunt, ab immanitate opinor & magna cum terrestribus similitudine: nam eodem modo concipiuntur & gignuntur, & pulmones habent, renes, vesicam, testes, mentulam: fœminæ vulvam, testes, mammas. Si quis (inquit *Gesnerus*) marinas belluas (aut *l* simplici beluas) pro cetis dicere malit, non impedio; nam cetarium aut cetaceum piscem, non tam de ceto proprie dicto & pulmonibus spirante, quam de maximo pisce branchias habente, ut *Thunno, Lamia* & similibus, acceperim.

Hujus generis pisces in immensam magnitudinem excrescunt: *Juba* in his voluminibus quæ scripsit ad C. Cæsarem *Augusti* filium de *Arabia, Cetos* sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen *Arabiæ* intrasse tradit *Plin.* lib. 32. c. 1. Magnitudinem balænarum *Plinius.* 4. jugerum, id est 960. pedum esse meminit. Ingens

gens enim longitudo 240. pedum à *Plinio* 18. volumine tradita est. *Nearchus* vero 23. pass. balænarum magnitudinem constare tradidit, qui ex insulis ante *Euphratem* cetum mari ejectum 150. cubitorum se vidisse refert. A castro *Wardhuys* litus totum verno tempore procul infestum est *Balænis* vastæ magnitudinis, adeo quod ad 100. perveniant cubitos. *Jac. Zieglerus* in descriptione *Schondiæ*. Innumeræ ubique occurrunt historiæ *cetorum* vel captorum vel in litus ejectorum, quæ eos ingentis magnitudinis esse convincunt. *Delphini, Balænæ* & reliquum cetarium genus (inquit *Aristoteles*, & experientia confirmat) branchiis carent, sed *fistulam* sui pulmonis causa continent, qua humorem quem in ore acceperint respuant. Nam & humorem admitti necesse est, cum cibum in aqua submersum capiant, & admissum emitti pariter necessum est. Edita per summa æquoris fistula dormiunt & spirant hoc genus pisces, pinnas suas movendo leviter. *Cetaria* omnia carent auriculis. *Aristot.* Cetarii generis pisces (prope addit *Wottonus*) omnes resupinati corripiunt escas. *Idem*. Ad litora aut minime profunda loca aut brevia nullum appropinquat, sed in alto versantur. *Ælianus*. Visus omnibus hebetior. *Wottonus*. Omnibus corpora sunt graviora, & motus mari tardior, præter canes. *Oppianus*. At *Delphinos* velocissimos esse *Autores* consentiunt. In universum figura corporis externa piscibus similes sunt, at vero partium internarum & viscerum constitutione & structura cum Quadrupedibus viviparis omnino conveniunt. *Cete* aliquando fluctus haustos ita eructant, ut alluvie nimbosa plerunque classem navigantium deprimant. *Olaus*. Hoc veteres privatim de *Physeteribus* tradunt.

Eodem fere modo capiuntur quo *Gladii* pisces, cujus descriptionem in Gladio vide, ne eadem frustra repetamus. Videsis *Gesnerum* de Aquatilibus, in cap. *de Cetaceis in genere*. *Capiendi modus.*

Duram habent carnem *Cetacea* omnia & excrementosam pravique succi: atque recens eorum caro, ni optime concoquatur, crudi succi plurimum in venis congerit, senibusque cibus omnino inutilis habetur. Quamobrem ipsis sale conditis fere in cibis utimur: ita enim fit ut alimentum quod ex ipsis in corpus digeritur, & tenuius reddatur concoctionique & sanguini generando efficacius. *Wottonus*. *Ichthyophagi* pisces teneriores crudos, ut ex aqua extrahunt, esitant: majores vero durioresque sole siccant & ex aridis molitisque farinam & panes conficiunt, alii *mazas* ex ea farina coquunt. Ditiores apud eos domicilia ex ossibus *cetorum* quos mare expulerit, extruunt, & è latioribus eorum januas parant. Vulgus vero & tenuioris fortunæ homines è spinis piscium suas domos ædificant. *Arrianus libro* 8. Historias huic parallelas è *Plinio, Diodoro, Strabone* &c. vide apud *Gesnerum* loco citato. *Caro qualis.*

Cete, ex quo navigatio in *Indias* orientales occidentalesque frequentata est, pauciora in Oceano *Europam* alluente observantur; nam pleraque in mare septentrionale circa *Groenlandiam* se receperunt; ut procul à strepitu & tumultu navigantium, & piscatorum insidiis degant: sunt enim quietis & tranquillitatis amantes, ingeniosi etiam & callidi; adeoque saluti & securitati suæ consulunt, quam possunt procul à locis hominibus frequentatis aufugiendo.

C A P. II.

De Delphino: e Rondeletii, Geſneri, *& aliorum ſcriptis.*

Nomen. QUI à *Græcis* δελφὶς & δελφὶν, à *Latinis* non mutato nomine *Delphin* vel *delphinus* dicitur; apud *Græcos* nomen retinet hodieque; à vulgo enim δελφίνας effertur. Apud cæteras vero pleraſque *Europæ* gentes, etſi *Delphini* nomen paſſim audiatur, & à pictoribus aliiſque figura ejus effingatur; in oceano tamen eo nomine piſcem nullum norunt piſcatores; aliis enim nominibus barbaris, ſingulæ ſuis, *delphinum* nuncupant. In hoc pleræque gentes conveniunt, quod porcum marinum ſuis vocabulis appellent: & ſane Græca etiam *delphini* nomenclatio ad *delphacem* i. e. *porcum* in eadem lingua ſic dictum accedit. Pinguiſſimum enim eſt animal, & porco terreſtri pinguedine lardoque non cedit, cui & interiora ſimilia habet. Noſtratibus *Porpeſſe* quaſi *Porc peſce*, i. e. Porcus piſcis, communi nomine dicuntur *Phocæna* & *delphinus*, quemadmodum *Germanis* circa *Suerinum* & alibi *Meerſchwein*, id eſt, porcus marinus. Sunt enim inter ſe ſimiles, niſi quod roſtro porrectiore, & anſerini inſtar prominente *delphinus* eſt, & ut plurimum gracilior, magis carnoſus, minus pinguis, major alioqui; *Phocæna* minor, ſed dorſo latiore, roſtro obtuſo, ut icones oſtendunt. *Delphinus & Phocæna ut differant.*

Delphinus autem cognominatur ἱερὸς ἰχθὺς, & παιδεραστὴς & φιλάνθρωπος ab amore quo pueros & homines proſequitur, & *Simo*, quod hoc nomine delectari dicitur.

Delphini partes tum internas tum externas *Rondeletius* diligenter admodum & accurate deſcripſit his verbis.

Deſcriptio. *Delphinus* cetaceus eſt piſcis, corio levi & ſine pilis, ſed duro contectus; corpore oblongo, terete, dorſo repando; roſtro longo, rotundo, reſimo; oris ſciſſura longa, quæ ad unguem clauditur, veluti cervorum os, dentibus parvis acutis, pectinatim coeuntibus; lingua carnoſa, exerta, in ambitu parum ſerrata, [a] mobili, ſuillæ ſimili: oculis magnis, ſed cute adeo tectis, ut pupilla ſolum appareat. Ii non procul ab oris ſciſſura ſiti ſunt, in eadem fere linea. Nullum meatum neque ad adorandum, neque ad audiendum habet, ſi *Ariſtoteli* credimus, cum tamen & odorari & audire certum eſt. At meatus habere quibus audit, nos ex anatome deprehendimus. Hi poſt oculos ſunt, tenues admodum & exigui veluti in vitulis marinis, & multa pinguedine circumtecti, ut vix appareant: ſed in calvaria auris internæ conſtitutio tota manifeſta eſt. Poſt roſtrum ſive ſupra roſtrum *fiſtulam* habet gemi-*Fiſtula.* nam, quæ ad caput arteriæ aſperæ pertingit, foris figura C. Internus ſinus carne quadam molli & pingui oppletur, qua utrumque foramen arcte clauditur; eaque *fiſtula* ante cerebrum eſt, ne quis credat poſt cerebrum eſſe: nam ſpinæ dorſi continuus ductus fiſtula interciperetur. Sed à veteribus dicitur in dorſo eſſe, quia magis ad partem poſteriorem ſpectat quam in *Balæna*, in qua fiſtula magis ad anteriora vergit. Ejus uſus eſt ut per eum reſpiratio fiat, & aqua cum cibo hauſta rejicia-*Pinnæ.* tur. *Pinnis* natat duabus validis, quæ veluti hominis brachia cum omoplatis articulis junguntur: earum muſculi quatuor robuſti dorſo pectorique annectuntur. In medio dorſo pinna unica ſurrigitur, partim oſſea, partim cartilaginea, ſine ullis ſpinis aculeiſve: etſi *Plinius*, *Appion*, *Cauda.* *Pauſanias* ſpinas in dorſo habere dixerint. *Cauda* ex duabus pinnis con-

a Cum *Phocæna* minime mobilis ſit, vereor ne *Rondeletius* in hac *Plinium* ſecutus, erraverit.

ſtat

ſtat, è lateribus ortis, quæ in ſemicirculum ſinuantur. Inferior ventris pars æquali ſpatio à ſeſe disjuncta hæc continet, umbillicum, pudendum, anum. Dorſo eſt nigro, ventre candido: cute ſpiſſa & firma, ſed molli ob pinguedinem quæ ſubeſt, veluti in porcis terreſtribus. *Caro* eſt nigricans, ſuillæ vel bubulæ ſimilis. Non ſpinis vel cartilagine, ſed oſſibus ſuſtinetur. *Caro.* Sub peritonæo partes quæ ad nutritionem & generationem conformatæ ſunt, ad quadrupedum terreſtrium magis quam ad piſcium partes accedunt. Nam *epiploum*[a] habet ſed minus pingue quo ventriculus & inteſtina incaleſcunt & foventur. *Ventriculum* magnum cum ad juſtam magnitudinem accreverit: in recens nato exiguus eſt, & geminus videtur. *Partes interna.* Ejus fundo *pancreas* hæret; deſinit in inteſtina, quæ in multos gyros convolvuntur, eadem fere ubique craſſitudine, præterquam in extremis, quæ mediis paulo ſunt latiora. *Meſenterium* vertebris annectitur, glandulas nigras, venas arteriaſque intertextas gerens. *Lien* in recens natis magnus pro corporis ratione, in adultis parvus & niger. *Lien.* *Hepar* coloris ſanguinei ſepto tranſverſo annexum, ventriculum totum complectens, in duos lobos diviſum. In cava parte umbilicalem venam habet, quo loco vena portæ exoritur. A gibba parte cava vena prodit, ſurſum & deorſum ramos quamplurimos mittens. *Fel* nullum conſpicitur. *Fel.* *Renes* venæ magnæ trunco arteriæque magnæ per emulgentes alligantur; ſunt proportione corporis ampliſſimi, inter hepar & teſtes ſiti, numeroſis carunculis racematim compactis veluti acinis conſtantes. *Renes.* *Urina* per ureteres in veſicam percolatur; quæ terreſtrium animalium veſicis ſimilis ſit, aſt in inferiore ventris parte. In iis qui utero adhuc geſtantur in urachum deſinit, per quem urinam deponit in allantoidem tunicam ad diem uſque partus. Editi in lucem per pudendum urinam ſicut terreſtria emittunt, & per muſculum ſphincterem retinent. Uracho arteriæ umbilicales adhærent, arteriæ magnæ ramis inferioribus inſertæ. Utrinque ſunt *teſtes* oblongi, quibus præparantia vaſa præpoſita ſunt, infiniti ſcilicet venarum & arteriarum è magna vena arteriaque ortarum ramuli, qui poſt varios & multiplices anfractus in Epididymin inſeruntur...... *Teſtes.* Ex his, meatu urinario, & nervo cavo *genitale* conſtat humano ſimile, cujus extremum foris perpendet, in glandem tenuem, linguis avium ſimilem deſinens, quæ præputio non omnino integitur, intus replicatum latet, ad Veneris uſum exeritur. Venas ſuas, nervos, arterias idem pudendum habet; oſſi innititur quod oſſi pubis proportione reſpondet. Thorax coſtis veris & mendoſis, ſterno, vertebris, muſculis conſtat, cujus capacitatem *pulmones* magni complent, denſiore ſubſtantia quam in terreſtribus; craſſitudine & colore hepar Quadrupedum referunt, *Pulmones.* tum ne aqua in rariorem ſubſtantiam altius penetrans ejici non poſſit, tum ne in magnis expirationibus, quibus in aquis fere ſemper uti coguntur, tenuior ſubſtantia facile diſrumperetur. Hi in duas partes diviſi ſunt, parte inferiore adeo graciléſcunt, ut membranam eſſe affirmes. Undique *cor* complectuntur pericardio incluſum, in medio thorace locatum, nulla in re porcorum cordi abſimile: duos ſinus, totidem auriculas, denique ſimilia omnia habet. Adhæc aſperam arteriam, œſophagum, muſculos, & quæcunque in terreſtrium corporibus ſunt, clavicula exempta, reperire eſt. *Caput* cum vertebris articulatur. *Cerebri* diſpoſitio eſt diverſa: nam in anterius & poſterius diviſum eſt, non in dextrum & ſiniſtrum, ut in homine. *Nervorum* conjugationes ex eo naſcuntur, plexus χοροειδὴς in eo, rete mirabile; meninges duæ pro integumento.

In fœminis *vulva* cervicem palmum unum longum habet: ea deinde in ramos duos diſtribuitur, veluti in quadrupedibus terrenis videre eſt: *teſtes* ad uteri cornua poſiti, *pudendum* inter umbilicum & podicem.

a Mirum hoc. *Phocæna* enim, huic congener piſcis, *Epiploo* caret.

Generatio. Fœtum ex femine concipit, sine ovo, & perfectum in lucem edit, singulos uno partu, interdum tamen & binos, uterum gerit decem mensibus. Æstate parit, nec ullo tempore alio, ut recte scripsit *Aristoteles* Hist. anim. lib. 6. cap. 13. Nam cum hæc scriberem è matris utero fœtum vere extraxi; alterum *Octobri* mense dissecui, in cujus utero tum primum formari cœptos catulos inveni. Chorio, amnio, allantoide tunicis, fœtus in utero involvitur: sanguine nutritur per venas umbilicales, spiritum per arterias easdem trahit. *Hæc fuit antiquiorum Anatomicorum sententia, verum recentiores sanguinem ad partes alendas, (si modo sanguine alantur) per arterias derivari observarunt non per venas, quæ refluo solum & à nutritione residuo excipiendo, & ad cor deferendo inserviant.* Denique eodem plane modo quo quadrupes animal vel homo in utero concipitur, & nutritur, & in lucem editur. Coeunt *Delphini* supinis partibus admotis mutuis amplexibus inhærentes, hominum more. Id quod à me aliquando in mari nostro spectatum est. Lacte nutriunt catulos, gestantq; eosdem infirmos, adultos diu comitantur. Adolescunt autem celerrime, quippe annis decem ad summam perveniunt magni-

Ætas. tudinem. Vivunt annis compluribus. Constat enim nonnullos vixisse annis 25, alios 30. quod cognitum fuisse testatur *Aristoteles* præcisa à piscatoribus cauda, ut quos ita reddidissent mari, captos iterum agnoscerent, & spatium temporis scirent. Dormiunt rostro sublato, sive fistula elata per summa æquoris, qua etiam spirant, pinnas suas leviter movendo: stertentes etiam leviter audiere nonnulli.

Certissimum & hoc esse futuræ tempestatis prognosticum aiunt, ubi in maris superficiem frequentius se vibrent, & quodammodo colludant.

Pugna cum Amiis. Quæ de Amiarum cum *Delphinis* pugna ab autoribus tradita sunt, vera esse comperimus: siquidem utrorumque agmina ad *Hellesponti* fauces spectabili prælio dimicantia vidimus, inquit, *Bellonius*: sed omnium qui nobiscum in navi erant judicio, *Delphini* victoriam consecuti sunt: ea scil. conjectura, quod *Delphini* Amias vi compellere & præ se agere viderentur.

Error de figura. Falluntur plurimum, qui tales putant esse *Delphinos*, quales in antiquis marmoribus & numismatis [aut etiam Diversoriorum insignibus] depictos vident, hoc est repando dorso incurvos atque inflexos: id enim statuariorum aut pictorum libido effecit potius, quam ut aliqua nos ad id credendum ratio adducere posset. Verum quidem est ingruente tempestate, dum saltantes *Delphini*, atque ab undis exilientes, in mare præcipites ferri conspiciuntur, nostros oculos fallere solent, atque incurvum quiddam præ se ferre. *Idem.*

Amor in pueros. *Delphinum* homini amicum animal esse *Plinius* aliique veterum tradidere, nec hominem expavescere ut alienum, verum obviam navigiis venire alludere exultantem, certare etiam, & quamvis plena præterire vela, verum & musica arte mulceri symphoniæ cantu, & præcipue hydrauli sono. *Delphinum animal ingeniosum esse & docile, vel sola cerebri magnitudo convincit; nec dubito, quin facile cicurari possit, ut etiam sibilo inclamatus accurrat: nihilominus vix fidem apud me inveniunt quæ de* Delphinorum *in homines, præsertim pueros, amoribus feruntur historiæ, cum nihil ejusmodi nunc dierum observetur.*

Velocitas. Celeritatem *Delphinorum* ego ipse (inquit *Bellonius*) in mari observavi, & navem nostram pleno velo & secundis ventis ocyssime invectam *Delphinos* celeritate vincentes animadverti: quæ tanta est, ut nullius sit major in aere volucrium. Hujus autem velocitatis causam non equidem pinnas fecerim, quæ ad tanti corporis molem exiguæ sunt, sed corporis duntaxat pondus: imo (inquit *Gesnerus*) robur & vires corporis, quibus vibrare seipsum, & nervorum agili contentione, tanquam ejaculari potest: ut non sufficiat robur per se tantæ celeritati, nisi accedat agilitas, neque contra. Robur autem non in

in corporis magnitudine, sed in tendinibus & nervis maxime positum est.

A *Græcis* qui circa *Propontidem* habitant accepi, *Delphinos* etiam instar aliorum quorundam piscium migrare, è mari *Mediterraneo* videlicet Septentrionem versus *Hellespontum* & *Propontidem* emetiri, & *Euxinum* ingressos certo tempore immorari; tum denuo loca prius relicta repetere. *Bellonius.* *Migratio.*

Extra aquam diutius vivere possunt, quam intra aquam, si prohibeantur respirare: nam & retibus inclusi aliquando suffocantur. *Arimini* captus nostra memoria, tres dies in terra vixit. *Gesner.* *Diu extra aquam vivunt.*

Delphini alias gregatim natant, alias mas & fœmina simul; nunquam vero solitarii. *Bellonius.*

Nomen *Simonis* omnes miro modo agnoscunt, maluntque ita appellari (*quam Delphini*) *Plinius.* Hoc quidem ipsum non esse fabulam expertus sum cum ad *Antipolim* urbem *Provinciæ Narbonensis* navigarem, & *Delphinum* vel longinquo intervallo contenta voce *Simonem* appellarem, confestim ad me prope accessit, ut manibus attingere potuissem. *Gillius. Quamvis autor fide dignus sit, hoc tamen ut credam ægre inducor.*

A captis *Delphinis* (inquit idem) tanti fletus gemitusque fiunt, ut cum in navi, ubi permulti *Delphini* tenebantur, pernoctarem, mihi acerbissimum dolorem incusserint: adeo eos animadverti humano gemitu & lamentatione & magna lachrymarum vi suam conditionem deplorare, ut ego hujusmodi piscium misericordia lachrymas tenere non potuerim: ut proximum quem magis gemere sentiebam dormiente piscatore in mare abjecerim: malui enim lædere piscatorem quam mihi ad pedes stratum quasi supplicantem non sublevare. Sed nihil promovi hoc abjecto; reliqui alii magis magisque gemitum auxerunt, ut non obscuris signis mihi petere viderentur similem liberationem. Itaque totam noctem in acerbissimo luctu versatus sum.

Delphinum in mensas principum venire magnoque in pretio esse in principum aulis vidimus, sæpeque mirati sumus: cum ferinus ille odor omnem cibi gratiam (si qua sit) ingratissimam reddat. Apud nos fossores ipsi atque infima plebs omnino abstinent, hinc fit ut rarius in foro nostro conspiciantur venales. *Rondeletius.* Nec à nostratibus in cibum recipiuntur, nisi forte à pauperculis egestate compulsis. *Caro qualis.*

Delphini à *Marsuino* seu *Phocæna* hac nota distinguuntur, quod illis oris magna sit ad ventrem scissura, quo id esset patentius. Phocæna vero positum quidem in promptu habet os, sed sine magna ad ventrem scissura; cujusmodi os habent pisces omnes quibus Phocænæ simile caput est, id est, crassum latumque. *Rondel.* lib. 3. cap. 2. *Delphini à Phocænis ut differant.*

CAP. III.

Phocæna Rondeletii, Gesn. *p.* 838. *Phocæna seu Tursio* Bellonii & Scaligeri. *Cimbris* Marsuin *vel Porcus marinus*: *Angl.* A Porpesse.

Phocænam Aristoteles, Plinii Tursionem esse *Bellonius, Julius Scaliger, Gesnerus*, aliique existimant, nec repugnat *Rondeletius. Schoneveldio Phocæna* Delphin Septentrionalium vocatur. Verum, ut in Delphino monuimus, piscatores in Oceano Delphinum à *Phocæna* non distinguunt, sed utrumque eodem nomine appellant, Galli *Marsovin*, Angli *Porpesse* *Nomen.*

Porpesse &c. Nec enim Delphinus Oceano deest; siquidem *Scaliger* & *Bellonius*, tum *Phocænas*, tum Delphinos *Lutetiam* in forum subinde vænum afferri scribant; quamvis Delphinos rarius, ut quadrupla sit præ ipsis *Phocænarum* copia. *Phocænæ* autem nomen *Gesnerus* à *Phoca* factum conjicit, quod similiter ut illa propinguis sit, lardoque abundet.

Anno Dom. 1669. circa finem *Aprilis*, cum *Cestriæ* essemus, quo Reverendissimum Episcopum D. *Joannem Wilkins* tum primum Cathedralem ecclesiam & sedem *Cestriensem* adeuntem, comitati fueramus, ad Palatium Episcopale, commodum allatus est hujus generis piscis, à piscatore quodum captus in arenoso maris litore, loco vadoso ubi æstus eum destituerat, qui quoniam parvus erat & facile tractabilis ab *Episcopo* coemptus, nobisque traditus est describendus.

Dimensio. *Longitudo* totius à summo rostro ad ultimam caudam trium erat pedum & septem digitorum. Mensura maximæ crassitiei, seu longitudo lineæ corpus qua crassissimum erat ambientis, pedum duorum & sesquidigiti. A summo rostro ad fistulam seu foramen in medio capite digiti erant $5\frac{1}{2}$; ad angulos rictus $3\frac{3}{4}$, ad oculos 5 fere, ad initium pinnæ dorsalis 19; ad annum 31. Pinnæ dorsalis altitudo $3\frac{1}{2}$ erat digitorum, latitudo 5; radii ejus cartilaginei, crassi, minime tamen spinosi pinnarum ventralium seu pectoralium cujuslibet altitudo 6 digitorum, latitudo [ad exortum] $2\frac{1}{2}$. Ab extremo inferioris mandibulæ ad initium pinnarum in pectore $9\frac{1}{2}$. erant digiti; ad initium rimæ seu vaginæ penis 21. fere; ab uno ad extremam caudam 11. Latitudo corporis ad radicem caudæ $2\frac{1}{2}$. digitorum erat caudæ ipsius inter extremos angulos 11. distantia oculorum $8\frac{1}{2}$; pinnarum pectoralium 5. Rima penis 3. digitos longa.

Figura. *Figura* est teretiuscula, versus caudam continue angustior, coni in modum; ad radicem caudæ compressus: *Rostrum* ei porrectius & acutius quam *Rondeletii* icon repræsentat, validis donatum musculis ad eruendos ex arenis pisciculos. *Cutis.* *Cute* tegitur tenui, levi, nullis squamis munita, [quin potius tenera & facile vulnerabili pro indole balænarum.] *Color.* Dorsum obscure cœrulescit aut nigricat; à medio laterum incipit albescere. Maculas illas nigras & strias tenues in albedinem evanescentes, quibus pulcre distinguebatur in concursu horum colorum secundum longitudinem Phocæna *Joanni Danieli Majori* descripta [a], in nostra non observavimus.

Fistula. Nec branchias habet, nec foramina branchiarum loco. In vertice seu medio capite *fistula* seu spiraculum amplum figura semilunari aperitur, quæ interius in duas velut nares septo osseo [cujus apex est instar cristæ galli] dividitur, tandem vero naribus iterum coeuntibus, *fistula* uno foramine in imo ore supra œsophagum terminatur: verum orificium illud valido sphinctere, quo claudi & aperiri queat munitur. Quinetiam *fistula* summa quoque parte, antequam in duo foramina narium æmula dividitur, glandulosa carne intus cingitur, quæ è plurimis foraminulis ceu papillis liquorem quendam in cavitatem fistulæ excernit: præterea etiam summæ nares cute quadam robusta Epiglottidis æmula obturantur, ne quid invito pisce liquoris influere possit. Præter nares sex cæca foramina observavimus, quatuor versus rostrum tendentia, duo scil. supra narium operculum, in cavitatem satis amplum dilatata, duo infra operculum, cavitate minore: versus cerebrum duo, cavitate intus non ampla sed longa, ad usum odorandi, ut quidem suspicamur. *Oculi.* *Oculi* pro piscis mole exigui, saltem quatenus exterius apparent; nam palpebris resectis grandiores videntur. *Dan. Major* humanos magnitudine æquare scribit, eorumque humores parum aut nihil differre ab hu-

[a] *Ephemer. German.* An 3. Obs. 201.

moribus

moribus in oculis hominum. *Auditus foramina* [inquit, *Idem*, nam nobis non observabantur] parva & tanquam punctula tantum cuti insculpta, sub quibus vero ossa petrosa maxima subjacent, quod & nobis observatum. Rictus mediocris, limbo ejus undique glabro. *Dentes* parvi in utraque maxilla 48. quo in numero *Dan. Major* nobiscum etiam consentit, pulchra serie (inquit ille & verum est) ita dispositi, ut inter spatiola illorum excipiantur dentes maxillæ oppositæ, acuti omnes, & quod mirum, obscure mobiles. *Lingua* plana, glabra; paris ubique latitudinis ad apicem usque, per circumferentiam ad margines crenis leviter incisa & quasi pectinata; [superne etiam circa intimiorem sedem faucium aspera] oris pavimento per totam longitudinem firmiter adnexa, & minime mobilis; contra quam *Plinius* & *Solinus* de Delphino scribunt.

Meatus auditorii. *Dentes.* *Lingua.*

Tres tantum præter caudam *pinnas* habet, unam in medio dorso, duas in thorace, quas scapulares merito dixeris, post branchialium in aliis piscibus situ. *Cauda* leviter forcipata, seu ex duabus pinnis composita, situ plane contrario aliorum piscium caudis, hoc est transverso ad piscis latitudinem, seu ad horizontem parallelo. Hinc defectum secundi pinnarum paris supplet, & ascensum piscis ad summam aquam, (qui ob respirandi necessitatem frequens sit oportet) plurimum promovet.

Pinnæ. *Cauda.*

Abdomen totumque reliquum corpus copiosa pinguedine, Quadrupedum adipi seu *lardo* simili, ad digiti minimum crassitiem undique obducitur: cujus multiplex pisci usus est, nimirum primo ad corpus in aqua librandum, ne pondere suo subsidat & fundum petat, adeoque non sine labore & difficultate in summas aquas emergat. Cum autem *Phocænæ* aliquoties fundum petere piscandi cuasa, aliquoties respirationis gratia in altum enatare necessarium sit; oportet omnino ut corpus mediis aquis æquiponderet, quo piscis minimo labore aut nisu ascendat descendatve. Deinde ad corpus muniendum contra ambientis frigus, quod alias calorem naturalem facile extingueret, tandem (quod in idem recidit) ad calorem corporis continendum seu coercendum, ne per poros cutis evaporet; quem usum hyberno tempore nobis præstant stragula & vestimenta, hæc enim non tantum frigus externum, arcent, sed calorem internum, qui alias in auras facile evaporaret, cohibent & repercutiunt, adeoque augent & intendunt. Infra pinguedinem caro musculosa est satis crassa, rubra, humanæ aut porcinæ similis. Musculis abdominis subest *peritonæum* validum, intestina continens. *Omentum* nullum. *Ventriculus* triplex seu in tres sacculos divisus, duos anteriores majores, tertium minorem. In primo ventriculo Ammodytas aliquot *Sand-Eels* dictos, nec ullos præterea pisces, invenimus. [In pisce *D. Majori* descripto ventriculus primus candicabat, interne rugis magnis præditus, in quo cibi solidiores primum in frusta aliqua discerpuntur: Quippe spinas piscium, tellinas parvas aut testacea alia, & ex crustatis Locustarum particulas arenulasque continebat. Alter rubicundus erat, rugas utcunque subtiliores & ordinatiores habens, sed vacuus. Tertius planior & velut additamentum reliquorum, colliquamentum chylosum livido-albescens continens.]

Lardum. *Partes interna.*

Intestina mesenterio annexa longissima, majora quo ventriculo propiora, plurimis anfractibus tortuosa, 48. pedum mensuram implevere. Tenuium & crassorum distinctio nulla, nec ullum *cæcum* aut appendix intestinalis. Glandula mesenterii media longa, ampla. *Pancreas* magnum, ventriculo tertio arcte adhæret, in quem etiam ductu satis grandi depletur. *Hepar* modicum, integrum & vix divisum in lobos, in dextro hypochondrio situm. *Vesicula fellea* nobis indagantibus nulla comparuit, & Delphinos fel non habere *Plinius* tradit. *Lien* perexiguus, subrotundus, ut in avibus. *Renes* ampli, plani, oblongi, dorso

Intestina. *Pancreas.* *Hepar.* *Lien.* *Renes.*

 affixi-

affixi, ex plurimis granulis seu lobulis juxtim positis & contiguis velut acinis conglomerati. *Ureteres* per totam renum longitudinem extensi ab infima seu extrema parte exeunt; & non dilatantur in pelvim ut in quadrupedibus. *Vesica urinaria* pro piscis mole parva figuræ conicæ, ad cujus latera duo ligamenta rotunda, ex arteriis umbilicalibus degenerantibus facta. *Penis* longus, in vaginam penitus reductus latitat, rima tantum externe conspicua, adeo ut piscem ante quam eum dissecuerim pro fæmina haberem; intra vaginam in S. literæ figuram flexus, acuta & tenui glande. *Testes* intra cavum abdominis in hypochondriis siti, figura productiore elliptica, substantia interna Quadrupedum testibus similes. *Epididymides* quoque secundum testium longitudinem decurrentes, sed tenues; corpora varicosa, vasa præparantia & deferentia, ut in Quadrupedibus. Paulo supra collum vesicæ vasa seminalia plurimis foraminulis in urethram exonerantur: præ aliis eminent quatuor foramina in caruncula subrotunda. Lateribus urethræ paulo supra collum vesicæ adjacent duæ glandulæ prostatæ, longæ, parva intus cavitate seu canali.

Ureteres. *Vesica Urinar.* *Penis.* *Testes.* *Epididymides.*

Diaphragma musculosum & Quadrupedum omnino simile, eodemque modo costis annexum. *Cor* amplum pericardio inclusum, duobus ventriculis, valvulis semilunaribus & mitralibus instructis, ut in Quadrupedibus. Auriculæ cordis grandes: foramen ovale clausum: venæ & arteriæ coronariæ: in universum tota cordis & pulmonum structura Quadrupedibus respondet, nisi quod *pulmones* majores sint & densiores solidioresve, partim ne aquæ externæ pressuræ facile cedant aut collabantur, & ut expirationi validæ sufficiant, partim ut majorem aeris copiam contineant, qui pisci dum diutius sub aquis manet satis sit. *Aspera arteria* brevis, ampla, in duos mox ramos dividitur, & in pulmones distribuitur. Laryngis cartilagines oblongo collo velut aqualis aut gutti in œsophagum procurrunt, structura singulari.

Diaphragma. *Cor.* *Pulmones.*

Cerebrum & *cerebellum* qualia Quadrupedibus, verum in longitudine multo contractiora: at quicquid longitudini deest latitudo abunde compensat. Mirum quod nec nervos olfactorios, nec processus mammillares invenerimus. *Nervi optici* post concursum suum intra cranii cavitatem, ad duos plus minus digitos arcuatim incedunt: nam oculi ad notabilem à basi cerebri distantiam siti sunt. Præter opticos sex alia intra cranium nervorum paria observavimus. Cæterum tum *cerebrum* tum *cerebellum* perampla sunt, & figura dempta Quadrupedum similia, ut ingeniosos admodum esse oporteat hos pisces; nec à veritate multum abludere videantur quæ de iis feruntur historiæ. *Testes* & *nates* dictas protuberantias in medulla oblongata non observavimus, ob mollitiem & teneritudinem rupta medulla. Eadem cerebri involucra, *dura* & *pia Mater* dicta. *Cranium* eodem modo articulatur primæ vertebræ quo humanum. [Ossa petrosa qualia describit *D. Major*, paulo infra meatum auditorium supra descriptum, irregulariter sinuosa & contorta, ut partim labyrintho, partim conchæ aut turbini comparanda sint. Et notare convenit cranio illa arcte non connecti, sed libera recubare inter carnes & lardum, proxime basin cerebri ac occiput, à latere cranii in sinu temporum.]

Cerebrum. *Cranium.*

Costæ 13. breves & cartilaginibus destitutæ sex, cartilaginibus donatæ septem. Os sterni minimum. Scapularum ossa lata ac plana, tenuiaque, processibus duobus insignia. Quæ præterea observavit *D. Joannes Daniel Major*, videri possunt in *Ephemer. German. Medico-Physic. an* 3. *ob.* 20.

Costa.

Viscerum omnium, partiumque generationi inservientium structura & constitutione cum viviparis animalibus terrestribus convenit, ut singulas percurrenti manifestum fiet. Piscis hic validissimis rostri musculis, ad arenas in fundo maris subruendas, & pisces inibi latitantes capiendos

piendos comparatos, necnon copioso sub cute lardo porcum terrestrem refert, unde non immerito Germanis *Meerschwyn* i. e. Sus maris, & nostratibus *Porpesse* vocabulo ex porco & pisce efficto nominatur.

Caro Delphinorum similis apud nostrates nullo est in pretio. *Caro.*

Ex quo hæc conscripta erant in lucem venit Anatomia *Phocænæ* D. *Tyson*, hac nostra accuratior & perfectior; in qua inter alia hæc observavit; 1. *Omentum* satis largum, non extensum supra intestina, sed contractum & laxum inter stomachum & intestina; 2. *lienem* è multis lobulis distinctis conglomeratum; 3. *ductum pancreaticum* duodenum infra pylorum intrantem, succumque suum evacuantem; 4. *glandulosam substantiam* non procul ab ano cum ostiis suis & ductibus se exonerantem in intestinum rectum; 5. *Hepar* integrum absque ullis lobulis; 6. *diaphragma* penitus musculosum sine membranosa tendine in medio; 7. *glandulosum corpus* ex utroque latere spinæ dorsi; 8. *pinguedinem* seu *glandulosam substantiam* in larga cavitate maxillæ inferioris, quæratur an in hujusmodi receptaculo generetur sperma ceti; 9. in *cerebro* nates, testes, infundibulum, glandulam pituitariam; 10. vasa præparantia, Ovaria, tubos fallopianos, uterum, pudendum, ubera; *Bartholinus* invenit in gravida phocæna placentam, chorion, Amnion, Allantoiden, & funiculum umbilicalem; in ipso fœtu venam, arterias umbilicales, urachum, canalem venosum, canalem arteriosum, foramen Ovale. Pro osteologia hujus piscis consulatur D. *Tyson* Anatom. phocæn.

CAP. IV.

Balæna Rondeletii, Gesneri *&* *aliorum.* The Whale.

BAlænæ nomen à *Græco* φάλαινα descendit, ut recte *Festus*. *Rondeletius* Balænam vulgo dictam, Mysticetum *Aristotelis, Plinii* Musculum esse contendit, non Balænam veram Antiquorum, quia *fistula* caret; id quod mihi (inquit) omni asseveratione affirmarunt, qui quotannis his belluis insidiantur, & captas in partes secant. *Fistulam* autem veteres omnes uno consensu Balænæ tribuunt. Verum ego *Rondeletium* à piscatoribus deceptum puto; nec enim verisimile est cetaceum piscem hoc est viviparum pulmone respirantem dari qui *fistula* careat. Præterea eundem hunc piscem *Anonymus* quidam in literis ad *Polydorum Virgilium* Tinemutho datis, cum duabus in capite *fistulis* describit, tantum abest ut *fistula* careat. Quod autem piscis is hic sit Mysticetus *Aristotelis* quem *Plinius* Musculum appellat non contradixerim, cum eum describat sine dentibus in ore, eorum vice pilos habentem suillis similes; quæ notæ huic pisci conveniunt. *Nomen.*

Ex quo hæc scripsi, in *Joan. Fabri Lyncei* Expositionibus in Animalia *Novæ Hispaniæ. Nard. Anton. Recchi* forte legendo incidi in descriptionem & historiam cujusdam hujus generis Beluæ circa mensem *Februarii Anni* 1624. non procul à castro *S. Severæ* maritimo, 30 forsan à *Roma* mill. distante, inter duos scopulos ejectæ, sed jam extinctæ; in qua *D. Bernardinus Radi* Eques & Centum cellarum (vulgo *Civita Vecchia*) Architectus nullam se *fistulam* reperisse, cum diligenti tamen examine cadaver piscis perlustrasset & designatum ære quoque evulgasset, *Joanni Fabro* confirmavit. Unde didicimus suspicionibus minime indulgendum esse, sed potius res ipsas inspiciendas & examinandas, multa enim Naturam efficere, quæ præsumptis nostris opinionibus & conjectu-

ris adverſantur. Vel ergo diverſi generis erat Belua illa *Tinemutham* prope in arenas projecta (quod non credo) vel erravit in ejus deſcriptione qui hiſtoriam piſcis ad *Polydorum* perſcripſit. Rogandi ſunt nautæ noſtri qui quotannis *Groenlandiam, Balænas* piſcatum adnavigant, ut diligentius & curioſius hæc obſervent, noſque hoc ſcrupulo liberent. Cæterum reliqua hujus Beſtiæ deſcriptio *Fabriana* minime omittenda eſt, cum non ex aliorum relatu compoſita ſit, ſed oculorum teſtimonio nititur, ſitque *Autor* ille longe eruditiſſimus, & veraciſſimus, nec minus ingenuus quam ingenioſus. Erat (inquit) hæc belua longa palmos (Romanos intellige qui vel ſemipedem ſuperant) 91. craſſa 50. Os longum 16. latum 10. in quo aperto & trabibus ſuffulto, commodum equo inſidens homo ſpatium habere poterat. *Lingua* longa 20. palmos, quæ ex nervoſis craſſiſſimiſque fibris carne rubra intertextis componebatur.

Dentes hic nulli, ſed horum loco videre erat corneas laminas nigriuſculas, ſplendentes & oblongas, veluti ſi tot retortorum gladiorum, quos Acinaces appellare ſolemus, vaginæ coriaceæ eſſent, eo ordine poſitas, ut fiſtulæ illæ ſtanneæ in muſicis diſponi organis ſolent. Harum breviſſima ſemipalmari longitudine erat; cæteris paullatim accreſcentibus, ut longiſſima ſex palmos etiam ſuperaret, ſed craſſitie vix digiti minoris unguem attingeret, latitudine vero ad 4. vix digitos aſcenderet. Hæ omnes ſubtiliore & tenuiore ſui parte ſecundum totam earum longitudinem pilos etiam ſemipalmari longitudine adeo hirtos promittebant, ut meras ſetas porcinas eſſe juraſſes. Quæ tamen, ut ego probe examinavi, aliud nihil erant, quam mera fila ſive productæ fibræ ipſiſſimam illam materiam corneam (ſi tamen corneam appellare licet) conſtituentes. Ubi enim alimentitio glutine hæ compingebantur, ibi cornea ſive coriacea illa ſubſtantia reſultabat, & ubi hæc finiebat, pili iidem ſoli longius excurrebant.

Et quoniam Natura non voluit, ut hæc tam mirabilis dentium forma ac ſeries inſtar aliorum oſſea tota ac duriſſima eſſet, quippe cum dentes hi ſub palato fluctuarent nec alveolis ut alii comprehenderentur, ideo debuerunt ſuperiore qua palatum contingunt parte molliores ac veluti piloſi eſſe inferiore dura, cornea, coriacea ac quodammodo oſſea, utcunque appellare libeat, ſubſtantia præditi, ut alimentum quod devorat beſtia aliquam ibi ſaltem reſiſtentiam reperiat. Sunt enim hi *dentes* diverſo plane modo ſituque quam in aliis contingit, ordinati, per oblongum videlicet palati fornicem porrecti & minime ex imo ſurſum erecti.

In ſolo autem palato ſive ſuperiore maxilla, non (ut vult *Rondeletius*) in utraque mirabilem illum dentium ordinem, figuram & conſtructionem monſtrabat. Inferioris vero maxillæ labrum oſſeum, nigrum, obrotundum, maximæ craſſitiei, ſertis illis reſpondebat, quibus murorum ſummitates coronari ſolent.

Oculorum orbita majori alicui umboni ſive parmæ, pupilla vero tornato ex firmiſſimo Ebeno globo ſimilia cernebantur. Cutis mollitie ac colore Anguillæ pellem æmulabatur. Circa corporis medium duæ ſive alæ, ſive pinnæ, palmorum decem utralibet, prominebant, ubi corpori fixæ hærebant, trium erat latitudo palmorum, quæ finem verſus ſemper decreſcebat. *Cauda* bifurcata, lata decem, & longa 6. palmos. Circa hanc caro mera nervoſaque nec pinguis; ſuperiora autem verſus lardum potius quam caro apparebat, ex quo magna olei copia, lucernarum uſui ſerviens, eliquata fuit. Sub hoc tamen lardo vera ac rubicunda caro latebat.

Similis ſed ingentior bellua Anno 1620. circa *Corſicam* & ipſa jam mortua reperta fuit longa pedes 100. Solum lardum ſive carnea pinguedo pendebat librarum 135. millia. Pro extrahendi inteſtino recto niſu

nisu maximo & conjunctis viribus 17. viri fortes operam suam impendebant. Hoc ejus erat capacitatis ut insidentem caballo suo equitem facillime admitteret. Triginta duabus spina dorsi vertebris constabat, ex quibus varia sedilia conficiebantur. Et cum hæc fæmina esset, utero fætum conclusum gerebat, pedes longum 30. pondere 1500. librarum.

Huic (inquit *Faber*) à me descriptæ beluæ cum branchiæ adsint, *fistula* desit, qua ratione esse *Aristotelis* & *Plinii Balænam* asseverabimus? Cum illi disertis verbis *fistulam Balænæ* attribuant, branchias adimunt: esto hic piscis Musculus: quamvis repugnet, quod *Plinius*, *Oppianus Ælianus*, Musculum *Balænæ* ducem & parvum piscem esse scribant.

Balænam vulgarem *Rondeletius* sic describit. In *Aquitanici* maris litore & in *India* immensa bellua capitur quam *Balænam* vocant. Plurimum 36. cubitos longa est, 8. alta: oris scissura ad duodeviginti pedes porrigitur: Dentes in eo nulli, sed horum loco in utraque maxilla corneæ sunt laminæ nigræ, sensim in pilos suillis similes desinentes, quæ in anteriore & posteriore sive interiore oris parte breviores sunt, in media longiores: ab interioribus lingua intus continetur & coercetur, inde educta vel abscissa ita diffunditur, ut in eundem locum recipi postea non possit: maxima enim est, laxa admodum substantia; sale conditur & à plurimis in maximis habetur deliciis; est enim omnium corporis partium tenerrima. Ex ea 24. vasa implentur, cujusmodi sunt ea quibus in Gallia salsamenta conduntur, ut huc & illuc convehantur. *Oculi* quatuor ulnarum spatio à se distant: foris parvi apparent, intus capitis humani magnitudinem superant. Quamobrem falluntur ii qui bubulis majores esse negant. *Pinnas* duas maximas in lateribus habet, quibus natat & catulos in metu occultat. In dorso nullam habet. At *Bellonius* pinnam ei in dorso attribuit. *Faber* nullius meminit. *Cauda* situ caudis Delphinorum similis est, figura non multum absimilis, quam cum movet, ita mare agitat, ut naviculas submergat, vel si cymbam attingit evertat. *Rostro* est brevi: *fistula* caret. Corio duro, nigro integitur sine pilis, cui lepades & ostrea hærentia aliquando reperiuntur. Internæ partes veluti in Delphinis. In hujus Belluæ ventriculo mucus, spuma, aqua, alga foetida inveniuntur sine ullis piscium frustis, ut inde appareat carnivorum non esse. In quorundam ventriculo ambra visa est.

Descriptio Rondeletiana.

Huic *Balænæ* descriptioni *Rondeletianæ* subjiciemus aliam, ex literis ad *Polydorum Virgilium* superius memoratis.

Projecit in arenas apud *Tynemuthum* mare hoc nostrum, mense *Augusto Anni* 1532. mortuam belluam molis & magnitudinis ingentissimæ: quæ jam magna ex parte discerpta est; remanet tamen adhuc quantum centum ferme ingentia plaustra avehere vix poterunt. Aiunt qui primum belluam viderunt, & uti poterant diligenter perscripserunt, longitudinis illam fuisse 30. ulnarum, hoc est pedum 90. A ventre ad spinam dorsi, quæ arenis profunde immersa jacet spatium esse circiter octo aut novem ulnarum. Certum non habetur: nam 27. die *Aug.* ipse ibi affui, foetente jam bellua, ut vix ferri posset odor. Conjectant dorsum ipsius ad spatium trium ulnarum in arenam immersum: nam quotidie alluitur & operitur fluctibus maris. *Rictus* oris sex ulnæ & dimidia. Longitudo *mandibulæ* septem ulnæ cum dimidia: circuitus alicubi ulna una cum dimidia. Triginta *costas* in lateribus habet; magna ex parte longitudine pedum 21. circuitu $1\frac{1}{2}$.

Tres *ventres* veluti vastos specus, & triginta guttura, quorum quinque prægrandia sunt. [*Quid per 30. hæc guttura intelligat me non assequi fateor; forte mendum subest typographicum.*] Habet duas *pinnas* utramque 15. pedum in longitudine: vix poterant decem boves alteram earum abstrahere. *Palato* adhærebant quasi laminæ corneæ, una ex parte pilosæ, qualem jam unam vides, supra mille (non est fabula *Polydore*

 sed

ſed res veriſſima) quamvis non omnes unius magnitudinis. Longitudo *capitis* à principio uſque ad rictum ſeptem ulnæ. De *Lingua* variatur; major pars cenſet ſeptem fuiſſe ulnarum longitudine. [Linguam 20. pedes latam fuiſſe ſcribit *Gillius*.] Aiunt *genitale* ei fuiſſe prodigioſæ magnitudinis. Vir quidem cum dilaniaret fere merſus fuiſſet in ventrem belluæ cadens, niſi coſta arrepta ſe ſuſtentaſſet. Spatium inter oculos ſex [quinque *Gillius*] ulnæ. *Oculi* & *nares* tanto corpori valde impares, quales bobus eſſe ſolent. [*Gillius* etiam oculos pro corporis portione perparvulos, nimirum bubulis non majores extitiſſe ſcribit.] *Cauda* bifurcata & ſerrata, latitudine ſeptem ulnarum. In *capite* duo magna foramina erant: per quæ putatur belluam plurimam aquam veluti per *fiſtulas* ejectaſſe. Nulli illi fuere *dentes*, unde colligitur non fuiſſe Balænam; (nam *Balænis* aiunt maximos eſſe dentes) exceptis laminis illis corneis quæ in ore hujus piſcis erant.

Quæ a veteribus de piſce Balænæ *duce traduntur omnino falſa & fabuloſa eſſe exiſtimo, cum a recentioribus nihil tale ſit obſervatum.*

Laminis illis corneis, quæ palata hujus piſcis innaſcuntur, fiſſis & perpolitis, politiores mulierculæ ſua pectoralia communire, veſtiumque fibras rigidiores ac rotundiores continere; atque apparitiores publici virgularum ac faſcium loco geſtare ſolent, ut recte *Bellonius*.

CAP. V.

Balæna *vera* Rondeletii, Geſn. *p.* 135.

BAlænis vulgo dictis minor non eſt, ſed minus ſpiſſa minuſque obeſa. Longiore eſt & acutiore roſtro, ob id *fiſtulam* habet. *Pinnæ* in ventre breviores & minores. *Lingua* quoque minor, utpote quæ 4. duntaxat vel 5. vaſa ſalſamentaria impleat. Vorat hæc Aphyarum turmas. In mari *Indico Balænæ*, cum ſupra modum ſe ingurgitaverint clamant vel mugiunt tam magno & contento ſono ut qui binis *Gallicis* milliaribus abſunt audire poſſint. Minore pinguitudinis ſaburra premuntur, ideo celerius cæteris moventur & natant. Frequentes in *India* ſunt & novo orbe. In reliquis cum congeneribus conveniunt.

Libet huc tranſcribere quæ de *Balæna Schonfeldius* refert. Maxima, inquit, illarum pars pinguedine conſtat, eaque carnes quæ coſtis & ſpinæ proximæ ſunt, atque aſſulas carneas ex carnibus quaſi ortas pedis aut cubiti altitudine undequaque ambit. Aſſulæ hæ circa meditullium animalium longiores ſunt: reliquis, ut quæque vel capiti vel caudæ propiores ſunt, paulatim decedit aliquid. Hinc ut depreſſa nonnihil corporis forma eſt, ita fere quadrata, quo fit, ut mortuæ Balænæ non niſi pronæ vel ſupinæ natent, in alterutrum latus inclines nunquam.

Balænam carne veſci quidam negant, *Rondel.* lib. 1. cap. 14. quaſi in ejus etiam recens captæ viſceribus præter mucum & ſpumam nihil reperiatur; ſed diverſum teſtatur experientia. Nam voraciſſima eſt bellua, viſaque & exenterata quæ pluſquam quadraginta aſellos in ventriculo circumtulerat, & inter hos recentes adhuc & integros, quos *teſtis oculatus* diſſectos & ſale conditos ad ſolem ſiccaverat.

Locus. Circa *Iſlandiam* & *Groenlandiam* aliiſque vicinis in locis Septentrionalibus paſſim *Balænæ* magno numero & quæſtu non exiguo à *Biſcainis*, *Gallis*, *Anglis*, & *Hollandis* capiuntur, qui illuc plurium navium cataplo comitatuque quotannis, piſcatum proficiſcuntur. Occurrunt autem ſexaginta aut ſeptuaginta pedum longitudine, & his paulo minores, circa

æstivum solstitium præsertim, quo tempore sinus recessusque maris pacatiores quærunt.

De *coitu partuque* venatores referunt *Balænas* contracta societate & consuetudine in amorem mutuum quem conjunctione, saltatione aliisque affectuum conjugalium significationibus inter se testantur, coire, hinc una natare semper amicitiamque cœptam conservare, donec accensa libidine fœmina, erecto ad perpendiculum & ad caudam corpore marem eodem positu obvium pinnis suis tanquam brachiis duobus amplectatur, mutuoque complexu per horæ dimidium vel integram utræque hæreant: inde conversationem & conjugium ad mortem usque religiose colere & continuare. *Coitus.*

Fæmellæ fœtum Autumno inter *Octobrem* & *Januarium* pariunt, unicum, tauro non minorem, imo majorem pro matris quantitate, qui sub maternarum pinnarum præsidio & tutela tutus, non deserit parentes, nisi ablactatus, cum seipsum alere victumque illorum exemplo sibi comparare potest. *Partus.*

Pisciculus quidam est digiti longitudine, *Lodd* venatoribus dictus, quem si copiose vorant *Balænæ* inebriantur quasi, & in iracundiam & furorem aguntur, inque homines & æquales suos sæviunt. Dum natant non facile inter fæminam & marem discrimen est, nisi quod hic illa major sit.

In venandis capiendisque *Balænis* laudanda est *cetariorum* solertia & dexteritas. Disponuntur hinc inde in mari scaphæ aliquot senis aut octonis nautis instructæ, quorum hic fuscinis, ille gubernaculo præest, cæteri remis lanceisque occupantur. *Speculatores* ad id per certa intervalla ordinati belluæ adventum observant, visâ signum dant, ad quod scaphæ vicinæ concurrunt, inque bestiam mira celeritate confluunt, & unde demersa semel preditura rursus, sit notant: Eo properant. Fuscinæ præfectus ex prora conspecto bestiæ dorso, impetuque facto, ferrum qua potest violentia in corpus adigit, idque pro retinaculo relinquit, laxato qui ei alligatus est funiculo longissimo, ex cujus motu belluæ & vulneris dolore & sensu rosionis ab aqua salsa turbatæ, fugitivæ fundumque petentis, quoad respirandi necessitas revocet, cursum observat. Neque hoc satis: fuscina enim ad necandum animal parum faceret, sed remigum pars vel primo congressu, vel ubi respiraturum in conspectum prodit, abjectis remis, arreptis lanceis acutissimis, feram ad abdominis vel thoracis concavum perforant, donec sanguinem per fistulam ejicere videant, lætissimo letaliter vulneratæ signo. Ne autem instituto suo defraudentur *piscatores* hi, & ut præda præmioque in unamquamque constituto potiantur, *lancearii* ex scaphis in dorsum belluæ non raro prosiliunt (conatu certe temerario & damnandæ audaciæ pleno) mersaque rursus bestia ad scaphas enatant, nullius periculi metu, nisi quod à motu caudæ, qua nonnunquam & scaphas & nautas lædit, imminet. *Capiendi modus.*

Extincta *Balæna* ex fundo in superficiem emergit supina ut plurimum, raro prona, quam magno labore in litus extrahunt, & non longe à terra (ut libere tamen fluat) anchoræ alligant, ibique aliquandiu relinquunt, donec per putredinem intumescens, altius ex aqua extolli incipiat, & commode tractari possit. Hinc ad navem reducunt, ubi paulatim dissecant, partes adiposas frustulatim à carnibus separant, separatas trochleis funibusque ductoriis, qui ex tignis à puppe prominentibus dependent, levant, & scaphis impositas, vel iis alligatas in siccum exportant ubi concisæ minutissime catinisque impositæ coquuntur. Excoctum oleum vasis ad id comparatis excipitur. Olei usus in lucernis, ad inungenda coria & curruum rotas *alutariis* & *coriariis* expetitus.

Altera parte bestiæ, quæ prima occurrit, nudata pinguedine in adversam

versam illa convertitur, ergatæ atque funis ancorariæ opera & labore magno; qua eodem modo excorticata reliquum sceleton à navibus ad littus protrahitur, ubi linguam ad olei usum, & assulas corneas excidunt, tandemque Cadaver ne fœtor obsit operariis, in mare reductum abjicitur.

De Duce *Balænæ* mustela, vel alio quopiam fabuloso pisce, ut & de oculorum valvis, hodie nulla à quoquam fit mentio. Hactenus *Schonfeldius*.

Rondeletium notare videtur, cum scribat quosdam *Balænam* carne vesci negare. At piscis de quo illud fertur non est *Balæna* illa de qua agit *Schonfeldius*, siquidem hæc *fistula* donatur, ille non item.

Varii Catalogi *Balænarum* extant apud *scriptores*, qui illarum ingentem numerum faciunt; sed cum multæ ex his fictitiæ aut admodum dubiæ sint, ne lector in errorem trahatur, illas silentio præteribimus; *T. Bartholinus Cent.* 4. Obs. 24. enumerat 22. genera *balænarum*, mari *septentrionali* captarum, è Manuscripta Historia piscium *Islandiæ* quam vir curiosus ex *Islandia* ad *Wormium* transmiserat cum singulorum *Iconibus*; sed cavendum est ne *species* multiplicentur sine necessitate.

CAP. VI.

Orca Rondeletii, & Bellonii.

ORca (inquit *Rondeletius*) ex belluarum marinarum est genere, cui nomen positum est à vasis olearii sive vinarii similitudine, quod rotunda est & uniformi specie &c. qualis est hujus belluæ figura: nam toto corpore est valde crasso & rotundo, extremis non valde prominentibus & tenuioribus. Est igitur *Orca* rostro & fistula, pinnis & cauda delphino similis, corpore vigesies (*quater aut quinquies Bellonius in libro Gallico*) crassiore, potissimum circa ventrem. *Dentes* habet valde latos in acutum desinentes, serratos.

Dentibus Balænam persequitur, quam cum mordet veluti mugitum Tauri à canibus comprehensi cogit edere. Quam ob causam *nautæ* qui piscatus causa in novum orbem navigant, barbaros rogant, vel si liceat imperant, ne *Orcas* lædant aut venentur: quoniam *Orcarum* opera Balænas, phocas aliasque belluas capiunt. *Orcæ* enim truculentis dentibus belluas alias impetentes, maris gurgites cogunt relinquere & ad litus confugere, quas illic sagittis telisque aliis interficiunt. *Bellonius* Orcam reliqua quæ ad nos perveniunt cetacea præter Balænam facile excidere scribit: ut alteram (quæ minor erat) 800. librarum pondus, alteram vero plus mille libras excedere aliquando viderit: majorem pedes amplius quam 18. longam, crassam autem per medium decem & amplius: alteram vero 12. tantum pedes longam, crassam autem pedes sex. Ambæ (inquit) Delphino ac Tursioni ita similes erant, ut non solum *Marsuini* nomen sibi vulgo vendicent, sed & pro *Marsione* vulgo exponantur. *Orca* cute quasi corio integitur, admodum glabra ac politissime, ad dorsum livente, ad ventrem albicantes *Pinnas* habet utrinque unam, pusillas quidem si cum corporis magnitudine conferantur; quemadmodum *oculos* etiam parvos: tertiam gerit aliam in dorso erectariam, Delphini ac Tursionis more; *caudam* lunatam ac multum latam, ut mediam ulnam distenta excedat. *Rostro* est simo, sursum repando; cujus *labri* inferioris tanta est crassitudo, ut à superiore sejungatur dum piscis pronus est, idque quadraginta truculentis *dentibus* armavit natura: quorum anteriores obtusi & graciles, posteriores acuti & crassi sunt. Cætera Delphino similis est &c. Quæ præterea ex veteribus & Neotericis congerit *Gesnerus* apud ipsum vide.

CAP. VII.

Physeter Rondeletii, Gesn. *p.* 851. A Whirle-Pool.

AB effectu Græci nominis φυσητὴρ vocatur, quasi *flator*, quod nimbosam quandam alluviem aquarum efflando emittat, ut plerunque etiam alveos navigantium deprimat. Bellua est admirandæ magnitudinis ex Balænarum genere: ore maximo: dentibus acutis, serratis, quemadmodum *Orca*, *Lingua* intus magna & carnosa. *Fistulam* longe ampliorem habet quam reliquæ belluæ: quam ob causam multo plus aquæ rejicit & efflat, unde illi nomen *Physeteris*. Ab *Orca* differt, quod multo longior sit & dorsi pinna careat. Pinguedine multa abundat veluti Balæna & reliquæ belluæ. Quæ præterea ex veteribus *Rondeletius* & *Gesnerus* de *Physetere* adducunt videsis apud ipsos. Ego, ut verum fatear, huic descriptioni *Rondeletianæ* non multum fido.

Gesnerus Physalum *Oppiani* non aliam esse, putat *Belluam* quam *Physeterem*, cum & nomen ejusque origo [παρὰ τὸ φυσᾷν] conveniant, & res ipsa. Idem *Prestin*, corrupte *pristin* scriptam, eandem vel prorsus cognatam *Physeteri* belluam esse tum à nomine tum ab ipsorum animalium natura petitis verisimilibus argumentis asserit: de quibus *Autorem* consule.

Rondeletius Pristin piscem cetaceum ab hoc diversum facit, eique adscribit rostrum *Serræ* piscis quem ex genere cartilagineorum esse inferius demonstrabimus: unde apparet eum hallucinatum esse, & ex conjectura effictο corpori cetaceo rostrum *Serræ* appinxisse.

Bellonius Pristin facit quem *Galli* vulgo *Calderonum* nominant, quod anteriorem capitis partem fundo cacabi persimilem obtinet. Balænam (inquit) omnino refert nisi quod corpore est magis tereti neque ita oblongo; neque tam vasta corporis mole; nullasque habeat prætenturas. Verum *Bellonius* circa prætenturas seu antennas in Balænæ descriptione non leviter errat, ut eum consulenti, ejusque descriptionem cum nostra conferenti patebit.

CAP. VIII.

Cete Clusio Exot. lib. 6. *Descriptum* Pot-Walfisch Batavis *maris accolis dictum.*

ANno à Christi nativitate 1598. in litus occiduum *Hollandiæ* tempestatibus ejecta fuit hæc bellua, è regione *Berchei* vici, quondam, ut fertur, 10. aut 12. tuguriorum inter *Scevelingam* & *Catwicum* maritimum, cum tanta tempestate & maris commotione, ut qui isthic aderant in fugam se conjicerent, & sese abderent inter colles illos arenosos mari objectos. Sedata tempestate, decem plus minus horis adhuc spirans fuit conspecta, & mortua istic jacuit 7. aut 8. dies, ut ad eam conspiciendam è vicinis urbibus & locis ingens hominum multitudo conflueret, partim pedestri itinere, partim equis, rhedis aut curru vecta. Ejus porro longitudo 52. aut 53. pedum fuit: crassitudinis ambitum nonnulli dicunt 31. pedum fuisse, alii vero longe majorem faciunt: ex-

acta tamen mensura sumi non potuit, quia volutatione & agitatione antequam interiret, corporis pars quædam sabulo erat immersa. Superior *rostri* pars ab extimo ad oculos usque 15. pedum reperta est: ipsum in ea parte palatum 42. foraminibus seu alveolis præditum erat, hoc est in utroque latere 21. ad excipiendos totidem dentes mandibulæ inferiori inhærentes, qui magnitudinem pollicis alicujus, viri prægrandis & robusti habebant. In *capite* versus dorsum erat etiam foramen circiter 3. pedes amplum per quod aquam in altum ejiciebat. Inferior *mandibula*, in qua illi dentium bini ordines, septem pedum longitudinem non excedebat, & fragmento crassi & ingentis mali navis conferri poterat. *Linguæ* extima pars tam magna & crassa erat ac dolium cerevisiarium. *Oculorum* magnitudo pro tam vasto corpore non erat major quam spatium quod pollex & index digitus extenti comprehendere poterant. Distabant oculi 4. pedibus à pinnis; *pinnæ* vero 4. pedes & totidem pollices erant longæ, ac pedem fere densæ. *Umbilicus* à mandibulis 16. pedum spatio distabat. Ab umbilico ad *penem* interstitium erat trium pedum. *Penis* vero jam mortuæ sex pedum longitudinem habebat: à pene autem ad *podicem* trium pedum cum semisse erat distantia, & à podice ad *caudam* 13½. ipsa vero *cauda* valde crassa, 13. pedes alta sive lata erat. Post paucos deinde dies fuit illa bestia vendita quibusdam mercatoribus, ea tamen conditione, ut majora ejus ossa *Hagam Comitis* vehi curarent, & istic in curia conservarentur propter memoriam. Reperisse autem *mercatores* dicebantur in belluæ capite plusquam quartam partem dolii, in quo servabantur salitæ haleces, plenam ejus liquoris, quem vulgo Sperma ceti, *Hollandi Walschot* appellant: è tota autem corporis mole in partes secta, & deinde ustulata, circiter 40. dolia prædicto similia, plena pinguedine excepisse, præter magnam quantitatem sponte fluentem ab aliis collectam, & eam quæ in undas marinas effluxerat antequam *mercatores* redimerent. *Dorsi* corium nigrum erat, quemadmodum Delphinorum aut Thynnorum: venter albescebat.

Anno porro 1601. sub extremum *Decembrem* 13. *Kal. Jan.* anni insequentis ejecta fuit alia similis portentosa bellua in littus Batavicum *Beverwicanum*, versus Meridionalem plagam, cujus longitudo prædicti longitudinem excedebat; nam longitudo 60. pedum erat, altitudo pedum 14. corporis ambitus 36. pedum mensuram æquabat. *Cauda* pedes 14. erat lata, oris rictus 12. pedes amplus erat. *Dentes* etiam in inferiore mandibula duntaxat habebat, duplici ordine similiter dispositos, in superiore totidem alveolos, qui dentes, cum rictum clauderet bellua, exciperent. Masculini etiam sexus erat & eodem colore prædita quo superior, ut mihi relatum. Hactenus *Clusius*.

CAP. IX.

De Monocerote *pisce, qui de genere Cetaceo esse fertur.*

Piscem *Monocerotem* nunquam vidimus, ejus tamen cornu sæpius; qui plura desiderat de hoc pisce, consulat Historiæ naturali Insularum vulgo dictarum *Antilles* sive *Charibdies*, gallice conscriptæ, in qua duæ species piscis *unicornu* sive *Monocerotis* delineantur, & describuntur; adeat etiam *Wormii* Musæum, & *Bartholini* Centur. Obs. 4; ejusdemque scriptoris librum de *unicornu*, qui hæc habet. Animal marinum circa *Islandiam* nostram *Groelandiam*, & reliquas septentrioni viciniores

niores Insulas frequens est & usitatum, nomine vulgari *Narhval* à cadaveribus quibus vesci solet appellatum *Islandis*, Balænæ specie & magnitudine, quod in sinistra parte maxillæ superioris unum solum per gomphosin insertum dentem effert eximiæ quantitatis, & vulgatis cornubus longitudine crassitieque parem; in gyros volvitur & striatos flexus ex majori radice ad extremum obliteratos; rara sunt illa cornua sine striis, gyrisque; re pressius examinata apparebit non dari aliud unicornu præter hoc Os descriptum; vidi omnia quæ passim pro vero *monocerote* venditantur, sed ex hoc fonte omnia profluxisse ausim dejerare; sicut inferius demonstrabimus, ubi singula ad examen vocaverimus, formas & vires descripturi; T. *Bartholin.* de unicornu cap. 15. in quo *Mercatorum* fraudes detegantur.

Ex hoc osse medicamenta præparantur, contra venena & febres malignas egregie celebrata; in usu est inter septentrionales pro sagittis, baculis, &c.

Nuperis Annis ex *Groelandia* navibus suis onustis Amplissimus vir & nobilissimus *Henricus Muller* Quæstor Regius & consiliarius accepit copiam dentium balenæ, quam *Narhval* vocant, seu unicornua borealia multa & grandia, quorum aliqua trium ulnarum longitudinem æquabant; T. *Bartholinus* *Act. Med. An.* 1673. Obs. 31.

LIBER TERTIUS

Qui est

De PISCIBUS

CARTILAGINEIS.

De piscibus pulmone respirantibus, qui & Animalium terrestrium Quadrupedum ad instar vivipari sunt, superiore libro *egimus*; *sequuntur branchiis respirantes. Hi autem in duplici sunt differentia. Alii enim* ova magna *concipiunt, quo cum avibus conveniunt, non tamen eadem avium ritu pariunt : verum intus in utero fovent, donec tandem vivi fœtus* ex *illis egrediantur. Hoc genus* Aristoteles σελάχη *vocat*, Plinius *cartilagineos interpretatur, minus recte*; *nam & alii præter hos pisces cartilaginei sunt, qui generandi modo & ovorum qualitate cum spinosis dictis conveniunt. Alii* ova parva *concipiunt & pariunt, adeoque generationis modo cum insectis potius conveniunt. Nam ova hæc exclusa semine masculo irrigata, sponte vitam concipiunt in aquis, & fœtus edunt. Ex his tamen nonnulli, ut v. g.* Mustelæ *quædam species, vivipari sunt.*

DE

DE PISCIBUS

Cartilagineis in Genere.

PIſces *Cartilaginei Plinio* dicuntur, qui pro ſpinis cartilaginem habent. Hi *Ariſtoteli* σελάχη & σελαχώδη appellantur, ἀπὸ τοῦ σέλας ἔχειν, autore *Galeno*, quod noctu cutis eorum ſplendeat. Hi vel ſunt proprie, vel minus proprie dicti. Proprie dicti ſunt, qui ἔσω μὲν ᾠοτόκοι εἰσὶ, ἔξω δὲ ζωοτόκοι: hoc eſt, qui intra ſe ovum grande concipiunt, quod in utero fovent & excludunt, adeoque vivum animal pariunt. Hi omnes ſquamis carent, pro branchiis autem ſeu potius branchiarum aperturis quinque habent utrinque foramina oblonga, eorumque mares duas appendices pinnis quæ podicem amplectuntur adnexas, quas mentulas eſſe putamus.

Minus proprie dicti ſunt, qui ſpinis quidem carent, & pro oſſibus cartilagines habent, ſunt tamen aliorum piſcium inſtar ovipari, neque ſciſſuras illas quinque ad branchias obtinent, neque appendices pinnis ad anum ſubnexas.

Cartilaginei proprie dicti ſunt vel *longi* & teretiuſculi, vel *lati* ſeu plani. *Longi* ſunt qui *Lamiæ & canes & caniculæ & Galei* appellantur, nec immerito, ſiquidem & voracitate eximia, & ſagacitate odorandi canes referunt. Hi iterum vel ſunt *roſtris productioribus* vel *roſtris brevioribus*. Canes *roſtris productioribus* ſunt vel *dentati*, vel *edentuli*. *Dentati* tandem ſunt vel *ſpinis deſtituti*, vel *ſpinoſi*: ſpinas ſeu aculeos in dorſo intellige, ut vitetur homonymia. *Lati* ſeu plani ſunt vel *cauda tenuiore*, vel *cauda craſſiore*. Cauda tenuiore ſunt vel eadem *radio ſpinoſo* uno vel gemino inſtructa, vel *crebris aculeis* horrida.

Cartilaginei plerique proprie dicti, dempta Squatina, os in ſupina parte habent, quod illis (inquit *Rondeletius*) ob tenuitatem roſtrum findi non potuerit. Hi omnes non niſi in ſupinum converſi cibum ſumunt: quod natura non ſolum ſalutis reliquorum piſcium cauſa feciſſe videtur (veſcuntur enim omnes iſti carnibus) qui dum convertuntur, alii fuga vitæ ſuæ conſulunt, ſed etiam ne nimiam vorandi cupiditatem expleant, quod ſi facile poſſent, ſtatim præ immodica plenitudine interirent. *Rondel.* lib. 3. cap 4. Hoc an verum ſit necne dubito, *piſcatores* diligentius obſervent.

Cartilagineorum piſcium hepar pingue eſt, ut liquefieri poſſit & in oleum reſolvi, quo in multis affectibus frequenter uſi ſumus, inquit, *Rondeletius*, & ad lucernas utile eſt.

In omnibus fere *Cartilagineis* piſcibus foramen ſecus oculum utrumque in os aperitur, cujus uſum eſſe putamus partim ad aquam in os excipiendam quam per branchias iterum expellant, partim ad ſonos admittendos auditus cauſa.

Piscium Cartilagineorum Tabula.

- Pisces *Cartilaginei* sunt vel
  - Proprie dicti, qui vel
    - Longi & teretiusculi, rostris
      - Productioribus, vel
        - Dentati qui vel
          - Spinis destituti, *Canis Carcharias, Galeus glaucus, Maltha* Rondel. *Canis Galeus*, Rondel. *Cucuri, vulpes marina, Zygæna, Crayshaye* Marggr.
          - Spinosi, *Galeus acanthias, Galeus acanthias fuscus, Geleus acanthias exoticus* Clus. *Centrina.*
        - Edentuli *Galeus lævis* Rondel. *Pristis* sive *Serra* piscis.
      - Brevioribus, *Catulus major vulgaris, Catulus maximus, Catulus minor.*
    - Lati seu plani qui sunt cauda vel
      - Tenuiore eaque vel
        - Radio spinoso instructa, *Aquilæ duæ species, Pastinaca marina quatuor species.*
        - Crebris aculeis horrida *Raia* dictæ, quæ vel
          - Asperæ, quatuor aut quinque specierum.
          - Leves quarum itidem quinque vel sex species.
      - Crassiore, *Squatina, Rhinobatus, Torpedo vulgaris & Americana.*
  - Minus proprie dicti, qui pro ossibus cartilagines habent, verum nec 5. illas scissuras ad branchias obtinent, nec mentulas pinnis ad anum subnexas, nec pariter ovipari sunt & vivipari.

L I B. III.

S E C T I O I.

De Cartilagineis longis.

C A P. I.

Canis Carcharias seu Lamia Rondeletii *&* aliorum. Gesner *de aquatilibus pag.* 204. Aldrovand. *de Piscibus pag.* 379. The White-Shark. *Sub quo de* Tiburono *agimus.*

GAleorum omnium maximus est, nam aliquando ad tantam magnitudinem accrescit, ut currui imposita vix à duobus equis vehi possit. Vidimus (inquit, *Rondelet.*) mediocrem 1000. librarum pondere. *Nicenses* vero testatos sibi esse refert *Gillius*, sese istiusmodi piscem ad 4000. librarum accedentem cepisse, & (quod magnam admirationem habet) in ejusdem ventre solidum hominem reperisse, simileque quid *Massilienses* sibi narrasse, comprehendisse (inquam) aliquando, in quo loricatum hominem invenissent. Vidit etiam *Rondeletius* in *Santonico* litore alium, cujus os & gula tanta erant vastitate, ut hominem etiam obesum commode capere potuisset. Quamobrem opinatur idem, nec sane præter rationem, *Lamiam* fuisse, in quam ingressus est *Jonas* propheta, illicque triduo Divina providentia conservatus, tandemque incolumis ejectus, quod S. Scripturæ nullo modo repugnat. Legitur enim *Jonas* in ventre magni piscis sive Ceti fuisse; quo nomine, præter Cetaceos proprie dictos, pisces omnes prægrandes comprehenduntur. Tam amplum itaque & vastum os amplissimum etiam latissimumque caput requirit. *Os* autem non in rostro est, Sed ut aliis canibus supina parte [*Bellonius* rostrum in mucronem exporrectum facit] ejus scissura maxima est, & in eo *dentes* durissimi & acutissimi, trianguli figura, utrinque serrati, seno ordine dispositi. Qui in priori ordine sunt extra prominent, & in anteriorem partem vergunt, secundi ordinis recti sunt; tertii, quarti quinti & sexti in os recurvi maxima ex parte, in utraque maxilla carne molli fungosaque contecti. Quælibet autem maxilla 72. comprehendit, quæ summa est in utraque 144. dentium. *Dentium* tamen numerus omnino incertus est, & pro ætate piscis variat, siquidem observatum est & à fide dignis traditum; novos quotannis dentes hoc genus piscibus quandiu vivunt succrescere. *Dorsum* breve, & ad cæteros Mustelos comparatum latissimum. Laterum & tergoris pinnas longe quam in quovis sui generis majores habet. Binæ earum haud procul à cauda, una superior, altera interior, ad branchias binæ; ad podicem aliæ binæ, alia rursus in medio fere dorso. *Cauda*, si reliqui corporis magnitudinem spectes, minus crassa spissaque, in lateribus compressa, duabus constans pinnis, cubitalem longitudinem (ut *Bellonius* ait) æquans, hocque ei cum Centrine commune habet, quod superior ejus pars quæ vertebris communita est, altius attollatur quam inferior, quæ (inquit) crescentis Lunæ figuram exprimit. *Podex* inter supinas pinnas latet. Cute aspera integitur. *Oculi* maximi, rotundi, quorum musculi qui sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum

Magnitudo. *Os.* *Dentes.* *Dorsum.* *Cauda.* *Oculi.*

sinistrorsum movent, manifeste conspiciuntur. Qui oculos quodammodo intra trahunt, & velut in contemplantibus diligenterque aliquid intuentibus fixos immotosque tenent, non radicem nervorum opticorum ambiunt, sed à superiore parte ossis regionis oculorum orti in longum extenduntur. Est & aliud in *Charchariæ* oculis observatione dignissimum, Nervorum opticorum loco qui in hominibus cæterisque animantibus insunt, substantia est Cartilaginea, dura, omnisque mollitudinis expers. Tunica cornea parte anteriore posterioreque dura est, parte etiam anteriore exquisitissime perpolita. Cæterum in oculis conspiciuntur humores omnes, tunicæque, longe manifestius quam in bubulis, maxime quæ humorem crystallinum involvit, telis aranearum tenuior maximeque pellucida. *Ventriculum* habet vastissimum, gulamque amplissimam. Hepate est adipato, in duos maximos lobos diviso.

Usus in Medicina. *Dentes* hujus piscis argento includunt aurifices, serpentis dentes nuncupantes, & adversus venena conferre aiunt. Eos mulierculæ è collo puerorum suspendunt, quoniam dentitionem juvare vulgo creduntur, puerorumque arcere pavores. Ex iisdem dentifricia parari optima *Rondeletius* tradit, eorumque asperitate dealbari dentes, siccitate conservari & firmari, nequis (inquit) à cæco quopiam effectu id prodire putet: Apparet a. eum hæc accepisse à *Plinio*, ut ostendit *Aldrovandus*, quem adi. Eandem facultatem tum Canis galei, tum Galei glauci dentibus tribuit.

Usus in cibis. Carne (inquit *Rondeletius*) est candida, neque ferini saporis, & ob id multorum Galeorum carni præferenda, haudque ideo rejicienda, quod hominum cadaveribus vescitur. *Galenus* è contra eam damnat ut præduram & excrementitiam. Jo. *Caius* apud *Gesnerum* carnem adeo insulsam ei attribuit, ut ne conditura quidem gratiam jejunis & egentibus stomachis dare possit ullam.

Locus. Tum in mari *mediterraneo* tum in Oceano abunde reperitur; estque voracissimus simul & ferocissimus; carnis humanæ præ cæteris avidissimus.

Glossopetræ quid sunt. In insula *Melita Lamiarum* dentes, lapidibus annumerari soliti & *Glossopetræ* dicti, magno numero è terra quotidie effodiuntur. Hos vulgus linguas serpentum vocat non dentes; & contra omnis generis venena valere existimat. *Sanctum* scilicet *Paulum*, vipera à manu excussa, precibus à Deo impetrasse, aiunt, ut omnes totius insulæ serpentes in lapides mutarentur, eorumque partes vim alexipharmacam obtinerent.

Lamiam fuisse non cetacei generis piscem qui *Jonam* prophetam voraverit verisimillimum puto, 1. Quoniam cetaceis angustior est gula quam ut integrum hominem deglutire possint. Hujusmodi enim belluæ, utut vastæ, gulæ meatus habent angustos & vix semipedem patentes (ut sibi compertum refert *Scaliger*) Nempe (inquit *Bochartus*) quotquot animalia pulmone spirant iis gulæ meatus coarctari necesse est, quomodo collum in follibus, ut ex his angustiis spiritus per fauces majori nisu erumpat. 2. Quoniam in mari *Mediterraneo*, in quod projectus fuit *Jonas* cete rarius inveniantur, si pro belluis illis marinis viviparis maximis vox accipiatur. 3. Quoniam Piscem illum in cujus os *Herculem* insiliisse, & in cujus ventriculo tridui spatio hæsisse veteres fabulantur, Canem charchariam fuisse narrant. Τριεσπέρου λέοντος ὅν ποτε γνάθοις Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κυών. *Lycophron*.

Nomen & Etymon. *Carcharias* dictus est hic piscis ob dentes serratos. *Rondeletius Lamiam* à Cane *carcharia* non distinguit: *Bellonius* distinguit in hoc potissimum, quod *Lamiæ* os in anteriore capitis parte tribuit; carchariæ vero rostrum in mucronem exporrectum. Cæterum *Lamiam* Grammatici παρὰ τὸν λαιμὸν id est à gula deducunt. Usurpatur autem & Græcis & Latinis id vocabulum pro voracitate.

Tiburo

Tiburo seu *Tiburonus*, quem *Rondeletius* ex genere vitulorum marinorum esse putat, *Gesnerus Gladium* aut *Gladio* cognatum suspicatur, non alius est piscis quam *Canis carcharias*, ut docet *Marggravius*, cui optime cognitus fuit: nam *Lamiam* esse affirmat quem *Lusitani Tiberaon* vel *Tuberaon* appellant. *Rondeletius* autem & *Gesnerus* omnino excusandi; cum historiæ *Indicæ* autor, quem secutus est *Rondeletius*, multa huic animali falsa affingat: v. g. quod sæpius è mari in continentem egreditur magna obviorum animalium pernicie: quod dormiens stertit in litoribus; quod fæminæ mammæ sunt plures, quodque vivos parit, & lacte nutrit. Quod si in continentem egreditur, cur nullos ei pedes attribuit? *Gesnerus* autem *Petrum Martyrem*, cum *Tiburonum* in ictu dentis hominem medium secare scribat, nomine dentis *gladium* intellexisse existimat: adeoque *Gladium* piscem pro *Tiburono* habuisse. Nos vero *Tiburonum* tum *Petri Martyris*, tum Indicæ illius historiæ autoris *Lamiam* fuisse minime dubitamus, quamvis multa ei falsa attribuant, ab αὐτόπταις rudioribus, qui iis quæ in peregrinationibus suis viderunt portentosa quædam affingere amant decepti; cum plurimæ notæ quæ in istis descriptionibus continentur, *Lamiæ* conveniant. *Tiburo quis piscis sit.*

Præterea *Tiburonem* non alium esse piscem quam *Lamiam*, *Francisci* etiam *Hernandi* descriptio abunde convincit. Consule Historiæ nat. *Nieremberg.* lib. 12. cap. 20.

Canis Carchariæ caput singulari tractatu *Myologiæ* specimini addito descripsit *N. Stenonius*, quem adeat lector; vasa cutis sunt observatione dignissima, sunt enim fontes unctuosi humoris piscium superficiem oblinentis, qui humor æque necessarius est ad piscium in aqua motum faciliorem reddendum, ac necessarium est naves mare sulcaturas axungia & pinguibus aliis obducere.

CAP. II.

Galeus glaucus Rondeletii *& aliorum.* Gesner. *de aquatilibus pag.* 718. Aldrov. *de Piscibus pag.* 394. The Blew-Shark.

Piscis est longus, canis *Galei* vulgaris, seu *Canosæ Salviani* figura. *Color* in dorso pulchre cæruleus saturatior, unde illi cognomen; in ventre argenteus. *Cutis* minus scabra est quam in quovis hujus generis quem vidimus alio. *Rostrum* longum, acutum, compressum, non tamen in extremo pellucidum, quemadmodum *Canosæ*, multis foraminulis tam supra quam infra punctatum. *Nares* longæ, foraminibus ad rostrum transversis. Foraminum *oculorum* figura elliptica, irides tamen exacte circulares; verum pupillæ lenticulares, ad foramina oculorum transversæ. Ab inferiore oculi medietate, membrana nictitans oritur, quæ sursum adduci eo usque potest, ut totum oculum contegat. Nulla pone oculos foramina, quo à *Canosa* aliisque Cartilagineis longis differt. *Os* ejusdem figuræ quæ reliquorum congenerum. Quinque pariter ut in reliquis foramina *branchiarum*, eodem etiam situ, nimirum ad anteriores angulos primi pinnarum paris. *Dentes* in maxillis rari, ut in pisce admodum juvene, uno tantum ordine, *Rondeletius* duos dentium ordines ei attribuit: & forte in senioribus plures adhuc sunt, grandes tamen, lati, &, quod præcipue notabile est, ad margines serrati, Glossopetrarum in modum, non tamen omnes. Et Glossopetra quidem dicta corpora è terra effossa, pro lapidibus habita, nihil aliud esse quam hujusmodi dentes in lapideam substantiam induratos certis- *Figura. Color. Cutis. Rostrum. Nares. Oculi. Os. Branchiæ. Dentes.*

Pinna. simum est. *Pinnæ* ad branchias amplæ, prælongæ, in acutum angulum desinunt. Pinnæ in dorso duæ, anterior circa mediam longitudinis partem exclusa cauda; posterior ab initio caudæ non longe; cui pinna ex adverso in ventre respondet. Orificium excrementorum una plus tertia longitudinis parte ab initio caudæ distat; ad quod pinnæ binæ exiguæ. *Cauda.* *Cauda* bifida, cujus superius cornu longissime [nimirum 8. digitos in pisce digitorum 39.] ultra inferius procurrit, & in acutum angulum desinit. Ad initium caudæ medio dorso insculpta est fossula triangularis. *Viscera & intestina.* Quod ad *viscera* & intestina attinet, *ventriculus* ei amplus [in quo non raro integri inveniuntur Thynni] conicus, à cujus fundo non procul pylorus. *Intestina.* *Intestina* superiora tenuia sunt, inferiora crassa, manifesta differentia ubi committuntur. *Hepar.* *Hepar* amplum, cæruleo-rubens, in duos divisum lobos: sinistro adhæret cystis fellea. *Lien.* *Lien* paulo supra fundum ventriculi incipit: deinde ipsum fundum ambit, & juxta intestinum ascendit ad initium usque intestini crassi. Est autem structuræ singularis, qualem in nullo unquam alio animali observavimus, nimirum in innumeros fere lobulos divisus, adeo ut primo aspectu longum ovorum elenchum putaverim. *Pancreas.* *Pancreas* prælongum, primo simplex, tandem in duo cornua divisum, quorum unum Lieni se applicat, paulo infra medium, eumque ad finem usque comitatur, atque insuper ulterius extenditur ad digitum unum. Est & in hoc pisce appendix illa rotunda, ad intestinum non longe ab ano. *Renes.* *Renes* bini: *Vesica.* *Vesica* urinaria longa, non magna, ad medios fere renes extensa, iisque quodammodo inclusa velut pelvis quædam. *Penes.* *Penes* gemini, pro piscis mole non magni. *Testes.* *Testes* ad diaphragma grandes, & ab his vesiculæ seminales tenues, longæ.

Magnitudo. *Rondeletius* piscem quatuor aut quinque cubitorum longitudinem attingere scribit. Cani galeo sævitia, audaciaque non cedit. Humanas *Victus.* enim carnes eodem modo appetit, cujus rei ipse (inquit idem) oculatissimus testis sum. Cum enim æstate puer, qui militi cuidam erat à pedibus, in litore ambularet, eum diu secutus *Glaucus*, calc s tibiasque quin arriperet parum abfuit, & à puero gladio confossus in litus ejectus *Caro qualis.* est. *Carne* est dura, ferinum quid olente, concoctu difficili, sed quæ concocta plurimum nutrit. &c.

Locus. Piscem hunc *Pensantiæ Cornubiæ* captum vidimus & descripsimus.

CAP. III.

Maltha Rondeletii.

R*Ondeletio* quæ Μάλθη *Græcis* dicitur, *Latino* nomine caret: *Græco* igitur utentes *Maltham* appellamus. Nostri *Sorrat* vocant, Romani *Lamiolam* à dentium similitudine; dentes enim latos & acutos Lamiæ modo habet. Piscis est cetaceus ex Galeorum genere, *Rostro* brevi. *Os* habet in supina parte, non multum infra rostrum; *Dentium* multos ordines. *Pinnis, cauda*, internis partibus à cane non differt, nisi quod alba oculorum nebula caret. *Caro* huic est laxa mollisque, non sensu modo sed & facultate. Alvum enim mollit cietque succi lentore, unde etiam nomen habet: dicitur enim Μάλθη quasi Μαλθακή. Hæc *Rondeletius*. Qui tamen nullas hujus piscis certas & characteristicas notas dedit, quibus eum à reliquis hujus generis distinguere possimus.

CAP. IV.

Canis Galeus Rondeletii, Aldrov. *De Piscibus lib.* 3. *cap.* 33. Gesn. *de Aquatil. p.* 197. *Mustelus lævis secundus, i. e. Canosa* Salviani.

PInnarum numero & situ cum Mustelo (i. e. Mustelo lævi inferius describendo) primo *Salviani* convenit. Tribus præcipue ab eo differt, 1. *Magnitudine*, qua illum longissime superat, ita ut centenas aliquando libras excedat. 2. *Dentibus*, quos ille nullos habet, hic plurimos, acutos, in tres ordines dispositos, à medio utriusque maxillæ angulo hinc versus dextram, inde versus sinistram vergentes. 3. *Oculis*, quorum pupillæ in hoc minores sunt pro corporis ratione quam in illo; iridesque magis conspicuæ, & coloris lucidioris argentei, viridi splendente cæruleove obiter diluti. *Magnitudo. Dentes. Oculi.*

Nares in hoc genere exiguæ sunt, inter os & rostrum extremum sitæ, illi tamem quam huic duplo viciniores. *Rostrum* quatenus ultra nares procurrit pellucidum est. Pone angulum oculi posteriorem, dimidii circiter digiti distantia, *foraminulum* hinc inde perexiguum in os pertunditur. *Color* huic pisci in dorso obscurior est quam Mustelo primo: *Venter* argenteus. *Caro* tenera, nec insuavis, quicquid alii dicant. *Nares Rostrum. Foramina ad oculos. Color. Caro.*

In pisce 20. digitos longo, nares à summo rostro duobus digitis aberant; os $2\frac{3}{4}$; primum branchiarum foramen 4. ultimum 5. primum pinnarum par $4\frac{1}{2}$; secundum $9\frac{3}{4}$. A summo rostro ad anum 10. digiti erant; ad pinnam in ima corporis carina inter anum & caudam 13. ad initium caudæ $15\frac{1}{2}$; ad anteriorem dorsi pinnam $6\frac{1}{2}$; ad posteriorem $12\frac{1}{2}$. *Mensura.*

Quod ad interiora attinet, *Hepar* in duos prælongos dividitur lobos, quorum sinistro cystis fellea includitur. Color hepatis obscurior est quam in aliis canibus. *Ventriculus* amplus, prope cujus fundum *Lien* grandis, qui longissimo processu reflectitur una cum intestino ad diaphragma fere, ubi cum Pancreate connectitur. *Corpora varicosa* nobis dici solita in hoc pisce non observavimus. At *D. Ent* observavit & descripsit, ut inferius videbitur. *Folliculus* quoque quem pro vesiculis seminalibus habemus simplex est, non ut in aliis geminus; in summo duntaxat bicornis in duo corpora glandulosa dividitur. Ad Venerem minus instructus est quam Catulus: *Penes* ei exigui. *Renes* longi. Habet quoque sub intestino recto oblongum illud, teres & rubens corpus, testiculo simile, quod in Cartilagineis omnibus observavimus, quod uno extremo vasa recipit secundum intestinum descendentia, altero se in vesiculas seminales vasis conspicuis exonerat. *Intestina* bis reflectuntur. Arteria aorta, postquam è corde ascendit, eodem modo dividitur quo in catulo majore inferius describendo, in quatuor nimirum hinc inde ramos, quorum tres priores, singuli in singulas branchias tendunt; ultimus in duos ramos subdividitur, qui duabus anterioribus branchiis inserviunt. Eodem pariter modo se habent & vasa revehentia; nam quæ à duabus branchiis anterioribus sanguinem reportant, in unum prius truncum coeunt quam in truncum magnum aortæ terminantur: reliqua vasa à singulis branchiis singula non ante concurrunt quam in aortam exonerantur; seu potius ipsa aortæ truncum singula hinc inde coeuntia componunt. *Romæ* in foro piscatorio primo venalem vidimus, ibidemque descripsimus. Capitur etiam in nostro mari seu oceano *Britannico*, nam & *Pensantiæ* in *Cornubia* eum nacti sumus. Exactam *Partes interna. Locus.*

& elegantem piſcis hujus deſcriptionem & anatomen, quam à Clariſſ. viro *D. Georgio Ent* communicatam *D. G. Charleton* in mantiſſa Anatomica ad Onomaſticon ſuum zoicon edidit, in operis noſtri ornamentum, & ut Lectori undique ſatisfiat, hic ſubjungemus.

Galeus (inquit) vagus eſt, vitamque agit ſegregem. Totus piſcis viroſi atque ingrati odoris eſt. [Hæc nota toti huic generi communis eſt.]

Longitudo. *Longus* erat pedes quatuor, à ſummo roſtri ad caudæ pinnam ſuperiorem: unde ad caudæ extremum pedis unius ſpatium ſupererat. *Pinna* caudæ inferior Lunam falcatam præ ſe fert. *Linea* in utroque latere à capite ad caudam decurrit. *Ambitus* in medio ventre bipedalis. *Cutis.* *Cutis* tota, manum à cauda verſus caput deducenti, hiſpida valde perſentiſcitur.

Roſtrum. *Roſtri* pars extima inferius ad trium pollicum latitudinem tranſlucet: & ſuperius eadem pelluciditas ad quatuor digitorum longitudinem extenditur. *Nares.* *Nares* purgando cerebro deſtinatæ inferius poſitæ ſunt, & ab ore ſeſquipollicis latitudine abſunt. *Os.* *Oris* rictus ad ſemicirculi formam circinatur atque ad capitis fere latitudinem pateſcit. *Dentes.* In ejus ambitu duplex *dentium* ſeries conſpicitur, & alicubi triplex. Eſt certe καρχαρόδους, habetque dentes aſperos, teretes & alternatim poſitos. Superius inter palatum & dentes *papillæ carneæ* toto ambitu enaſcuntur. *Lingua.* *Linguam* habet craſſam & teretem.

Branchiarum foramina. In colli latere utrinque *quinæ aperturæ* ſunt, branchiarum ſpiracula. Occluduntur quando opus, ipſius cutis tegmine, ceu operculo. Juxta infimum foramen *pinna* utrinque enaſcitur ſeptem uncias longa lataque.

Oculi. *Oculus* membranam in imo abſconditam nactus eſt craſſam, firmam, mobilem, totique oculo tegendo parem. Eadem compluribus avibus quoque contigit; nempe *Monedulæ, Pico martio*, aliiſque.

Pinnæ ad anum cum appendicibus. Proxime ſupra anum *duæ pinnæ* minores invicem conjunctæ; quibus geminæ apophyſes cartilagineæ, ſenos digitos longæ interiore parte annectuntur: quæ anum intermedium juxta baſin occulunt. *Pinnæ reliquæ.* Inter jam dictas ventris pinnas *alia* in dorſo aſſurgit, lata digitos quinos cum ſemiſſe, & pari fere longitudine. Verſus caudam *binæ pinnulæ* ſunt, in dorſo una, altera in ventre, invicem oppoſitæ.

Partes internæ. Reſupinato piſce, ventreque à capite ad anum aperto, *hepar* non in medio ſolum, ſed & utrinque in latere ſitum apparuit, tenerum valde ac friabile, viridis coloris, & *Gagatis* more variegatum. Uterque ejus lobus à diaphragmate ad anum protenditur: totoque ſui ductu (faſciæ inſtar) paris fere latitudinis, nempe unciarum quinque, niſi quod in imo aliquantulum anguſtetur.

Inter utrumque hepatis lobum *Ventriculus*, amplis venis tranſverſim irriguus, poſitus eſt, & ad podicem fere excurrit, ubi in mucronem obtuſum definit.

Oeſophagus conſtat membrana robuſtiſſima, eratque in illo piſciculus plane emarcidus: argumento vim pepticam etiam illic exerceri.

Cordis figura burſam paſtoritiam æmulatur.

Ad fundum ventriculi verſus dorſum *Lien* exoritur, latus initio fere duos pollices, eandemque propemodum latitudinem ſervat ſex digitorum ſpatio, quo ventriculi imum amplectitur: deinde appendicem quandam, cæci inſtar, à latere emittit, & continuatus ejus ductus ſubito gracileſcit, nec ſupra tertiam pollicis partem latus eſt. Totus hic gracilis ductus eſt digitorum 15; tandemque Pancreati adnectitur. Toto hoc tractu plurima & prægrandia vaſa à ventriculo & inteſtinis per meſenterium in lienem transferuntur. *Lien* variis in locis coli inſtar contractior eſt; & coloris ex fuſco nigricantis.

Pylorus juxta fundum ventriculi exoritur.

Duodenum inter ventriculum & lienem toto illo tractu excurrit: eidemque

demque ubi lien definit, *Pancreas* annectitur; quod postea in partes duas crassiores veluti bifurcatur: quarum superioris extremum ductum in intestini bursam immittit, ex adverso illius loci ubi ductus bilarius ingreditur. Inferioris autem extremitas septem digitorum longitudine ab intestino, mesenterio adhæret.

Duodenum definit in *bursam* crassam, carnosam & robustam valde; in quam exiguo solum foramine aperitur; adeo ut minimi digiti apicem non admittat. In hanc bursam, ut jam diximus, ductus *bilarius* & *pancreaticus* exinaniuntur.

Vesicula fellea nulla adest.

Ventriculus passeribus sive rhombis scatebat, quos in victum prædatus erat.

In exteriore infimaque ani parte *papilla* est conspicua, quæ *penis* (ut opinor) vicem præstat: namque ex illa, facto compressu, semen & urina, prout vasa seminaria aut vesica comprimebantur, effluebant.

Parastatæ trium digitorum intervallo à diaphragmate exorsi, capsulis membraneis firmissimis involvuntur, & octo digitorum spatio miris mæandris huc illuc, digiti circiter latitudine, parastatarum aliorum more torquentur, tandemque in truncum amplum uterque definit: qui membranæ involventi firmiter annexus, & aliquantulum progressus reflectitur, denuoque descendens in *vesicam seminariam* peramplam & semine refertam terminatur.

Testiculus ipse exiguus est, & pollicis articulum vix æquans: reliquum vero in spiras contortum est parastata; qui reni subjacenti incumbit, eidemque vestigium sui imprimit. Inter utrosque hos parastatarum ductus vena cava ampla interjacet, iisdem calefaciendis idonea.

Renes paulo subtus Diàphragma exorsi, ad anum fere descendunt. Superne quidem angusti sunt & pallidi, parastatisque succumbunt: inferius autem ampli, carnosi & rubicundi evadunt.

Arteria in dorso venæ cavæ sinistro lateri accumbit.

Cerebrum habet exiguum & distinctum valde, quod humor aqueus circumfluit.

Oculi prægrandes tunica admodum dura vestiti, musculisque insignibus donati. *Humor Crystallinus* rotundus est.

Caniculam hanc partes humani corporis nudas candidasque calces, inguina, poplites tam avide appetere affirmat *Rondeletius*, ut aliquando in terram exiliat; unde urinantes & piscatores ab eo timent. Hinc probat eam *Plinii* Caniculam esse.

CAP. V.

Cucuri Brasiliensibus, *Cassaon* Lusitanis, *ex genere Tiburonum* Margg.

LOngus est 2½. pedes, capite in hyperbolam definente, & ore longe inferius stante. Unum tantum ordinem minimorum *denticulorum* habet, quare nocere non potest. *Oculi* illi sunt majoris pisi magnitudine, nigri; *Pinnæ* 7. plane ut Tiburoni, duæ nempe post 5. illas incisuras triangulares; in medio infimo ventre duæ parvæ, & in ultima medietate inferioris corporis item parva triangularis: in medio dorso magna triangularis erecta, & parvula ejusdem figuræ ad caudam, quam habet instar Tiburonis, uti & similem illi per totum cutem, ejusdemque coloris nimirum totum inferius corpus album, dorsum & latera ci-

nerea, quibus argentum transplendet: pinnæ omnes cinereæ, exceptis parvulis in inferiori corpore, quæ albæ: *cauda* cinerea. Hic quem describo 3. catulos perfectos in ventre habebat, unde liquet animal edere. *Carnem* habet siccam, sine spinis, ejusdem fere bonitatis cum *Corcovado.*

CAP. VI.

Vulpes marina Rondelet. Salviani Gesneri, *p.* 1248. *Vulpecula marina* Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 39. *Simia marina* Bellonii. The Sea Fox, *or* Ape.

Ratio nominis. NOmen huic à caudæ longitudine impositum, ut vult *Rondeletius*, vel à calliditate ingenii & astutia; vel à gustu ejus & odore insuavi: gravem enim adeo atque ferum odorem resipit dum manditur, ut vere terrestris vulpis saporem redolere videatur, inquit *Salvianus.*

Magnitudo. Non minus quam canis Galeus augetur, adeo ut aliquando, non secus quam ille, vel ad centenas libras excrescat. *Salv.* *Figura.* Piscis est cetaceus, ex galeorum genere, corpore rotundo spissoque, *Os.* *ore* parvo non multum infra rostrum, (quod acutum est) dentibus acutis, *Oculis, foraminibus* auditui & olfactui inservientibus, *branchiis* atque *pinnis* cum Cane Galeo convenit. *Corpore* autem & *cauda* tum à Cane Galeo, tum ab aliis Galeis differt. *Cauda.* Corpus enim crassius atque brevius, *caudam* vero longiorem multo habet, quam reliqui: ita ut cauda ejus (quæ falcata & quodammodo ensiformis est) corpus reliquum longitudine non solum æquet sed superet: in cujus quidem caudæ exortu, supina parte, pinnula conspicitur. *Pinnæ.* *Pinnæ* quæ ad branchias & anum sunt, longiores sunt iis quæ in dorso. *Color.* *Cute* tegitur. *Ventre* est candido, *dorso* vero cineraceo. Internis partibus à Canicula feroci non differt. *Rondel. Salvian.*

Fœtus vel recipit. Aliorum Galeorum more fœtus suos cum eis timet, intra se recipit. Cujus rei oculatum se testem esse *Rondeletius* asserit. Cum enim (inquit) in litore dissecaretur iste piscis, in ejus ventriculo catulos vidimus, quos pro cibo devorasse *piscatores* existimabant; sed cum vivi atque illæsi inventi essent, eos in metu intro receptos à parente dubitandum non est. Neque obstat caudæ longitudo: etenim cum adhuc parvi sunt & tenelli fœtus, mollis ea est & flexilis.

Eodem modo concipit paritque quo Galeus acanthias.

Locus. Hæc omnia è *Rondeletio* & *Salviano*: nec enim nobis, cum in *Italia* essemus, piscem hunc videre contigit: in Oceano autem aut Mari *Britannico* inveniri nondum audivimus, sed in *Mediterraneo* tantum.

Parisienses inter anatomias quorundam animalium ab iis editas vulpis marinæ dissectionem exhibuerunt; ad tractatum *Gallicum* remitto lectorem.

CAP.

CAP. VII.

Zygæna Rondeletii, Bellonii, Salviani, Gesn. *de Aquatilibus p.* 1255. Aldrov. *de Piscibus lib.* 3. *cap.* 43.
The Balance Fish.

Rondeletius & *Bellonius* piscem hunc cetaceum vocant, quia scil. ad cetorum magnitudinem quandoque excrescat. Galeis autem annumerandum esse, qui descriptionem ejus attendit, ambigere nequit. Monstrosa *capitis* figura à reliquis omnibus piscibus differt, quod ex transverso situm est, Libellæ, vel Mallei vel Balistæ figura: [quibus etiam nominibus aliis & aliis in locis appellatur.] Cujus quidem frons anteriorve pars (quæ utroque clauditur oculo) uti anterius in semicirculum fere extuberat, ita in aciem acuitur, ut dum celeriter piscis natat, obvios pisces secare posse credatur. In medio extremæ utriusque lateralis partis capitis sunt *oculi* magni, rotundi, deorsum potius quam sursum aut ad latus spectantes. in utraque præterea ultima frontis parte oculis proxima oblongum insculptum est foramen, auditui olfactuive, aut utrique (ut arbitror) inserviens. *Os* subtus inferiore parte permagnum habet, *dentibus* validissimis, planis [latis *Rondel.*] acutis, ad latera serræ instar vergentibus, triplici aut quadruplici ordine digestis, armatum: *Linguam* latam, humanæ haud absimilem: *Branchias* utrinque in lateribus quinas & detectas, cæterorum Galeorum instar: in dorso *pinnas* duas, unam à capite tertia plus minus longitudinis parte remotam, majorem & elatiorem, alteram prope caudam & minorem; binasque alias utrinque, priores & majores ad branchias; posteriores vero & minores in medio ventre: post quas rursus alia prope caudam unica & parva, è regione alterius minoris in dorso existentis, imo ventri subest. *Cauda* pinnis duabus inæqualibus constat, quarum superior vertebris fulcitur, & multo longior est; inferior vero vertebris caret, breviorque extat. *Corpore* rotundo est & oblongo. Non squamis sed corio tegitur. *Venter* albus est, *tergum* vero cinereum. Hæc ex *Rondeletio* & *Salviano*: nos enim piscem vivum aut recens captum nondum vidimus quamvis siccum in museis curiosorum asservatum sæpius. Nos quoque ejusmodi piscem integrum eleganter exiccatum habemus. *Pinna* autem dorsi in medio valde elata est & ampla. *Spina* dorsi longissime procurrit in caudam, pinnis utrinque fimbriata: inferius vero caudæ cornu brevissimum est: unde nec descriptio *Rondeletii*, nec icon pisci respondet. Cæterum capitis figura & oculorum situ ab aliis omnibus piscibus abunde distinguitur, ut prolixa descriptione ei non sit opus.

Caput. *Ratio nominis.* *Oculi ubi siti.* *Os.* *Dentes.* *Lingua.* *Branchiæ.* *Pinnæ.* *Cauda.*

CAP. VIII.

Zygænæ affinis capite triangulo. Belgis *een Cruyshaye* Marggrav.

Convenit cum Tiburone majore [cane carcharia] excepto *capite*, quod triangulare habet, seu prout *cor* vulgo pingitur. *Oculi* parvi ad latera ipsius capitis. *Os* parvum triangulare, longe infra positum, triplici ordine dentium minorum, unde ita nocere non potest, os quippe habens angustum. *Caro* melius sapit quam majoris.

CAP.

CAP. IX.

Galeus acanthias sive Spinax Aldrov. *de Piscibus lib.* 3. *cap.* 40. Rondelet. *lib.* 13. *cap.* 2. Gesn. *de Aquatil. pag.* 716. *Mustelus spinax* Bellonii *&* Salviani. A picked Dog, *or* Hound-Fish.

Figura. *Cutis.* *Color.* *Rostrum.* *Oculi.* *Nares.* *Os.* *Dentes.* *Pinna.*

Corporis *figura* tereti & oblonga cum reliquis sui generis convenit: *Squamis* quoque caret, & *cute* aspera tegitur, cujus usus est ad Alabastritem, sagittas &c. poliendum. *Dorsum* ex fusco cinereum; *venter* albidus & minus asper. *Rostrum* quam *Galeo* lævi longius, compressum, extremo rotundiusculum; non enim in acutum definit, ut ait *Rondeletius*. *Oculi* scaphoides, duplici membrana tecti; pupilla elliptica nigra, ad oculos transversa. *Nares* utrinque geminæ seu potius simplices appendicula quadam per medium divisæ. *Os* circa medium rostri, in prona parte, ex adverso oculorum [qui in supina] cum clauditur, segmentum repræsentat. *Dentes* parvi, acuti, binis ordinibus, à medio maxillarum utrinque reflexi. Retro oculos hinc inde foramen quam in Catulis minus. *Pinnas* in dorso duas obtinet; anteriorem capiti aliquanto viciniorem quam caudæ; posteriorem à cauda non longe. In utriusque anteriori parte spina, in illius procerior, major, validior; in hujus humilior & minor. Pinnarum in ventre duo paria, ad branchias unum, alterum ad orificium excrementorum, quibus annexæ sunt. In maribus *penes* gemini, alterutri scilicet pinnæ unus. *Cauda* nonnihil forcipata, cornu superiore multo longius procurrente. *Pinna* in imo ventre inter anum & caudam prorsus caret, quo ab aliis omnibus hujus generis differt. In ventriculo sepias invenimus.

Cauda.

Intestina & viscera.

Intestina eodem modo se habent quo in Cane *Galeo*, minori duntaxat spatio reflectuntur. *Hepar* pallidius; *Cystis fellea* longior, & dependens in lobo dextro: *Lien* ad fundum ventriculi, habens etiam processum, qui intestinum comitatur quoadusque reflectitur, per breve scil. spatium, ubi cum pancreate committitur. Est autem *pancreas* duplex, ad angulum, quem intestinum cum seipso facit cum deorsum secundo reflectitur, situm. Fæminis sub diaphragmate, utrinque racemus ovorum seu *vitellarium*. Utrinque infra vitellaria continuabantur cornua *uteri*, quæ, ut mihi videbatur, sub diaphragmate in se mutuo pervia erant. *Ova* duo simul [in singulis racemis singula] maturescunt, & in uteros delabuntur. Sunt autem ova dum adhuc in vitellario sunt, rotunda, gallinaceis minora, cortice duro minime tecta; nulla, quod observare potuimus, albuminis & vitelli distinctione. Color interioris substantiæ, flavicat nonnihil, velut flos lactis, aut tantillo magis. Paulo infra racemos *uterus* in duo corpora glandulosa intumescit, quæ tamen in medio pervia sunt. Cum ovum jam in inferiorem uteri partem delapsum est, ibi fovetur donec fœtum excludat, qui in utero adolescit quoad omnem absumpsit vitellum, qui in intestina transit, eodem fere quo in avibus modo. *Umbilicus* paulo supra primum pinnarum par; è quo foras dependebat ovi folliculus cum vitelli parte. Ab hoc folliculo seu vitello per umbilicum ductus amplus in vesicam seu sacculum, vitelli folliculo sextuplo majorem, conicum, ventriculo similem ejusque vicarium, vitello plenum tendit. E vitelli folliculo extrorsum dependente facili negotio liquorem contentum in ventriculum vicarium, exprimere seu compellere potuimus, non autem retro è ventriculo in folliculum;

Pancreas. *Vitellarium.* *Uterus.* *Ova.* *Uterus.* *Umbilicus.*

culum; unde apparet valvulam ibi intercedere, quæ à vitelli folliculo in ventriculum vicarium aperitur, & liquori inde effluenti cedit & transitum præbet, refluxum autem impedit. E ventriculo vicario iterum in intestinum (ductu ad id facto circa intestini flexuram infra pylorum) liquor facile compellitur, & ex intestino retrorsum in ventriculum; unde patet nullam ibi valvulam interesse. *Ventriculus* genuinus omnino inanis erat, & nullius usus fœtui nondum excluso esse videbatur. Intestinum excrementis plenum erat crassioribus paulo & saturatius flavis quam liquor ille qui in ventriculo vicario continebatur. In inferiore uteri parte non procul ab ano magnus utrinque *catulus*, 9. digitos longus undique perfectus & partui proximus, nulla membrana seu secundis inclusus, sed nudus in utero jacens; ut & *Bellonius* ante nos observavit, qui & de ventriculo eadem habet. *Ova* nullo vinculo utero alligata sunt, ut *Rondeletius* scribit: qui testatur sese sex in ventre hujus piscis perfectos fœtus observasse; multis aliis ovis nondum exclusis. *Ventriculus.* *Catuli. in utero.*

Magnitudine nunquam ad canem *Galeum* vel ad vulpeculam accedit: nunquam enim 20. libras implet. *Magnitudo.*

Frequentes apud nos capiuntur in Oceano *Britannico* & mari *Hibernico*, nec rarius in *Mediterraneo* mari.

CAP. X.

Galeus Acanthias seu spinax fuscus: Genuæ, Sagree.

COlore est fusco & obscuriore quam vel præcedens, vel quævis alia *Galei* species: *Rostro* obtuso; *naribus* amplis, in ipsa prope Rostri extremitate sitis, quo à præcedente differt. *Oculi* huic, ut aliis hujus generis, elliptici, cute semioperti. *Os* amplum; lingua grandis. Tam lingua quam palatum interius obscure cærulea. In superiore maxilla duos aut tres ordines habuit *dentium* acutorum, brevium; in inferiore unicum tantum: sed forte in senioribus plures sunt. Aiunt enim huic generi [*Galeorum*] per totam vitam novos quotannis dentes succrescere. *Dentes* autem à medio maxillarum utrinque reclinati, ut in præcedentibus. Est & aliud in hoc pisce singulare, quo à superius proxime descripto differt, quod prona pars seu *venter* obscurior est & asperior quam ipsum dorsum. *Dorsum* autem huic non acutum est quemadmodum illi, sed latius & planius. Cæterum *spinis, cauda, pinnarum* numero & situ, cum illo plane convenit. *Genuæ* hunc nacti sumus, & descripsimus.

CAP. XI.

Galeus acanthias Clusii *Exoticus, qui tamen ad hoc genus proprie non pertinet.*

INter *Galeorum* genera referendum hunc exoticum piscem arbitror, & forsitan *Acanthiæ* speciem aliquam censendum: nam *spinam* sive aculeum habebat, non quidem in dorso sed pene in cervice, illamque unicam. Erat autem corpore longo, 3. fere pedum longitudinem explente, *coloris* (resiccatum enim & exenteratum duntaxat conspiciebam) ex cineraceo fusci, in quo tamen quidam candor, præsertim in

tergore adhuc eluceret: vivum enim & recenter captum argentei pene coloris fuiſſe intelligebam. Medii corporis ambitus pedis, hoc eſt 12. unciarum longitudinem æquabat. Cartilagineus vero erat, & lævi cute præditus, roſtro lato, ſed in obtuſum deinde acumen definente. *Oculi* magni erant, è quorum infima parte enata erat membrana, quæ ſurſum ſe attollens, velut nubes caliginem illis offunderet. *Oris* rictus non valde latus, in ſupina capitis parte, maxillas in obtuſum angulum definentes habebat, fere ut Simiæ: quaternis autem *dentibus* os præditum erat, binis in ſuperiore maxilla, totidem in inferiore, iiſque firmis, quorum ſinguli quibuſdam ſulcis erant diſtincti, ut pluribus dentibus armatum os eſſe videretur. *Corpus* à cervice ſenſim graciloſcebat: *ſpina* ſive aculeo in ea parte, qua dorſum cervici connectebatur, ſito, eoque 6. uncias longo, infima parte lato & cavo, ſuperna autem valde acuto. *Pinna* ſurrecta innitebatur 4. pæne uncias longa. Binas duntaxat in lateribus *branchias* valde apertas obſervabam, utrinque videlicet unam, cum aliorum *Galeorum* genera denas habeant, in ſingulis lateribus quinas. Has ſequebantur duæ *pinnæ* ad natandum idoneæ, longiores quam in ullo *Galeorum* genere conſpexerim; 9. viz. unciarum longitudinem æquantes. Binas alias habebat ex utraque podicis parte, 4. uncias longas, illaſque bifidas, hominumne induſtria ſic fiſſas, an à natura, nihil pronunciare poſſum. Alia deinde *pinna* in dorſo, paulo infra eam quæ ad aculeum erat, exoriebatur, ad extremam fere caudam uſque inæqualiter porrecta, hoc eſt ad eam uſque caudæ partem quæ tenuiſſima & 7. uncias longa, muris caudam quodammodo æmulabatur. *Podici*, qui in ſupina parte ut in reliquis piſcibus ſitus, vicina erant bina foramina, in quem uſum ignoro. *Capitis* porro cutis ſiccitate adeo erat contracta, ut nulla circa oculos, nulla ante eos foramina obſervare potuerim. Anno 1601. hunc piſcem vidit præcedente anno captum in Septentrionali Oceano ab his qui halecibus irretiendis operam navarunt.

Piſcis hic non habet notas *Cartilagineorum* characteriſticas, adeoque ad hoc genus proprie non pertinet; verum quoniam *Cluſius* eum huc retulit, nec nos quo jure referendus ſit ſatis perſpicimus, *Cluſium* ſecuti, hic diſpoſuimus.

CAP. XII.

Centrine Rondel. Salvian. Geſn. Aldrov. *lib.* 3: *cap.* 41. *Vulpecula* Bellonii, *Peſce Porco*, Romæ.

EX *Galeorum* eſt genere: ſi reliquos Galeos ſpectes, brevis, craſſaque, & ſpiſſa. A capite ad podicem trianguli eſt *figura*: ventre nimirum plano latoque unum trianguli latus; partibus quæ utrinque dorſo adjacent reliqua duo latera conſtituentibus: itaque in ſupremo dorſo unus eſt angulus, reliqui duo in ventris dextro ſiniſtroque latere. *Figura.*

Hæc *Rondel.* *Colore* eſt fuſco obſcuriore. Quem deſcripſi 4. libras Romanas pendebat. Verum is juvenis fuerit oportet, cum *Bellonius* ſcribat, vel hepar ſolum ſex interdum olei libras colliquatum effundere. *Color.* *Pondus.*

Cutis creberrimis tuberculis [aculeis, *Rondel.*] aſpera. *Caput* pro corporis mole exiguum, compreſſum, unde tam prona quam ſupina ſuperficies prope planæ ſunt. *Caput.*

Nares habet in prona parte non longe à roſtro extremo amplas; quas ſi inſpicias, videbis intus cavitatem ſuccingens aut concamerans corpus album velut ſpinam dorſi, cum radiis utrin- *Nares.*

que instar costarum. *Oculi* elliptici, quos cutis velut palpebræ conte- *Oculi.*
git. Pupillæ nigræ, iridibus dilute virentibus. *Os*, contra quam *Ron-* *Os.*
deletius scribit, exiguum, in prona capitis parte, ut reliquis hujus gene-
ris, digiti fere à naribus distantia. In maxilla superiore tres dentium
ordines spectantur, in inferiore unicus tantum, dentibus novem con- *Dentes.*
stans, serræ denticulis persimilibus, quorum medius perpendiculariter
erectus, reliqui hinc ad dextram vergunt, inde ad sinistram. Retro o-
culos duo habet *foramina* lunulata, auditui fortasse inservientia: quinque *Foramina*
branchiarum foramina perexigua, ad quorum postremum incipiunt primi *retro oculos.*
paris pinnæ, satis amplæ in longitudinem magis quam latitudine exten- *Branchiæ.*
sæ. Venter planus est, cumque lateribus (quæ pariter plana sunt) angulos
acutos efficit. *Pinnæ* secundi paris, ut in congeneribus, foramen ani am- *Pinnæ.*
plectuntur, ejusdemq; figuræ sunt cum catulorum pinnis, habentque pa-
riter annexos [in maribus] duos penes minutos. *Anus* autem in hoc *Anus.*
pisce non longe ab initio caudæ distat, adeo ut inter podicem & cau-
dam in ventre nulla intercedat pinna; quo cum Galeo acanthia con-
venit. *Cauda* quam in Catulis latior, sed similis. Duas habet in dorso *Cauda.*
pinnas, quarum anterior una fere longitudinis quarta parte à summo
rostro distat [initium pinnæ intelligo] figuram obtinet triangularem,
& spina versus caput inclinata adeoque radios pinnæ decussante, trans-
verberatur. *Spina* hæc paulo supra latus pinnæ anterius eminet. Pin- *Spina in*
na in imo adeo crassa est, ut Dorsum potius productum quam pinna *dorsi pinnis.*
videatur. Pinna posterior ex adverso ani ejusdem est cum anteriore fi-
guræ; verum spina quæ eam transversim secat seu penetrat, caudam
versus inclinatur. *Dorsum* à planitie capitis paulatim in eminentiam *Dorsum.*
assurgit, unde & *Porci* nomen (ut puto) obtinuit, nisi forte, quia (ut
Rondeletius ait) Porci modo in cœno se volutet, ita dictus sit. *Nominis*
Hepar ei immane, caloris albidi, in duos proxime æquales lobos, à *ratio.*
diaphragmate ad ipsum usque podicem extensos divisum. *Cystis fellea* *Viscera &*
nulla nobis sedulo inquirentibus apparuit, verum ab hepate ad initium *intestina.*
intestini ductum satis amplum observavimus, quem meatum cholido-
chum fuisse minime dubitamus. *Ventriculus* mediocris est. Ad pylo-
rum intestinum angustissimum tantillum reflectitur. Deinde grandes-
cit & recta ad anum tendit; habetque non longe ab ano appendicu-
lam seu intestinum cæcum. Alterum ex his corporibus vas seminale
jam fuisse suspicor, imo mihi plane persuadeo, nimirum longius. Duos
insuper observavimus *splenes* aut corpora spleniformia, unum ad latus
ventriculi longum & gracile; alterum ad fundum ejusdem triquetrum
& crassiorem. *Pancreas* in flexura intestini quemadmodum in avibus.
Centrinas vel Centrine casus rectus est à κεντρίνης; inepte ergo Centrina
fæminino genere à recentioribus plerisque scribitur. *Gesn.* Capitur in
mari infero: Nos enim Romæ in foro piscatorio venalem vidimus.

Carne est usque adeo dura, fibrisque duris adeo intertexta, ut vix *Carnis*
cultri aciem admittat, neque à cute divelli possit. Raro capitur hic *qualitas.*
piscis: captusque negligitur etiam à rusticis nostris in piscium penuria:
durissimus enim est & virus resipit. *Rondel.* Quæ omnia verissima esse
experientia nostra testatur.

Hepar ejus, ut reliquorum Galeorum, in oleum abit, quod ad hepa- *Usus in*
tis humani duritiem emolliendam confert, idemque similitudine sub- *medicina.*
stantiæ corroborat, maxime, si adstringentia quædam admisceantur,
ut Cyperus, Spica nardi, Absinthium, Ladanum, Styrax, sed tum minus
emolliet. Id etiam dolores articulorum levat, quæ magno quidem
cum successu experti sumus. *Rondel.* qui lib. 1. cap. 1. hæc etiam habet:
Juvenem quendam olim cum scirrho hepatis pene confirmato jamjam in hy-
dropem omnium judicio prolapsurus videretur, nos præter omnium opinio-
nem medicamento ex oleo hepatis Centrinæ, mastiche, Spica Celtica, ac mo-
dico styrace confecto curavimus. Inveteratam nervorum contractionem, &

 remediis

remediis maximis rebellem eodem hepatis Centrinæ oleo non sine magna admiratione plane sanavimus.

Fel suffusiones delet, melli permistum & palpebris illitum. Cute artificum opera poliri possunt. Cinis ad psoras & capitis ulcera manantia detergenda, exiccanda miraque celeritate percuranda valet cum cedria admotus. Vrinas non minus movet quam cancrorum vel erinaceorum cinis. Idem.

Porcus piscis Romanis aliisque Italis, necnon Massiliensibus teste *Rondeletio* dicitur; nec inepte, vel quia speciem Porci referat, vel quia Porci more in cœno se volutet.

CAP. XIII.

Mustelus lævis primus Salv. *Galeus lævis* Rondelet. Gesn. 717. *Galeus sive Mustelus lævis* Aldrov. 393. The smooth *or* unprickly Hound.

Color. Figura. Oculi. Rostrum. Pinnæ.

COlor ei in dorso & lateribus cinericeus, in ventre argenteus: *figura* longa subrotunda, ut sui generis reliquis. Caput pariter compressum: *Oculorum* figura elliptica oblongior: pupillæ parvæ. Fere dimidiam partem orbitæ oculi cutis obtegit. Extremum *rostrum* obtusum, verum ultra os oculosque longius procurrit quam in catulis. *Pinnæ* in dorso binæ, anterior circa centrum gravitatis, tertia plus minus longitudinis parte à capite distans; posterior minor, ab anteriore tantundem disjuncta, quantum illa à Rostro extremo. Sub ventre duo pinnarum paria; anterius juxta foramina illa quinque branchiarum; posterius paulo supra medium longitudinis ad foramen ani; juxta has pinnas in maribus *penes* duo, ut in aliis. Infra anum una circiter quarta totius longitudinis remota cernitur alia pinna singularis, dorsali inferiori non directe contraria, sed nonnihil inferius sita. Cauda longa, quodammodo forcipata: superius autem cornu longe ultra inferius procurrit, nihilque aliud est quam ipsum corpus productum, pinnis utrinque fimbriatum. *Dentes* proprie dicti in hoc pisce non sunt, verum utraque maxilla limæ fere instar aspera, ut in Raiis.

Penes.

Dentibus caret.

A Cane Galeo quid differat.

A Cane Galeo differt 1. magnitudine, qua illi multum cedit, cum vix unquam ad 20. libras perveniat. 2. Ore, quod huic edentulum est, ut diximus. A catulis inferius describendis plurimis notis distinguitur. 1. Quod corpore sit longiore, & in caudam magis attenuato. 2. quod dorso non ita lato, verum acutiore. 3. Quod pinna dorsi ei major sit & capiti proximior. 4. Quod cutis multo asperior. 5. Quod minime maculosus sit, quemadmodum illi. 6. Quod edentulus sit. 7. Quod foramina ad oculos huic quam illis minora. 8. Quod Os huic angulosum sit, non rotundum. 9. demum, quod Rostrum longius.

Cur lævis dicatur.

Cæterum lævis dictus est, non à lævitate cutis, quam hujus generis omnes scabram habent, alii magis, alii minus, quaque ab aliis etiam, ut v. g. Galeo glauco & catulis superatur, sed ut ab Acanthia seu spinace, cui alias perquam similis est, distinguatur. *Rondelet.*

Rondeletius nullum ex Galeis alium esse affirmat, cujus fœtus secundis membranisque involvatur, uteroque matris per umbilicum alligetur. Quod an verum sit necne, me nescire fateor: verum in utero *Canis Acanthiæ* vivos fætus inveni, non tamen secundis inclusos, ut antea dictum est.

Fœtus

Fœtus-Galæi lævis Anatomiam edidit *N. Stenonius* in Act. Med. *T. Bartholin.* An. 2. Obs. 89. quam adeat lector. Hepar hujus piscis conflatur ex innumeris lobulis, ficut pulmo, ex Obf. *Malpighii.*

Galeus Afterias *Rondelet. Gefn.* 717. *Aldrov.* 393. Muftelus ftellaris five varius *Salviani.* A præcedente non alia in re differre nobis vifus eft, quam quod maculis albis lenticularibus, in lineis lateralibus minoribus & crebrioribus, fupra lineas in dorfo majoribus, verum rarioribus, nullo ordine pofitis, varius effet. *Rondeletius* ait cute tegi læviore quam præcedentem; verum id nobis non obfervatum.

CAP. XIV.

Priftis five Serra pifcis Clufii, *Exot. lib.* 6. *cap.* 9. Rondeletii *&* *aliorum.*

OMiffis incertis & fabulofis, pifcis hujus defcriptionem è *Clufii* exoticis & *Marggravii* hiftoria, qui pifcem ipfum viderunt, petemus.

Cum Cetaceis proprie dictis nullam corporis fimilitudinem habet: ob magnitudinem tamen cetaceus, late fumpto vocabulo, dici poteft, quomodo & alii Galei & Thunnus. Corporis *forma* & *colore* Galeorum generibus aut Caniculæ *Ariftotelis* valde fimilis eft, nullis tamen maculis, ut illa, confperfam *cutim* habens, perinde tamen rudem & inftar zygænæ cutis afperam, cineracei feu leucophæi in dorfo coloris, in ventre candicantis. *Caput* cordis figuram habet, compreffum, nec craffum. In hujus medietate, paulo tamen verfus anteriora, in quolibet latere *oculus* ftuferi magnitudine [in pifce quem *Marggravius* defcripfit intellige, cujus longitudo ab occipite ad pinnam caudæ unius erat pedis & feptem digitorum,] & poft quemlibet digiti fere intervallo fpiraculum per quod aquam evomit. [Nos foramina hæc *meatus auditorios* effe credimus: nam pifcis per foramina branchiarum quæ in utroque latere quinque habet, aquam emittit] & fub hifce in inferiore tamen parte oris fciffuram, ut in Zygæna fere tranfverfam, labiis inftar limæ acutis, fine dentibus. In extremo autem capitis verfus enfem in inferiori parte duo funt fpiracula, fubftantiæ interius inftar branchiarum, quibus fine dubio gladium regit, nam inter has branchias enfis oritur. [*Nos foramina hæc narium effe minime dubitamus: nam in omnibus hujus generis pifcibus fornix feu interior narium concameratio branchias quodammodo repræfentat.*] Caput in longum & anguftum, planum & firmum *roftrum* porrigitur, utrinque multis dentibus, five offeis firmifque ac rectis fpinis ex adverfo fitis ferræ inftar munitum, numero incerto; in aliis enim viginti quinque, in aliis viginti fex, in aliis duodetriginta utrinque cernuntur. *Pinnas* habet feptem: viz. duas ad latera, paulo infra branchiarum fpiracula [quæ quina utrinque funt, angufta & oblongiufcula] duos & femis digitos longas, paulo plus tribus latas [in pifce *Marggravio* defcripto intellige.] Quatuor digitorum interftitio poft has in lateribus iterum duas, fefquidigitum longas, tantundem latas, fupra has in dorfo unam ejufdem magnitudinis: deinde in extremitate corporis fere in dorfo itidem talem, & feptimam pro cauda, quæ fuperius 4. digitos longa, inferius duos & femis, duos lata, ubi latiffima, ut in Tuberonibus. Corpus fubteres eft, anguftum verfus pofteriora.

Marggravius fe enfem habuiffe fcribit quinque pedes longum, unde pifcis magnitudo facile æftimari poteft. Nam in pifce unius pedis & feptem

Cetaceus proprie dictus non eft. *Figura.* *Color, Cutis.* *Caput.* *Oculi.* *Meatus auditorii.* *Os edentulum.* *Nares.* *Roftrum ferræ fimile.* *Pinnæ.* *Magnitudo.*

ſeptem digitorum [ab occipite ad pinnam caudæ] ſerra novem tantum digitos longa erat.

Locus. Reperitur hic piſcis, ut plurimum, in oceano occiduo: certe quotquot mihi videre licuit, roſtra variæ magnitudinis, ingentia, mediocria & exigua inde relata dicebantur. *Cluſius.* *Geſnerus* piſcem hunc veterum Priſten non eſſe contendit, quem adi. Fallitur *Rondeletius* aliique qui Cetaceis proprie dictis, hoc eſt Pulmone reſpirantibus, & viviparis ad modum Quadrupedum, eum annumerant.

CAP. XV.

Catulus major vulgaris. Canicula Ariſtotelis Rondeletio. Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 34. *Catulus major* Salviani, *Peſe Gatto Venetiis*, *Cornubienſibus* a Bounce.

Magnitudo. LOngitudine interdum ſeſquicubitali vidimus. Cutis ei varia eſt, velut Pardi, è cinereo ſcil. rubeſcens, (unde *Rouſſette* Gallis dicitur) maculis crebris nigris punctata, admodum aſpera; cum Cutim dico, *Color.* pinnas etiam comprehendo. Venter planus; dorſum etiam latius quam *Figura.* in Galeis. Roſtrum brevius & obtuſius quam Muſtelo lævi: *Os* etiam *Os.* majus latiuſque. Maxillæ pluribus *dentium* acutorum hamatorum ſeu *Dentes.* introrſus recurvorum ordinibus inſtructæ. Lingua lata glabra. Ultra oris aperturam (quæ in prona parte eſt) Roſtrum vix ad digitum, etiam in adultioribus, procurrit. Proxime ante os nares ampliſſimæ, maximam partem laxa cute contectæ, relicto tamen rotundo ad angulum foramine intus cavitas magna, in cujus fundo foraminula longa, pectinatim diſpoſita, per quæ exeunt fibrillæ ſeu nervuli à proceſſibus mammillaribus nervorum olfactoriorum, qui narium cavitatibus modo dictis proxime ſuperincumbunt; unde proculdubio Piſcis hic, & hujus generis alii odoratu valent; & ob id merito canum nomen, non minus quam ob dentes ſerratos & voracitatem, a-*Oculi.* pud omnes fere gentes adepti ſunt. *Oculi* figuræ ovatæ longioris, admodum reducti, mediam plus partem cute contecti. Pupillæ parvæ; *Pinnæ.* irides cæruleo-virides, & prope quales in catis cernuntur. *Pinnæ* in dorſo duæ: anterior media plus parte longitudinis à ſummo roſtro diſtat; poſterior & minor non longe ab anteriore diſtat. Quinque habet *Branchiæ.* utrinque *branchiarum* foramina. Pinnæ primi paris, à tertio foramine inchoatæ, ſatis amplæ ſunt, & figura ſua ad triangulum rectangulum accedunt. Orificium excrementorum tantillo cis medium longitudinis ſitum obtinet; quod amplectitur ſecundum pinnarum par, præcedentibus minorum. Singularis inſuper pinna ſpatio inter anum & initium caudæ medio exiſtit.

Cerebrum. *Cerebrum* non ut in aliis piſcibus, verum primo occurrunt duo ingentes proceſſus mammilliformes, fibrillis ſuis oſſi cribriformi hærentes, de quibus jam diximus, deinde duo cerebri hemiſphæria, quæ cava videbantur, inferius oculorum thalami, & cerebellum multo majus. *Ventriculus & inteſtina.* *Ventriculus* amplus, in quo ſepiarum fragmenta invenimus. Inteſtinum grande, non reflexum, à pyloro ad anum recta tendit. [*D. Wil-*Hepar.* *lughby* inteſtina ſemel reflexa ſcribit.] *Hepar* prægrande in duos longiſſimos diviſum lobos, præter alium exiguum, in quo veſicula fellea occultatur. Color ei flavus ſordidior. Ad angulum ventriculi cum *Lien.* inteſtino *lien* rubicundus, qui in longam velut caudam procurrit. Pau-*Pancreas.* lo infra lienem *pancreas*, ejuſdem cum Quadrupedum pancreate colo-*Vaſa ſpermatica.* ris. *Vaſa* ſpermatica in maribus ſunt, 1. Veſiculæ ſeminales nobis dictæ;

ctæ; quæ sunt duo corpora longa, compressa, alba, humore spermatico plena. 2. Corpora bina varicosa, ab ipso diaphragmate inchoata, & secundum totam Dorsi longitudinem ad anum usque protensa, in quam tribus distinctis canalibus exeunt, & humorem spermaticum ab eo fortasse qui in vesiculis seminalibus continetur diversum, effundunt. 3. prope initium horum corporum duo velut testes ingentes, prælongi, albi.

Ductum *Arteriæ* magnæ in hoc pisce observavimus. Primo sursum ascendit. Deinde in quatuor hinc inde ramos tota distribuitur. Singuli rami ad singulas pergunt branchias, præter supremum, qui in duos ramos subdividitur, qui ad duas superiores branchias tendunt. Omnes hi rami secundum branchiarum costas seu cartilagineis procedunt, & ramulos obiter in pectines radiosos carneos spargunt, donec tandem truncus totus absumatur & dispareat. Novæ ab his distinctæ arteriolæ sanguini revehendo inserviunt; quæ in contrariis branchiarum extremis in truncos coeunt. Atque ita ex singulis branchiarum extremis singuli rami exeuntes sanguinem reportant, qui tandem omnes in unum pariter truncum juxta spinam dorsi conveniunt: qui truncus tum ascendit ad caput, tum descendit versus caudam. Notandum etiam quod sicut in arteriis advehentibus supremi duo rami ex uno procedunt, ita pariter in revehentibus supremi duo rami in unum truncum conveniunt, antequam omnes ad arteriam magnam componendam iterum concurrant. *Arteria aortæ in branchias distributio.*

In mari mediterraneo frequens est; capitur etiam in Oceano Britannico non raro. Nos Pensantiæ in Cornubia vidimus & descripsimus. *Locus.*

CAP. XVI.

Catulus maximus, forte (Gesn. *de Aquatil. p.* 199.) *Canicula saxatilis* Rondeletii. *An Mustelus stellaris primus* (Gesn. *de Aquatil. p.* 723.) Bellonii?

Pinnarum numero & situ cum *præcedente* convenit: differt, 1, Quod ille ruber sit, hic cinereus 2. Quod maculæ in hoc quam in illo multo majores sint, verum pauciores. 3. Quod rostrum huic quam illi longius sit crassiusque, inferius plurimis foraminulis punctatum. 4. Quod nares in hoc longius ab ore distent, cum in illo in ipsum etiam os partim aperiantur. 5. Quod in illo pinnæ ad anum conjunctæ sint & continuæ, in hoc discretæ & divisæ. 6. Pinna in ventre infra anum; in hoc ano vicinior, à cauda remotior, quam in illo. *A præcedente quid differat.*

Maculis cum Catulo majore *Salviani* convenit; cumque Canicula saxatili *Rondeletii*: verum in aliis differre videtur. Caniculam saxatilem *Rondeletius*: sic describit. *Caniculæ Aristotelis*, (h. e. superius proxime descriptæ) pinnis, branchiis, partibus internis, pariendi modo plane similis est. Vita vero, magnitudine, cutis asperitate duritiaque differt; illa in cœno & litoribus degit, hæc in saxis & alto mari frequentius: unde fit, ut illa sæpius, hæc raro capiatur; illa in mari nostro ad summum cubitalis est; hæc binos cubitos aliquando superat, cuteque adeo aspera ac dura est, ut ea lignum eburque perpoliri possint, non aliter quam cute Squatinæ: eadem ensium capuli muniuntur. Præterea maculas corpori aspersas latiores habet. Carne est meliore, nihilominus ferinum quid redolente. Cæterum mammas illas candidas, veluti superior [*Aristotelis*] canicula habet: ova testacea plane similia, nisi quod majora sint. *Caniculæ saxatilis Rondel. descriptio.*

CAP.

CAP. XVII.

Aldrov. *lib.* 3. *Cap.* 34. *Catulus minor*; *an* Salviani? *Mustelus Stellaris tertius* Bellonii. The Rough Hound *or* Morgay, *Cornub.*

A Prima ſpecie ſeu Catulo majore vulgari figura corporis tenuiore & longiore, magnitudine & calore præcipue differt. Quippe & *Color.* longe illo minor eſt, & *colore* dilutiore; qui huic in dorſo pulverulentus eſt tantillo rubore perfuſus, maculis crebris exiguis, partim fuſcis, partim albidis, nullo ordine ſparſis varius. Venter totus albet. In *Pinna ad anum.* cæteris fere omnibus cum Catulo primo convenit. *Pinnæ* ad anum in maribus ſimul conjunctæ unam duntaxat componunt: qua autem junguntur in acutum angulum excurrunt, & ſinu velut quodam duos penes excipiunt. Cutis non minus aſpera quam illius: prona quoque Roſtri pars foraminulis punctata.

Eſt hic (ut puto) Muſtelus ſtellaris tertius *Bellonii,* quem Tyrrheno tantum litori (quod noverit) cognitum ſcribit, carnis jucunditate ac redolentia cæteros exuperantem, quamobrem Romanum vulgus vulgo *Guattum muſcarolum* nominavit. Nunquam is ſeſquilibram exuperat, ſtellulisque ut & toto corpore candidioribus eſt conſpicuus.

Locus. Nos eum Romæ in foro piſcatorio ſæpius, nec alibi in tranſmarinis vidimus. Aliis catulis in cibis præfertur, an vero caro ejus muſcum redoleat, ut nomen Romanum arguit, nos non exploravimus.

LIB. III.

SECTIO II.

De Cartilagineis planis.

CAP. I.

Aquila Bellonii & Salviani, Aldrov. Geſn. *Paſtinaca ſecunda* Rondeletii. *Romæ* Aquilone.

Figura capitis, Roſtri. R*ondeletius* ſic eam deſcribit. *Capite* eſt magis quam Paſtinaca exerto; *Roſtro* non angulato, ſed rotundato, denique capite bufonem plane refert, unde Bufonis nomen à Genuenſibus impoſitum. *Laterum.* *Latera* velut alæ expanſæ, magis in angulum acutum deſinunt quam in *Cauda.* altera [Paſtinaca prima.] *Cauda* vero ejuſdem radio & veneno minime ab ea diſſidet; & à caudæ longitudine *Peſce ratto* dicta eſt. *Salvianus* his verbis Aquilam ſuam deſcribit: *Licet reliqui plani & cartilaginei piſces aut fere nullum aut modicum capitis veſtigium habeant, Aqui-* *Caput.* *læ tamen* caput *expreſſum exertumque eſt, atque bufonis capiti ſimillimum.* *Oculi.* *in quo* oculi *ſatis magni, rotundi atque prominentes conſpiciuntur, & poſt eos bina magna & patula* foramina (*non ſecus quam in aliis planis & Carti-*

cartilagineis) insculpta sunt. Os *habet supina parte mediocre & valde denticulatum.* Latera *uti latiora, ita magis acuta sunt quam in Pastinaca; ita ut expansas volantis Aquilæ alas egregie æmulari videantur. In caudæ exortu utrinque una parva & rotunda* pinna *exorta est. In maribus vero ex utroque podicis latere, qui circa caudæ principium extat, una* appendix *pendet. Caudam multo tenuiorem atque longiorem habet quam Pastinaca. . . . . In caudæ dorso paulo post principium pinnula una parva primum erigitur, ab hac vero deinceps* aculeus *osseus, longus, acutissimus atque utrinque serratus eminet. Lævi & molli* cute *tegitur, inferiore parte alba, superiore vero livida.* Ventriculum *habet mediocrem*: inteſtina *satis magna*, jecur *subflavum*, lienem *subatrum. Quæ in Romano foro piscario conspici solent Aquilæ, depictæ iconis* magnitudinem *non excedunt, audivimus tamen alicubi ad trecentas etiam libras excrescere consuevisse.* Hactenus *Salvianus*.

Os. *Latera.* *Pinna caudæ.* *Appendices ad podicem.* *Cauda aculeus.* *Cutis.* *Partes interna.* *Magnitudo.*

Bellonius caput ei elatum tribuit, Aquilæ aut Milvi oculos ac rostrum referens. *Fabius Columna* caput admodum simile videri ait vulgaribus avibus per aera gregatim sibilo stridenti volitantibus, in domorum foraminibus circa tecta nidificantibus æstate, quos vulgo *Rhendoni* & *Rendenoni* appellamus (Hirundines apodes, ut puto, intelligit) nam grande atque elatum videtur, colore nigricante, alis longis & acutis. *Bellonius* dentes sic in ore dispositos refert, ut totum ejus palatum tam superne, quam inferne iis veluti latioribus tabellis ordine transverso dispositis constratum præ se ferant. Caudam duarum ulnarum longitudinem interdum excedere scribit. *Columna* caudam non nisi dimidio corporis longitudinem superare ait. A Pastinaca marina, referente *Columna*, differt magnitudine qua illam excedit; capite elatiore, magis exporrecto circa rostratam cartilaginem anteriorem, quæ in hac parum superest circa caput, & rotunda est. Alas habet proportione majores, in acutum desinentes, angustiores & longiores. Proportione dupla est ejus latitudo ab alarum extremitatibus, longitudini corporis ad caudæ radicem. Cauda multo longior, radio munitur parum infra originem, quam in pastinaca propius, & pinnulam habet, quæ aliis deest. *Rondelet.* Caro mollis est & præhumida, *Bellonius.* gravem tetrumque odorem expirans. *Salviano* piscis est insuavis palatoque ingratus, nec nobilibus solum, sed & ipsi quoque plebi exosus.

A Pastinaca quomodo differat.

Quibus argumentis hunc piscem veterum Aquilam non esse probat *Rondeletius*, apud ipsum, necnon *Gesnerum* & *Aldrovandum*, vide. *Salvianus* & *Bellonius* Aquilam esse contendunt, eo præcipue argumento, quod hodie quoque Romæ & Neapoli *Aquilone* & *Aquila* dicitur. Caudæ radius in hac non minus venenosus quam in Pastinaca. Piscem hunc Græci Aeton, Latini Aquilam à similitudine ad hanc avem aliqua vocaverunt, sive alis eam referat, sive rostro, sive aliter, inquit *Gesnerus*.

CAP. II.

Pastinaca marina altera πτερυπλατεῖα, Altavela *Neapoli dicta*, Columnæ.

L*Ævis etiam hæc est. Piscatores Neapolitani (quod &* Ælianus *refert) eam etiam aliquando volare (quod risimus) nobis retulerunt. Capitis effigie a superiore non differt, nisi quod minus proportione videatur, nec ita elatum, & minus in anteriorem partem protensum, sed infra alas remissius, atque multa cartilagine post caput superante. Colore non differt, alarum*

vero effigie ab omnibus varia, & a superiori latitudine obtusiore circa extrema: cauda vero adeo brevi, ut minor sit dimidia corporis longitudine, aculeum etiam habente, magis caudæ initio propinquum dimidiata caudæ longitudine & aliquando duas in majoribus quas vidimus, & exiccatam unam retinemus. Qui semipedali longitudine radii sunt, eorum superior atque minor, medium habet decurrentem canalem a summo ad extremum: inferior vero major & elatior tribus canaliculis majoribus striatur. Omnes dentibus ad caudam reflexis serrati conspiciuntur. Differt hæc; non enim ut illa quæ cauda est aspera, ita magnitudine atque pondere crescit. Totius corporis alati effigies non quadratum ut in illa, sed rhombum isoscelem repræsentat, eodem modo sicuti superior, sed hæc obtusioribus latioribusque angulis. Hujus caro non insuavis est, facile venditur, libenterque expetitur. Internis vero reliquis omnino similis videtur. Hactenus *Columna*; qui hujus piscis iconem & descriptionem primus edidit.

Bellonius omnium hujus generis caudis aculeum interdum duplicem, interdum etiam triplicem inesse asserere videtur.

Aldrovandus se observasse ait duas hujus generis species radio seu aculeo in cauda lævi, h. e. non serrato; unam cui unicus tantum est radius; alteram cui duo: & hæ, inquit, forte Aquilæ fuerint.

CAP. III.

Narinari *Brasiliensibus* Marggrav. *Aquilæ species. Belgis* Piilstert *vel* Seicle.

Corpus habet magnum, latum, fere triangulare, constans ad utraque latera latissima pinna triangulari, carnosa; & prope caudam duas habet pinnas, palmi magnitudine, subrotundas, æqualis longitudinis. Caput magnitudinem habet mediocris porci, crassum, compressum, in medio quasi fossam habens. Os triangulo subrotundum, compressum paulo, & in promuscidem desinens: nam oris hiatus 5. distat dig. ab extremitate promuscidis versus ventrem: amplitudo oris $2\frac{1}{2}$. dig. edentulum, sed loco dentium os habet linguæ figura inferius in ore, 4. dig. longum sesquidigitum latum, ad fauces usque pertingens, & simile os superius transversim positum, duos digitos longum & totidem latum. Inferius os constat è 17. ossibus albis, duris, literæ *V.* figuram habentibus, qui arcte per membranas conjunguntur, hisce alia septendecim subjacent singula singulis, spongiosa ad aspectum, nec ita dura. Superius os constat 14. ossibus literæ *J.* figura, quæ eodem modo per membranas sibi invicem agglutinantur; iisque alia etiam 14. ossa superjacent: duo autem illa ossa per membranas annectuntur aliis ossibus capitis. Cranii cavitas 6. circiter dig. longa est, vix duos lata, in quo cerebrum latet. Promuscis tantum constat cartilagine. Oculos habet parvos, nummi Misnici magnitudine: post oculos in quolibet latere spiraculum amplum, pomi vulgaris capax; intra hæc branchiarum folia recondita jacent. Ad latera inferius in fine capitis in quolibet 5. oblongas incisuras. Color totius superius ferreus, maculis albis per totum inspersis, magnitudine nummi Misnici: inferius totus albus. Cutis tota glabra lævisque. Corporis longitudo ab occipite ad exortum caudæ sesquipedalis, latitudo inter extremitates pinnarum triangularium 3. ped. & 10. dig. pinnarum prope caudam longitudo 7. dig. latitudo 4. Capitis longitudo 10. latitudo 7. dig. crassities sesquipedis. Caudæ longitudo 4. ped. & 3. dig. crassities in exortu 5. dig. quæ sensim gracilescit. Paulo

post

poſt exortum caudæ ſuperius parvam pinnam curtam habet, paulo plus digito longam, & mox poſt eam duos hamulos ſibi invicem ſuperere-ctos, piſcatoriis hamulis ſimiles & incurvatos, longitudine 3. dig. Caro boni ſaporis eſt, ſufficiens 40. hominibus ſaturandis.

CAP. IV.

Paſtinaca marina prima Rondeletii, *marina lævis* Bellonii.

Figura. Color. PIſcis eſt cartilagineus, latus, quadratus, in medio craſſus, ad margines tenuis, lævis, *Colore* inferius albo, ut reliqui omnes cartilaginei plani, ſuperius ſordide flavicante, medio dorſo excepto, quod lividum eſt ſeu cæruleum, uti & cauda. *Pinna.* *Pinnas* tantum duas habet, ut hujus generis reliqui, quæ foramen ani amplectuntur. De cætero totum corpus circumcirca in pinnam continuam tenuatur. Inferior ſeu prona hujus piſcis facies omnino plana eſt, ſupina gibboſa. *Roſtrum.* *Roſtellum* ſeu angulus anterior corporis peracutus eſt. *Oculi.* *Oculi* admodum protuberant, eorumque pupillæ & irides ovales, oblongiores: iridum autem color aureus. Superior oculi pars, quæ cute obveſtitur, compreſſus. *Foramina retro oculos.* *Foramina* retro oculos, quæ ut aurium figuram imitantur, ita earum fortaſſe uſum præſtant, adeo grandia ſunt ut minimum digitum facile admittant, inque os ipſum pateſcunt. *Os.* *Os* exiguum, ejuſdem cujus in reliquis cartilagineis planis figuræ, edentulum, maxillis tamen tuberculis granuloſis aſperis. *Nares.* *Nares* ampliſſimæ, figuræ lunulatæ, juxta ipſum os: in medio narium commune velamen oritur quod utriuſque dimidiam plus partem contegit, efficitque veluti ſuperius oris labellum. Paulo infra os utrinque quinque habentur *foramina branchiarum*, quarum primæ à ſe invicem remotiſſimæ, poſtremæ proximæ; qui ſitus branchiarum omnibus cartilagineis planis (ut puto) communis eſt. *Branchiarum foramina.* *Cauda.* *Cauda* rotunda eſt, longa, lævis, (uti & totum corpus) initio craſſa, ad exortum uſque *ſpinæ*, quæ in hoc piſce inſignis eſt, digitali longitudine, utrinque ſerræ in modum denticulata, dentibus verſus caput reflexis, una circiter tertia longitudinis caudæ parte à corpore diſtans. *Ejus ſpina.* A ſpina cauda ſtatim tenuatur, & in exiguam veluti ſetam deſinit. In maribus ad anum *appendices* duæ parvæ, quas pro mentulis habemus, ut in hoc genus piſcibus ſolenne eſt, pinnis adnectuntur. *Appendices ad ani pinnas.*

Viſcera & inteſtina. *Hepar* amplum, colore inter flavum & rubrum ambigit, in duos lobos diviſum, majorem ſiniſtrum, dextrum minorem, in quo cyſtis fellea exigua fere occultatur. *Ventriculus* amplus, in quo diſſecto plurima invenimus inſecta. *Lien* grandis, purpuraſcens. *Pancreas* geminum. *Inteſtinum* ampliſſimum, coli humani fere modo in cellulas diviſum.

Venenum. *Venenum* in radio eſt duntaxat, quam ob cauſam abſciſſa cauda venditur, ne emptores inſcii lædantur. De hujus veneni vi & vehementia à veteribus mira traduntur, quæ vide apud *Rondeletium* & *Geſnerum.*

Magnitudo. Ad denas quandoque libras auctam Paſtinacam ſe vidiſſe *Salvianus* refert, majorem vero nunquam: ad quam neque crebro magnitudinem excreſcit.

Græcis τρυγὼν i. e. *Turtur* dicitur ab alarum expanſarum ſimilitudine.

Paſtinacæ jecur ad pruritum conferre prædicant, in oleo decoctum lichenas ac lepras tollit. *Wottonus.* Aculeus ejus denti infirmo impactus [ἐπικρούμενος] frangit eum & excidere facit. *Geſner.* ex *Ægineta.* quæ certe apud me fidem non inveniunt.

CAP. V.

Pastinaca aspera Bellonii.

HÆC (inquit) *tota horret aculeis; atque ad caudam præsertim (quam radicis Pastinacæ longitudinis habet) permultis uncinis in gyrum dispositis scatentem. Gesnerus* in tit. de Aquila caudam Pastinacæ exhibet asperrimam, sex dodrantes cum palmo longam.

CAP. VI.

Aiereba *Brasiliensibus*, *Pastinacæ species circinata* Marggrav.

PIscis est planus, circinatus, unum pedem & novem digitos longus, & totidem latus [reperiuntur & duplo majores] Quatuor digitorum interstitio ab anteriori circumferentia in superiore superficie duo foramina habet satis ampla, 3. dig. ab invicem distantia. Prope caudæ exortum orbicularis incisura est in quolibet latere Cauda teres, 4. pedes longa, & circiter in medio sui duas osseas spinas crassas, retro dentatas habet quibus pungit, quando ad spiracula apprehenditur, caudam incurvatam supra corpus levando. Os inferius habet haud amplum, edentulum; incisuræ quasi parabolicæ. Cute tegitur in superiori corpore ferrei coloris, & in medio dorso insignitur tuberculis nigris, parvis. Inferius corpus totum album. Caro nihili æstimatur in cibis.

CAP. VII.

De Raia in genere.

Nomen, Etymon. RAiam piscem Græci βάτον & βατίδα vocant, ex eo quod cauda quibusdam aculeis armata sit, ad similitudinem rubi sentis, mora agrestia ferentis, quæ Græce βάτος dicitur. *Massarius* & *Gillius.* βάτος autem sic appellatur (inquit *Eustathius*) quasi βατὸς, per antiphrasin, quod minime sit pervia: retinet enim & lancinat transeuntes aculeis suis aduncis. *Gesner.* Latini nominis [*Raiæ*] Etymum nullum reperi, nisi forte à radendo *Raiam* dictam esse existimes. *Rondel.* Raiæ etiam Anglice *Rays* appellantur, à Gallis, ut videtur, mutuato nomine.

Raias *Rondeletius* in læves & asperas dividit: Læves nostrates *Skates* & *Flairs* vocant, asperas *Thornbacks*: Minores & juniores in utroque genere *Maids*, id est puellas seu virgunculas. Verum commodius, me judice, dividi possent in dentatas, cujusmodi sunt *Raia lævis* &c. & edentulas, cujus generis sunt *Raia clavata* &c.

CAP.

CAP. VIII.

Raia lævis undulata seu cinerea Rondeletii, Gesn. *p.* 932. The Skate, *or* Flair.

PIscis est cartilagineus, planus, lævis, corpore tenui & in amplissimas alas expanso. *Magnitudo* ei insignis: pondere nonnunquam ad centum etiam libras accedit: imo habuisse se aliquando quæ ducentas libras penderet, *D. Mayfield* ichthyopola Cantabrigiensis fide dignus asseveravit, quod & coquus Collegii S. *Joannis*, cui eam vendidit, confirmavit, addito insuper omnibus istius Collegii alumnis, 120. hominibus in prandium suffecisse. Quam mensi sumus à summo rostro ad ultimam caudam: longa erat digitos 42; lata inter extremos alarum angulos 31. Figura corporis rhomboides. *Color* in supina parte albidus aut cinereus, maculis nigris crebris undique respersus [*D. Lister* lituris flexuosis undulatus] in prona parte tota albus, punctulis nigris creberrimis ubique guttatus. Rostrum breve, acutum. *Latera* in pinnas tenuantur. Reliqua ita se habent, ut in Raia oxyrhyncho Romæ descripta, tum cauda, tum pinnæ anum amplectentes, tum os, dentes, nares &c. Mari in hoc genere, lata pinnarum ambientium parte bina utrinque *spinularum* recurvarum agmina, multiplici serie densa ordinibus obliquis innascuntur, alterum supra, alterum infra alarum angulos, quæ in fæmina desiderantur. Hoc nos olim in aliquot fæminis observavimus, non tamen suspicione omni caruimus, potuisse nos falli, & pro Raiæ lævis, alterius cujusdam cartilaginei plani fæminam habuisse. Verum vacillantes confirmavit *D. Lister*, qui ipse sponte sua nobis neque consulentibus neque suggerentibus, idem observavit. Cauda unicum tantum habuit *spinarum* ordinem. [Credo in his naturam ludere, nam & nos in cauda fæminæ tres aculeorum ordines observavimus, & *Rondeletius* utrique speciei tres ordines attribuit.] Spinæ in medio dorso nullæ. *D. Lister* de lævitate dorsi, deque simplici in cauda spinarum ordine nobiscum consentit, qui & plurimas Raias nuper vidit, earumque partes curiose perlustravit.

Figura. Magnitudo. Longitudo & latitudo. Color. Latera. Spinulæ in aliis extremis in maribus. Spinæ caudæ.

Intestina & viscera eodem fere modo se habent quo in Catulo majore. *Hepar* sordide luteum, lineis creberrimis obscurioribus velut marmor quoddam variegatum; in tres lobos divisum, quorum dextro inest vesicula fellea. *Lien* grandis, rubicundus, ex uno latere ventriculo adnexus. Ad angulum ubi intestinum deorsum reflectitur, situm est *pancreas*. *Intestina* amplissima sunt, semel tantum reflexa. In fæmina *uterus* magnus, à quo duo cornua grandia, & ad cornua extrema testes ampli [potius ovaria.] Mari in utroque hypocondrio *vesiculæ seminales* spermate turgidæ: harum superiori extremitati adhærent corpora glandulosa, oblonga, quæ *testes* putamus. Adsunt & *corpora varicosa* dicta, ex innumeris reflexionibus seu mæandris vasorum deferentium composita. In utroque tam mare quam fæmina intestino recto cæcum quoddam seu lobus carnosus subest. *Aorta* mox à corde in duos primum ramos dividitur, deinde uterque ramus in alios tres, qui ad tres inferiores branchias progrediuntur, eodem situ, eodemque modo ramulos de se spargentes quo in Catulo pisce. Consimiliter ab unaquaque branchia, arteria alia, ab adferente diversa, sanguinem refert. Sunt autem quatuor hinc inde arteriæ reductrices, nam quæ à duabus anterioribus branchiis revehunt; in unum ramum mox coeunt, antequam omnes in unum truncum conveniant. Certissimum est arterias devehentes arteriæ pulmonali quadrupedum *venæ arteriosæ* dictæ respon-

Hepar. Lien. Pancreas. Intestina. Uterus. Vesiculæ seminales. Testes. Corpora varicosa. Aorta in ramos divisa branchias ingreditur. Arteriæ branchiales respondent Quadrupedum pulmonaribus.

respondere; arterias autem reductrices venæ pulmonali, perperam vulgo *arteriæ venosæ*: branchias denique pulmonibus. Quemadmodum enim universus corporis sanguis in quadrupedibus aliisque respirantibus sanguineis per pulmones transit, sic in piscibus per branchias. In illis arteria pulmonalis varie divisa & subdivisa, tandem in capillares arteriolas desinit: vena autem pulmonalis novo principio à venulis capillaribus inchoata, in unum tandem truncum colligitur: in his pariter Aorta in ramos (ut dictum est) divisa, tota in branchias impenditur, ibidemque tandem in pectinibus radiosis in capillares surculos terminatur: deinde Arteriæ reductrices novo principio à capillaribus exortæ, in majores ramos primo, tandemque in unum iterum truncum [forte plures distinctos] coeunt. Hoc interest inter utrumque genus, quod vasa reductricia in pulmone respirantibus venæ sunt [& ad cor sanguinem denuo reportant;] in piscibus arteriæ; quoniam in his, ut videtur, non opus fuit ut sanguis cor repeteret. Ad initium arteriæ magnæ in hoc genere non opponitur vas pyramidale, ut in piscibus osseis. *Cerebri anatome.* Sublato cranio pulcherrimum de se spectaculum præbet cerebrum, humori cuidam glutinoso copiosissimo, quo cranium totum oppletum est, innatans aut eidem penitus immersum, per quod nervi omnes transllucent. Est autem cerebrum mediocre, eodem modo divisum quo in aliis piscibus, nimirum in corpus cerebri, oculorum thalamos & cerebellum. Nervi olfactorii longissimi in ipsas nares desinunt, ubi incrassantur nonnihil in processus mammillares longiusculos, qui membranæ seu ossi cribroso narium per totam longitudinem pertinaciter adhærescunt, ob fibrillas (ut puto,) eam perforantes. Nervi optici mediocres. Observavimus insuper aliud par nervorum, quos auditorios putamus, qui in duo corpora glandulosa, gelatinæ aut amylo similia innumeris ramulis sparguntur, quamvis & alio etiam ramos mittant. Corpora hæc cuti foraminum illorum, quæ ultra oculos in toto hoc genere inveniuntur, contigua sunt, unde foramina illa pro meatibus auditoriis habemus: & pisces hosce auditu gaudere minime dubitamus. Ad latera cerebelli duo sunt foramina in cranii osse, in quibus latet substantia quædam albicans, colore medullæ cerebri, consistentia ceruminis aurium.

Sapor. Raiæ omnes *odorem* ferinum, & marinum quendam fœtorem resipiunt, qui in diutius asservatis fere evanescit. Hyeme minus insuaviter *Locus.* olent, & meliores sunt. *Rondelet.* Pascuntur *locis* cœnosis non longe à latere. Hæc species circa Scarburgum in Eboracensi provincia, forte etiam alibi in oceano & mari Britannico, omnium frequentissima est.

Nomen. Cæterum quamvis *Skate* Anglicum Latino Squatinæ sono adeo vicinum sit, ut ab illo deductum videatur, cave tamen cum *Gesnero* putes Squatinam esse quam nostrates hodie *Skate* vocant. Anglis enim Læviraia *Skate* dicitur, Squatina autem *The Monk-Fish.*

Raia spinosa Rondel. Hujus piscis marem esse suspicamur, imo vix dubitamus quam *Rondeletius* sub Raiæ spinosæ titulo describit, & depingit. *Lævi Raiæ,* inquit, *similis est si longas cutis spinas excipias, a quibus nostri eam* Cardaire, *id est lanificam vocant, a spinis illis sive aculeis, cujusmodi multi infixi sunt instrumentis iis quibus lanifici lanas carpunt. Nos ab his spinis spinosam appellamus, quas non in alis solum habet, sed etiam in lateribus circa caput. Oculis præfixi sunt alii duo. In media dorsi linea & ad priorem usque caudæ pinnulam continuus est aculeorum ordo unius.* Hunc piscem Raiam lævem masculum, esse non specie sed sexu à nobis descripto diversum opinamur. Nam longas illas spinas cutis quibus præcipue à Raia lævi differt, lævis masculi alis innasci ostendimus, duobus in utroque latere agminibus, altero infra alarum angulos, altero supra, capiti propius. Hæc autem spinarum agmina aculeos illos instrumentis quibus lanifici lanas carpunt, infixos apta similitudine referunt.

CAP.

CAP. IX.

Raia oxyrhynchos major Aldrovandi, Rondelet. Gesn. *pag.* 933.

LAtus est & planus hic piscis, magnitudinis ratione habita tenuior, quam Pastinaca. Vidi qui libras 10. pendebat: & fortasse multo adhuc majores inveniuntur. *Color* in supina parte fuscus, qualis pulveris madefacti; in prona albidior, crebris lineolis subcæruleis (quæ in ipsa carne inchoatæ in cutis superficie in nigra puncta terminantur) variegatus. *Rostrum* tenue & prælongum in acutum mucronem desinit, hastæ cuspidi simile. Ad latera corpus in duas *pinnas* velut alas quasdam tenuatur. Præterea ad podicem binas habet pinnas carnosas, quæ præter mentulas duas exiguas subnexas, ad initium etiam appendices duas obtinent crassas, carnosas, longas, valida intus cartilagine, paulo supra medium articulo donata. *Cauda* ut in hoc genere brevis, obtusa, non exacte rotunda, sed compressa nonnihil. In medio partis supinæ tubercula decem aut circiter, in quorum uniuscujusque summitate *spina* adunca: tubercula hæc cum spinis suis Rosæ caninæ spinas referunt. Ad latera caudæ in adultioribus spinæ succrescunt: in extrema cauda pinnæ nunc simplices, nunc binæ. *Oculi* oblongi; irides ex albo cærulescentes. Pone oculos foramina duo pro auribus, in os pertusa. *Os* amplius pro magnitudinis ratione quam in Pastinaca. *Dentes* breves, acuti, conferti, ordine quincunciali dispositi. *Nares* minores & à se invicem longius remotæ, ori tamen continuæ, & aliquousque cute contectæ. *Foramina branchialia* quinque paulo infra os utrinque, velut in circumferentia elliptica, seu ovali sita. *Hepar* pallidum; cystis fellea felle intus subcæruleo. Cætera in pisce non recente observare non libuit.

Figura. Magnitudo. Color. Rostrum. Pinnæ. Cauda. Spinæ clavatæ. Oculi. Os. Dentes. Nares. Branchiæ.

Romæ vidimus & descripsimus Anno 1664.

Cl. Vir *Nic. Steno* in libello de *Raiæ Anatome*, & lineolas & maculas illas nigras in superficie prona Raiæ observavit, eorumque constitutionem & usum primus (quod sciam) invenit, ideoque ipsius verba subjungam.

Inversam [Raiam] inquit, intuentibus tota undique superficies innumeris nigris respersa maculis, (ex vitro nigro globulos dixisses ni planæ fuissent) totidem iis continuas, minus tamen, quod profundius sitæ, nigricantes, ostendebat strias, quas non modo vasorum ad instar cavas, setæ per foramen quo pertusæ maculæ immissio arguebat, sed & vere vasa esse humorem, lymphæ, in conglomeratis aliorum animantium glandulis secretæ non colore minus quam consistentia similem, per superficiem corporis excernentia, tum in ipsis contentus humor non obscure indicabat, tum humoris vitreum oculi referentis per macularum ostia expressio demonstrabat manifeste. Hunc illum esse humorem qui lubricam reddit Raiam facile mihi largientur, qui sensibus suis credunt: si vero dicerem me non ex hoc tantum phænomeno, sed & ex pluribus aliis in eam devenisse opinionem, ut existimem pisces alios lubricos omnes, si non omnino similia, saltem ipsis aliquo modo analoga, per cutem habere decurrentia vasa, adeoque minutas maculas quascunque per superficies piscium dispersas eo nomine suspectas habendas, iis vero absentibus alia quærenda non tincta punctula; non omnium mererer fidem, in quorundam etiam incurrerem reprehensionem: qui me vitio Anatomicis admodum familiari obnoxium arguerent, ut-

pote

pote ab unica observatione ad generalem ilico conclusionem abreptum. Nigros intra ductus ferri nigraque per ostia liquorem purissimæ ad instar lymphæ excerni miratus fuissem, ni in ovium & ore & naribus id vidissem sæpius.

Raia oxyrhynchos minor Rondel.

Rondeletius Raiæ oxyrhynchi duas species facit. Prior corpore est maximo, maculis multis lentis specie in parte prona notato, qua de causa à nostris piscatoribus *Lentillade* dicitur. Ad oculos 4. habet aculeos: in cauda tres eorum ordines, qui diversi sunt & inæquales, ut primus medii ordinis major sit secundo, tertius primo, quartus secundo respondeat, & sic deinceps donec ad caudæ pinnulas ventum sit, circa quas aliter siti sunt: utrinque enim per transversum recti sunt, ad latera conversi, qui hos sequuntur in cauda extremi in caput recurvantur. In supina parte rostri alii sunt acutiores, alii in os recurvi ad capiendos vel retinendos pisces. Dentes habet in os vergentes, squatinæ dentibus similes, non in lateribus, sed in medio maxillarum. Partibus cæteris ab aliis Raiis non differt.

Raia oxyrhynchos major Rondelet.

Secunda species, quam aliqui *Bovem Antiquorum* esse putant, proxime descriptæ similis est, alis quidem valde amplis & extentis, sed ipso corporis trunco strictiore acutioreque, dorso longiore. Aculeos nullos omnino habet præterquam in cauda, in qua unicus est eorum ordo. Carne est molliore & suaviore quam cæteræ, maxime si non senuerit. Piscatores has Raias sale conditas in fumo & sole exsiccant, vulneribus multis prius lateribus inflictis quo melius & celerius exiccentur.

Ad hanc speciem propius accedere videtur quam nos descripsimus; si modo specie distincti sunt hi pisces.

CAP. X.

Raia lævis oculata: *an* Rondeletii? Gesn. *p.* 933. Aldrov. 453. *Venetiis* Barracol.

Quam mensi sumus longa erat ab initio rostri ad finem caudæ digitos 10½, lata 6½. A rostro ad contactum circulorum tres digiti erant; ad maculas 2¾; ad angulum rhombi 4½. Maculæ 1½. à se mutuo distabant. Putamus hanc è minoribus esse in hoc genere; plerisque aliis planior & tenuior est. Utraque superficies tam prona quam supina undique glabra, exceptis oculorum marginibus, in quibus paucæ quædam spinæ, & una vel altera interdum ultra oculos in dorso. Subtus lineæ transversæ undulatæ albicantes apparent. Duabus in dorso maculis, medio purpureis, circum oras nigricantibus, ab aliis omnibus cartilagineis planis facile distinguitur. Color supinæ partis rubescens velut sabulum seu glarea. Cauda tribus spinarum ordinibus horrida, ordines laterales non ultra primam pinnam continuantur. Cauda autem digitos 4½. longa.

Raia lævis oculata *Rondeletii* in nonnullis à nostra differt, nam maculæ in mediis lateribus oculos imitatæ triplici colore constabant, medio pupillam referente cæruleo, proxime ambiente circulo nigro, extimo flavo. Aculeos quoque plures frequentioresque habuit quam superiores duæ læves. Verum hæ differentiæ non tanti sunt, ut specie diversam arguant; cum sexus, ut vidimus, in hoc genus piscibus aculeorum numero & situ inter se differant; forte etiam pisces ejusdem sexus: vix enim è millibus binos invenies quæ spinarum numero, ordine, magnitudine inter se conveniant.

CAP. XI.

Raia asterias Rondeletii, Gesner. *p.* 934.

AB aliis Raiis distinguitur aculeis, quos in dorso habet mox a capite incipientes, & in priorem caudæ pinnulam desinentes. Præter hos nulli alii sunt in toto corpore. Pars dorsi prona alæque expansæ stellulis perelegant sunt depictæ, a quibus asteriæ nomen invenit. Cauda brevis est & tenuior in hac specie quam in reliquis. Caput primo generi Pastinacæ quam Raiis aliis similius: est enim crassius & latius. In alto mari & puriore aqua degit; ob id rarior est & in litoribus minus frequens: Quamobrem meliore est carne quam reliquæ, scilicet molliore, tenuiore, facilioris concoctionis meliorisque succi. E Rondeletio.

Hæc species nobis nondum visa est.

CAP. XII.

Raiæ asperæ.

Raia oculata aspera Rondeletii, Gesner. *p.* 935.

OCulatæ lævi maculis similis est, aculeis autem differt: quos in alis expansis e regione macularum utrinque habet, alios in lateribus capitis utrinque, alios in dorso, alios in cauda majores, validiores & frequentiores. Colore ab oculata lævi non differt. Noli existimare hanc ab illa sexu tantum differre, nam in utroque genere & marem esse & fœminam ex lacte ovisque comperi. Carne est dura malique succi. Ex eodem.

CAP. XIII.

Raia asteria aspera Rondeletii, Gesner. *ibid.*

ASterias appellabitur a stellulis multis quas habet in lateribus & caudæ principio: aspera ab aculeis plurimis quibus tota horret. In oculorum intervallis multi sunt breves, frequentes, peracuti: in media dorsi linea alii magni: in cauda tres magnorum ordines, aliis plurimis & minutioribus distincti. Infiniti sunt alii huc illucque sine ordine toti corpori inspersi. Pro dentibus ossa dura & aspera habet. Carne est dura siccaque. Hujus generis species duæ esse videntur: una quæ stellulas habet in medio albas, sed quas ambit circulus ex nigris punctis constans, totumque corpus aculeis horridum est: altera stellulas prorsus candidas cum multo paucioribus aculeis. Ex eodem.

CAP. XIV.

Raia clavata Rondeletii *& aliorum*, The Thornback.

Figura. FIgura ei rhomboides aut fere quadrata. Linea tamen tranſverſa ab angulo ad angulum ducta longior eſt recta à roſtro ad initium caudæ extenſa, ut piſcis latior ſit quam longior. *Dimenſio.* Latus nimirum 16½ digitos erat qui 12 tantum, excepta cauda, longus. In piſce 27 uncias ſeu digitos longo, à ſummo roſtro ad os digiti erant tres cum dimidio; ad nares 2¾; ad oculos 3½; ad anum 12; ad primam caudæ pinnam 22¼; ad ſecundam 24½. Squamis Raia, ut reliqui omnes cartilaginei, caret, verum muco undique obducta eſt. *Color.* *Color* ſupinæ partis aliis ſubfuſcus, maculis albidioribus, rotundis, crebris varius; aliis albidus maculis nigris: pronæ partis color omnibus albus. Quam deſcripſimus duas habuit ſpinas tam in prona quam in ſupina ſuperficie à ſummo roſtro non longe. *Spinæ.* Digitis à roſtro quinque in medio dorſo incepit ordo *Spinarum*, ad extremam fere caudam extenſus, 30 ſpinis conſtans. Cauda prona parte plana eſt, ad cujus radicem inchoatus alius utrinque ſpinarum ordo, (quarum anteriores tredecim aut circiter oblique poſitæ, reliquæ ad horizontem parallelæ) ad extremam prope caudam decurrit: ubi *Pinnæ.* ſpinæ deſinunt *pinnæ* in acumine caudæ eriguntur duæ; quas in uno *Oculi.* quodam quem deſcripſimus piſce duæ ſpinæ interceſſerunt. *Oculi* ſupra planum dorſi extuberant ſuprema parte nuda, nec ullo oſſe protecta, quamvis ſpinulis interius muniantur. Pupillæ non directæ ſurſum, ſed ad latus ſpectant. Obſervatu digniſſimum eſt, pupillas ſub cornea tunica opercula habere, ejuſdem cum iridibus coloris, rotunda & fimbriata, quæ à ſuperiore oculorum parte demittuntur. Juxta oculum *Foramina juxta oculos, ſeu meatus auditorii.* utrumque *foramen* in os pertuſum, ut in pleriſque omnibus hujus generis, pectinibus radioſis intus ſtriatum, craſſa valvula ſeu operculo inſtructum, quod ab oculis caudam verſus aperitur, & cartilagine ſemicirculari firmatur. Foramina hæc meatus auditorios eſſe opinamur; quamvis & aliis forte præterea uſibus inſerviant, ut v. g. ad aquam excipiendam, quam per branchias iterum expellant. Piſce in dorſum re*Nares.* clinato in conſpectum veniunt *narium* foramina, ori continua, in quarum fundo os ſeu potius membrana cribroſa pectinata, cujus radii naviculæ carinam cum coſtis bene imitantur, hac figura. Membranæ huic incumbunt, eique arcte adhærent proceſſus mammillares *Os.* nervorum olfactoriorum. *Os* dentium expers, verum maxillæ cancellatæ tuberculis rhomboidibus aſperæ ſunt, limæ inſtar. Branchiarum ut in reliquis Cartilagineis planis foramina quinque, in Paraboli-formem circumferentiam diſpoſita. Prona pars piſcis in duos velut circulos dividitur; quorum ſuperior thoracem, inferior abdomen ambit. Hujus autem circumferentia in aliquibus ſpinis armatur. Ubi hi circuli ſe exterius contingunt, os ſeu cartilago valida tranſverſa thoracem ab abdomine diſterminat ſeu ſeparat. Paulo ſupra caudam duos habet proceſſus cartilagineos, à poſteriori parte velut dentatos, iiſque annexas aut continuas pinnas duas, ad caudam uſque extenſas, qui oriuntur à cartilagine paulo ſupra anum ſita, oſſi pubis in Quadrupedibus ſimili. Ab ano ad extremam uſque caudam in parte prona pinnæ nullæ. Pinnis modo dictis in maribus appendices duæ, quas pro mentulis habemus, ſubnectuntnr.

Quod ad interiora attinet, eorum deſcriptiones partim è Cl. Stenonis libello de Raiæ anatome, partim ex obſervationibus propriis proponemus.

nemus. Ori (inquit *Steno*) continuus sine *oesophago* ventriculus, unam eandemque cum illo in mortuis videtur conficere cavitatem, satis pro mole integri animalis vastum, ita ut amplus oris victus, geminos simul pugnos transmittens facile [in pisce 40 librarum] deglutiendorum corporum haberi possit mensura. Crediderim tamen carnosas fibras, quæ in faucibus crassæ admodum validæque (velut spiralis quædam linea aut cochlearis) superius orificium ambiunt, dum *sphincteris* munere in vivis funguntur ab ore stomachum parvo quodam trajectu distinguere. Non tamen Oesophagi nomine pars ea meo judicio venire poterit, cum quotquot ego secuerim Oesophagi fistulas, omnes duabus contrario ductu incedentibus cochleis fuerint contextæ, ut communia alia oesophagi taceam requisita . . . . . . Interiorem *ventriculi* superficiem integens crusta (quæ cocta reliqua substantia durior firmiorque evadit nec ulla certarum fibrarum prodit vestigia) nulli quam glandularum substantiæ mihi videtur similior, & in vivis etiam viscido quodam obducta succo, si bene prematur, ejusdem generis novum denuo succum exsudat. Ut dextrum ventriculi orificium validus cingebat sphincter, sic sinistrum arcte adeo clausum, ut nonnisi vi intruso digito pateret via.

Oesophago caret.

Sphincter oris ventriculi.

Ventriculi descriptio.

Pylorus.

Pylorum ultra circa intestini flexum bini ductus tunicas inter lati in interiora intestini aperiebantur, nec eodem in loco, nec in eadem recta, sed in partibus sibi mutuo è diametro oppositis, quorum pancreaticus alter, alter bilarius, intestinalis dictus; hic & cystico continuus & hepatico. *Intestini* interior facies etiam sua erat intecta crusta, non tamen æque ac in ventriculo crassa. Si non dissectum inverteris, proxime sub pyloro videbis membranam hanc cochleæ in modum intortam, regressum excrementorum multis circuitionibus impedientem nos etiam observavimus. Ex tunicis ejus elevatam quandam quasi fimbriam ipsissimam cochleæ referre figuram, & ad cæci usque regionem descendere, non aliter ac in cæco cuniculorum intestino amicis sæpius demonstravi. Tres in hac cochlea fibrarum series, exteriores duæ ab intestini tunica oblique ad extremam ejus oram adscendentes, intermedia una secundum longitudinem decurrens, sed nec illa recta incedit: non procul à fine hujus cochlearis laminæ videtur exterior crepido quasi nervea, ita & albicat & in filamenta resolvitur; quæ opinor nil esse nisi fibras ejus eo loco collectas, & versus inferiora intortas. Ne vero pusillum credas esse corpus, duos digitos & quod excedit latum est, octo inversum (uti dixi) intestinum orbibus implicans. Sic gyrorum, quos in aliis longissima faciunt intestina, vices cochleæ in brevissimo intestino sustinent gyri. Quod in his contentum cremoris instar liquidum bilis admistionem colore prodebat. In *cæco*, quod breve admodum & substantia parenchymati simile, præter viscidam interiori superficiei multis cavernulis asperæ obductam humiditatem nihil repertum.

Intestinum.

Intestinum cæcum, quod aliquando pro vase seminali habuimus.

Ab ore ad anum, qua assumpta feruntur, via quatuor & quod excedit spithamas longa, paucissimis inflectitur locis. Primo circa finem ventriculi, ubi angustior redditus ad pylorum ascendit, inde paulo supra pylorum, ubi versus dextras intortum descendit intestinum, tertio in loco, inguine dextro aliorum animalium respondenti, ubi sinistrorsum tendens in recti definit vestigium.

Reflexiones intestinorum.

Hepar colore flavo ad pallidum vergente tinctum, quod in summo abdomine sub sterno à dextris ad sinistrum patet, spatium basi sua admodum tenui occupans, tribus inde lobis velut totidem linguis in inferiora excurrebat ad palmæ extensæ longitudinem, uno per medium ventrem pylorum inter & ventriculum descendente, cum reliqui duo ipsa utrinque contingerent abdominis latera. Hos inter lobos duo hiabant intervalla, quorum sinistrum ventriculi replebat amplitudo, dextrum superius vesiculam fellis continebat, inferius recipiebat cum intestini portione pylorum.

Hepar.

Lien. Cum vero totum ſiniſtra hypochondrii pars non poſſideret hepar, nec dextra *lienem* ſibi poterat vindicare, qui intenſe rubens cum tranſverſa ſummi abdominis latitudo hepate plena eſſet, medium ſibi locum ſub medio hepatis lobo, inter duo ventriculi orificia, vel ut huic ſubjecto convenientius loquar, ventriculi inter amplam cavitatem & pylorum elegerat, cui ſtomachi angulo & membranis, & per membranas currentibus ſanguineis vaſis jungebatur.

Pancreas. Ab altero pylori latere, quem inferiora verſus reflexum inteſtinum facit, angulus *pancreati* commodam præbebat ſedem, quod ibi non minus quam in altero animantium genere ſuo ornatum erat ductu.

Renes. Circa imum abdominis ad ſpinæ latera corpus rubicundum ſpithamam longum, digitum latum ſed minus craſſum, varie ſectum fiſſumque, illi per omnia ſimile erat corpori, quod in avibus analoga occupat loca: [*quod proculdubio nihil aliud eſt quam renes, nam in plurimis piſcibus veſicam etiam urinariam obſervavimus.*]

Generationis organa. Oviparum hoc animal ovis generandis & excludendis duo diſtincta obtinuit organa, utroque puta in latere unum, magno partium apparatu, nec minore artificio conſtructa.

Ovarium. In *Ovario* præter ova, quæ numero plurima, magnitudine diverſa, & præter integentes ova membranas, perque membranas excurrentia ſanguinea vaſa, & omnia connectentes varios fibrarum plexus, etiam ſubſtantia cui incumbunt notanda, quam primo quidem intuitu Pancreas ſalutares, is illi & color & mollities; diſſectam vero liquore quodam craſſo ſtriis ſanguineis album colorem inficientibus repletum invenies; dubito tamen anne parenchyma fuerit tabefactum, cum expreſſo hoc ſucco remanſerit nihilominus membranæ accumbens ejuſdem coloris ſolidior ſubſtantia, multis vaſis inſtructa, quæ nulli quam glanduloſæ magis videbatur affinis. *Uterus.* Licet uteri nomen quæ mereatur pars, in qua nempe conceptio fiat, & conformatio, conformatique nutritio, deſideretur, pro *utero* tamen licet parum commode haberi poterit, quod ab ovario non uſque adeo remotum albicans corpus figura renem imitatur, à cujus cavitate media, quæ totam fere latitudinem ejus æquat, cloacam verſus uteri deſcendit collum, ſatis & amplum & craſſum, ſurſum vero ad diaphragma uſque cornu ejus tendit, tenui admodum, ruptuque valde facili ſubſtantia conflatum, cujus verus finis neutro in latere quærentibus ſe ſiſtere voluit. Utrumque cornu flatu diſtentum ad diaphragma uſque continuavimus, ubi liberum aer inveniebat exitum.

Ipſum uteri hic ita diſtinctionis tantum gratia dicti corpus ab integente tunica liberatum diſſectumque duplici conſtat ſubſtantia, exteriore albicante, interiore cineritia, eandem fere colorum diverſitatem ſortita, quæ cerebri medullam à cortice diſtinguit. Sed nec totum quod album ejuſdem ſubſtantiæ corpus: invenies enim fibras plurimas ab intima tunica ad extimam latas, in medio longiores, ſenſim verſus latera decreſcere, & fibras præter in lateribus præcipue aliam fibris non diſtinctam, glanduloſæ ſimilem. Diverſa diverſorum uterorum colla non confluunt in unum oſtium, ſed ſuo quodlibet ornatum orificio ſarcinas uteri deportant in commune utrique receptaculum, quod alias cloacam in avibus dicunt, licet illud ab inteſtino ſeparet intergerino pariete membrana. Hactenus *Steno.*

Raiarum ova. Quæ de teſtulis illis diſputat, parallelogrammi oblongi figura, cujus longiora latera ſandapilæ aut vehiculi manualis in modum utrinque extenſa ſunt; quæ æſtu maris ejectæ in litoribus arenoſis frequentes inveniuntur libenter omiſimus; cum corpora illa nihil aliud eſſe quam teſtas ovorum Raiarum aliorumque piſcium cartilagineorum nobis experientia conſtet: ſiquidem aperto Raiæ utero bina hujuſmodi ova perfecte formata & partui proxima exemimus. Pergit *Steno.* *

* *Pro ovariis & utero Raiæ conſul.* D. Needhamum *de fœtu c.* 7.

Distinctum ab integente totam thoracis cavitatem membrana Pericardium desiderabatur. Totius piscis formam, sed inversam, cordis imitabatur figura. Planum namque & illud, apice caput exprimens, pro cauda carnosam acceperat portionem à basi aortæ orificium separantem; laterum vero extantes angulos baseos angulis eleganter referebat. Unus ipsi ventriculus, nec nisi una cor inter faucesque sita auricula, quam cavæ transitus hoc nomine jubet appellandum. Carnosis fibris contextum utrumque corpus cocti docuit resolutio. *Cordis descriptio.*

Quæ sequuntur de *transitu sanguinis* per branchias & de attractione & expulsione aquæ respirationi analoga, cum ei non satis perspectus fuisse videtur sanguinis transitus per branchias, vasorumque branchialium natura & distributio; pariter omittemus, eorumque loco observationes de iis nostras proponemus. Arteria magna eodem modo dividitur quo in Raia lævi, eodemque branchias egressa in unum iterum truncum colligitur: deinde in tres ramos iterum dividitur, axillares nempe duas & unum recta descendentem: descendens iterum in duos dividitur, nimirum cœliacum qui ad Ventriculum pergit, & recta descendentem secundum dorsi spinam ad caudam usque. *Sanguinis transitus per branchias.*

Cerebrum & *nervi* eodem modo se habent quo in Raia lævi: nimirum duo insignes nervi olfactorii ad nares tendunt, inque superiori narium parte in quosdam quasi processus mammillares desinunt, quæ cuti narium cribrosæ fibrillis impactis pertinaciter adhærescunt. *Cerebrum & Nervi.*

Nervi optici parvi pro piscis magnitudine. Sunt & alia duo paria nervorum exiguorum qui ad oculos tendunt. Duo adhuc paria ex eodem foramine exeunt, quorum unum ad oculos, alterum ad rostrum tendit. Sequuntur alia duo paria, quorum unum ad foramina illa seu cavitates in cranio ad cerebelli latus exporrigitur. [In cavitatibus hisce reconditur corpus glandulosum album cum gelatina circumfusa] alterum ad latera tendit, ubi in corpus lentum, pellucidum, gelatinæ simile terminatur, radiis plurimis in globulum desinentibus, qui ramorum arboris speciem exhibent. *Nervi optici.*

Corpora illa pinnis annexa in maribus, *penes* nobis dicta, suprema parte à medio ad apicem usque fissa sunt. Rima diducta varia diversæ figuræ ossicula intus apparent; unum peni osseo canis, alterum cultro, tertium unco simile. *Penes.*

Sub ano duo foramina cernuntur, quorum alterum fortasse urinæ, alterum spermati evacuando inservit: verum de his non satis perspectis nihil temere pronunciamus.

In *Raia* clavata, quam Cantabrigia ad me transmisit *D. Dent* Pharmacopola, supina pars lineis & lituris flexuosis nigricantibus & cinereis varia erat seu maculosa, Ranæ aut Pardi pellis fere instar. Spinæ majores clavatæ, (quæ, ut recte *Rondeletius*, ex ossibus rotundis extant, uncæque sunt) tam prona quam supina parte rarius & nullo ordine disseminantur. Supina parte prope circumferentiam corporis, ubi in pinnas tenuatur spinæ longiores succrescunt, non autem in prona. Præter spinas majores utraque superficies spinulis creberrimis exasperatur; supina tamen majoribus magisque conspicuis. Superior pars orbitæ oculi cute crassa opaca obducitur.

CAP. XV.

Raiæ clavatæ altera species Rondeletii, Gesn. *p.* 936.

A Superiore (inquit) differt, quia rostro est acutiore quam superior, aculeoque illic caret. In ore dentes nulli sunt, sed pro dentibus maxillæ asperæ. In lateribus utrinque octo spinas longas habet cuti superpositas, quibus aliæ Raiæ omnes carent. In dorso aculeos quatuor habet clavis vel fibulis similes, cujus formæ aculei sunt in superiore: inter quos in media dorsi linea tres alii sunt alterius generis: quos statim sequitur aculeorum similium ordo per mediam caudam ad pinnulas usque continuatus. Utrinque in cauda aculeorum clavis fibulisve similium ordo est ad medium usque: reliqua pars alterius generis aculeis armata est. Colore est cinereo. Carne est dura & ferini odoris.

CAP. XVI.

Raia aspera Rondeletii, Gesn. *p.* 397.

AB aliis differt, quod aculeis parvis latera consperfa habet, corporis ipsius truncum nullis. In cauda tres sunt longorum & firmissimorum aculeorum ordines ad extremum usque caudæ. Rostro est acutiore.

CAP. XVII.

Raia aspera nostras, the White horse *dicta*, *an Fullonica* Rondeletii? Gesn. *p.* 938.

DOrsum hujus piscis seu supina pars tota spinulis creberrimis aspera est. Color minime varius aut maculosus, sed simplex & unicus canitiem quandam flavescentem refert. Maculæ tamen aliquot parvæ rotundæ nigræ in dorso hic illic nullo ordine disseminantur; in aliis piscibus plures, in aliis pauciores. Cauda duplici ordine, & quidem denso, aculeorum majusculorum horret. Similium aculeorum ordo unicus semicircularis utrumque oculum munit. Sunt & pauci quidam circa rostrum aculei. Dorsum denique ad medium usque ejusmodi aculeorum simplici ordine armatur. Prona pars piscis tota alba, absque ulla vel minima alterius coloris gutta aut aspergine; unde ei nomen. Os ut in Læviraia denticulatum. *D. Lister.* Raiam suam fullonicam *Rondeletius* his verbis describit: *Hanc speciem ut ab aliis distingueremus fullonicam appellavimus, eo quod ubique in alis, in corpore, in capite, in cauda tota frequentissimis & asperis aculeis conspersa sit, instar instrumenti ejus quo fullones pannos curant poliuntque, quod totum aculeis ferreis consertum est. Rostro satis longo est & acuto. Caudæ aculei incurvi sunt, triplici ordine dispositi. Hæc Raia pugnacissima est & rara.*

Raia asperrima Rondeletii, *apud* Gesner. *p.* 938. Proxime descriptæ omnino similis; nisi quod illa parte tantum prona aculeos frequentissimos habet: hæc non solum prona, sed etiam supina tota aculeis peracutis ita horret, ut manu tolli non possit, nisi pinnulis caudæ apprehensis. Dentibus hæc caret ut aliæ plurimæ, sed horum vice maxillas habet asperas & fere osseas.

CAP. XVIII.

Rhinobatus seu Squatinoraia.

MEdia est inter Squatinam & Raiam, Squatinæ tamen similior; verum ab ea differt, quod pro corporis mole longior sit, quod *rostrum* habeat acutum, ultra os longius procurrens ut in Raia oxyrhyncho; adeo ut os sub rostro sit, ut in canibus, non in ipsa ejus extremitate, ut Squatinæ, quodque inferior superficies ei magis plana sit & sessilis quam Squatinæ. Squamis caret ut pisces hujus generis reliqui, sed cutim habet asperam. Supinæ partis *color* subfuscus, pronæ ex albo rubescens. Oculorum irides flavæ. *Foramina* post oculos habet, in quibus denticuli duo. *Nares* ei oblongæ, grandissimæ sunt in quibus velut pectinum radii. Supra pupillas tunica in duas vel tres angulos laciniata. *Os* fere rectum, duos digitos latum. Vice dentium *tubercula* asperiuscula, ut in Raiis. In medio dorso unum habet ordinem spinularum brevium. Ad oras pronæ & supinæ partis, ubi committuntur, fimbria quædam undulata cernitur. *Pinnæ* in Dorso duæ. Hepar in tres lobos divisum; quorum in dextro cystis fellea; è medio porus bilarius exit. *Lien* magnus. Sub ventriculo *pancreas* album, latis ligamentis intestino annexum. Appendices ad pinnas ventris in maribus 5 digitos longæ.

Longitudo totius piscis à summo rostro ad extremam caudam 30 erat digitorum. A summo rostro ad anteriorem dorsi pinnam digiti erant $17\frac{1}{2}$; ad sequentem $22\frac{1}{2}$; ad podicem 12; ad oculos $4\frac{1}{2}$; ad foramina ultra oculos $5\frac{1}{4}$; ad os 5; ad primum branchiarum foramen $6\frac{3}{4}$; ad ultimum 8; distantia extremorum primi paris 9; secundi paris 6.

Neapoli frequens est, ut recte doctissimus idemque veracissimus *F. Columna*, quicquid alii contradicant. Magnitudine (ut ille à piscatoribus accepit) quatuor pedes non superat; pondere vero 12 libras ad summum æquat. Reliqua apud ipsum vide in *Phytobasana.*

Non dari hujusmodi piscem *Rondeletius* nequicquam probare nititur; cumque ei experientia reclamat, non opus est argumentis ad sententiam ejus refutandam.

CAP. XIX.

Squatina: Græcis Ῥίνη: *Genuensibus Pesce Angelo*; *Anglice* The Monk, *or* Angel-Fish, *id est*, *Monachus piscis aut Angelus.*

F*Igura* corporis valde depressa est, & media inter Canes & Raias. *Figura.*
In maximam molem excrescit, vidi enim quæ vel 60. libras penderet. *Magnitudo.*
Rondeletius ad hominis magnitudinem aliquando accrescere scribit, se etiam vidisse squatinam 160. libras pondere æquantem. In pisce 22. uncias longo anterior dorsi pinna $14\frac{1}{2}$. uncias à summo rostro aberat, posterior 19. primum in ventre pinnarum par 4. secundum 10. excrementorum exitus $10\frac{1}{4}$; oculi 1. foramina ultra oculos 2. Distantia apicum pinnarum primi paris 5. erat digitorum; secundi paris $5\frac{1}{4}$. distantia angulorum pinnarum primi paris $12\frac{1}{2}$; secundi paris $7\frac{1}{2}$. latitudo oris $3\frac{1}{4}$. *Longitudinis mensuræ.*

Muco undiq; sordidus est, cute admodum aspera; qua lignum & ebora perpoliuntur; *Asperitas.*

Color. perpoliuntur; *nam & e mari fabriles usus exeunt, Plin.* lib. 32. cap 10. *Color* in dorso & lateribus ex fusco cinereus, in ventre albidus. *Caput.* *Caput* compressum extrema circumscriptione subrotundum. *Os.* *Os* latum, in ipsa capitis extremitate, secus quam in canibus aliisque cartilagineis, quibus sub rostro est. *Dentes.* Triplex in utraque maxilla *dentium* ordo, in singulis autem ordinibus dentes 18. adeo ut in summa dentes 106 fuerint aut circiter, nam in his natura ludit: & in piscibus senioribus plures (puto) sunt dentium ordines: in ipso angulo mandibularum, intervallum est dentibus vacuum pro lingua, *Lingua.* quæ lata est & in extremo acuta. De dentibus qui plura velit *Rondeletium* consulat. *Nares.* *Nares* amplæ, muco repletæ in extremo labii superioris, quas maxilla tegit. *Oculi.* *Oculi* mediocres, in superiori parte siti non procul ab ore, non directe sursum, sed ad latera spectantes. Circa oculos naresque tubercula quædam spinosa. Pone oculos duo habet foramina μυωειδῆ, quæ ad os usque patent. *Foramina branchiarum.* Pro *branchiis* foramina 5. ut in canibus disposita, carne intus pectinata ruberrima. *Pinnæ alas imitantes.* Anterius *pinnarum* par alas bene imitatur, unde piscis nomen Angeli adeptus est. In extrema harum pinnarum ora versus angulos à corpore remotissimos, *Spinæ.* *spinæ* habentur plures breves, aduncæ, acutæ. Interius pinnarum par, circa exitum excrementorum situm obtinens; ad marginem lateris superioris ejusmodi spinas habet; ad latus inferius annexa duo corpora grandia rotunda, quæ *penes* dixeris; sunt enim marium propria. Per medium Dorsi linea aspera: nec ullas præterea spinas in toto corpore observavimus. *Pinnæ dorsales.* *Pinnæ* in *dorso* duæ infra exitum excrementorum; superior tantum distat ab inferiore quantum inferior à cauda. *Cauda.* *Cauda* ipsa forcipata; non in plures partes divisa quemadmodum in Catulis.

Hepar & intestina. *Hepar* magnum in tres lobos divisum; quorum medio cystis fellea adnexa. *Intestina* magna, mesenterio juncta.

Caro qualis. Apud nos, inquit *Rondeletius*, nullo in pretio est Squatina, etiam à rusticis neglecta, tum ob ferinum saporem, tum ob carnis duritiam & insuavitatem. *Usus in medicina.* Ova exiccata ad sistenda alvi profluvia multum conferre experientia compertum: iis enim ad omnes alvi fluxiones utuntur piscatores nostri. Cute ensium capuli integuntur. *Rondeletius.* Ex Squatinarum corio cultellorum & falcatorum ensium vaginas Turcæ Barbarique maritimi admodum pulchras conficere solent, quas Sagrinas appellant. *Jovius.*

In mari supero & infero, nec raro in oceano Britannico *Cornubiam* alluente capitur. Piscis hic Ῥίνη Græcis dicitur, quæ vox limam significat, à cutis scil. asperitate. Squatina Latinis à squalore dicta putatur.

CAP. XX.

Torpedo Americana, *Puraque* Brasiliensibus, *Peixe viola Lusitanis, ob figuram.* Marggr.

Piscis est latus, non crassus, cartilagineus. Longitudo ejus ab initio capitis ad finem caudæ 1. pedis & 9. dig. Ab initio seu acumine capitis ad 8. dig. intervallum versus posteriora, cordis lati figuram habet, ut pingi solet: latitudo ejus ubi maxima 7. dig. excurritque ibi in latere in pinnas instar Raiæ, estque pene transparens cum luci obvertitur. Caret branchiis. *Caput* in coni figuram definit. Ab acumine capitis $3\frac{1}{2}$. dig. retro numerando occurrunt *oculi*, unum digitum ab invicem distantes, rotundi, prominentes, mediocris avellanæ magni-

magnitudine; *pupilla* nigra, circulo aureo. Ad utrumque oculum versus posteriora habet fistulam, minimi digiti apicem capientem. Sub oculis, in inferiore tamen corporis parte *Os* habet, distans tantum ab initio capitis quantum oculi, sesquidigitum amplum edentulum, & duo spiracula sesquidigitum post os versus posteriora. In quolibet latere 5. incisuras habet [qui branchiarum sunt foramina.] Post anteriorem illam cordiformem corporis partem, reliquum corpus teres, aliquantulum tamen compressum, & ibi latum 3. dig. & in quolibet latere *pinnam* habet mollem, 3. dig. longam & $1\frac{1}{2}$. latam: hinc angustius fit corpus usque ad caudæ pinnam, ubi digitum est crassum. Caudæ pinna ferme 2. dig. longa, paulo plus uno lata, superius longior quam inferius, ut in *Tiburonibus*. Inter duas autem illas pinnas secundas laterales versus caudam, in dorso, distantia 2. dig. ab invicem, adhuc 2. pinnas erectas habet, ad tactum instar membranæ crassioris, triangulares 2. dig. longas, $1\frac{1}{2}$ digitum latas. Tegitur cute molli, nullis squamis, ac in toto inferiori corpore in medietate anteriore est albus, in posteriore incarnati coloris cum albo mixti. In parte supina glutinis est colore, fuscis maculis variegato, inspersaque sunt egregia varietate puncta ex albo cœrulescentia. Pinnæ quoque glutinis habent colorem, ac in lateribus aliquid rufescentis mixtum. Acumen capitis cartilaginis colorem obtinet, qua etiam constat. Per totius dorsi longitudinem ad tactum spina dorsi quasi tuberculis minimis eminet. Caput illius recens noctu lucet. *Caro* ejus non comeditur: sed si comedatur, asserunt piscatores, per 3. horas semifatuos reddi homines, dein sponte ad se redire. Unius attactus crepitum articulorum brachii ac manus causat, qui tamen statim desinit: & si in medio tangatur artuum tremorem efficit. Capitur mensibus pluviosis quando tempestuosum est in *Bibiribi* fluvio, longe ex terra adveniens cum Raiis & Pastinacis.

CAP. XXI.

Torpedo, *Græcis* Νάρκη, *Genuensibus* Battepotta. *Anglis* The Cramp-fish.

FIgura totius dempta cauda circularis est, segmento ad summum caput ablato. Haud multum excrescunt. *Salvianus* se nunquam observasse scribit quæ senas libras excederent. *Color* sordide luteus, ad rubricæ fabrilis colorem accedens, inquit *Rondeletius*, vel qualis sabulo aut Glareæ. *Oculos* habet exiguos, cute fere coopertos. Retro oculos foramina duo lunulata, patula, (ita *Bellonius, D. Willughby* 8. dentes seu crenas numeravit in singulis foraminibus.) in Gyrum crenata, ad os usque pervia, quæ, ut putamus, auditui inserviunt. Supina parte 5. maculis insignitur, eodem situ quo in figura *Salviani* disponuntur, quas si attentius contempleris, in medio obscure cæruleas, in ambitu primo annulo nigro, deinde albicante cinctas observabis. Acephalos videtur hic piscis, adeo (in descripto pisce rostrum tribus pollicibus latius erat) latum est ei caput, nec à corpore divisum. Extrema corporis margo in pinnam desinit. Supra exitum excrementorum tantillo spatio duæ exoriuntur *pinnæ*, quibus in maribus appendices duæ seu penes, ut in reliquis Cartilagineis adnectuntur. Ex adverso harum pinnarum inferius tamen medio dorso, aut si placet caudæ, duæ pinnæ sibi mutuo vicinæ innascuntur. Caudæ ut in Cartilagineis longis superior angulus ultra inferiorem procurrit. *Os* Raiæ ori simile, latitudine digi-

Figura. Magnitudo. Color. Oculi. Pinnæ. Os.

Nares. Branchiæ. digitali, Dentibus parvis, acutis. *Nares* juxta os ſemi-opertæ. Vice *branchiarum* in parte prona foramina quinque obtinet, ut reliqui Cartilaginei. Nullæ per totum corpus ſpinæ & caro ad tactum mollis eſt. Tam ſupra quam ſubtus, præcipue ad margines capitis ſupra os, & in ſupinæ partis extremitate & circa exortum pinnarum crebris foraminulis punctatus eſt, ex quibus liquor quidam facile exprimitur, qui proculdubio piſci lubricando inſervit. *Foraminula Cutis.* Atque hæc quidem obſervavimus antequam *Stenonis* De Anatome Raiæ libellum videremus; verum nec quibus organis ſecerneretur humor iſthic, nec cui uſui inſerviret ſatis perſpeximus aut advertimus.

Viſcera & inteſtina. *Hepar* in duos diviſum lobos, qui in utroque latere ſiti, tenui tantum velut lacinia connectuntur. *Ventriculus* amplus, ut & inteſtinum, quod à pyloro ad anum recta protenditur, habetque non longe appendicem ſeu cæcum. Hepar autem coloris eſt pallidi: cujus dextro lobo cyſtis fellea adnectitur, è ſiniſtro porus bilarius exit. Lien rotundus. Sub hepatis lobis ova flava & utrinque uterus. *Menſuræ.* Quod ad *menſuras* attinet in piſce 12. uncias ſeu pedem unum longo, os à ſummo capite remotum erat digitum unum; foramina ultra oculos $1\frac{1}{4}$; oculi ipſi $\frac{1}{4}$; foramen branchiarum primum 2; ultimum $3\frac{1}{2}$; Dorſi pinna anterior 7; poſterior $8\frac{3}{4}$; foramen ani 6.

Differentiæ. Nonnulli hujus generis piſcis maculis carent; alii præter nigros illos inſigniores, albis etiam frequentibus pinguntur. *Genuæ* primum vidimus & deſcripſimus, poſtea etiam *Liburni*, *Romæ* & alibi in *Italia*: nam in mari infero frequens capitur.

Vis ejus narcotica. Nomen invenit à facultate ſeu *vi* illa *narcotica*, qua tum piſces quos captat, tum piſcantium membra ſtupefacere & torpida reddere creditur. Vis illa (ſi qua ſit) vivo tantum piſci ineſt. Nos enim torpedines plures propriis manibus contrectavimus deglubimus, eviſceravimus, nec tamen minimam inde noxam torporemve ullum vel extremis digitis incuſſum ſenſimus. Nobiſcum conſentit *Salvianus*, Torpedinem vivam ſtupefaciendi facultate præditam eſſe (inquiens) extinctam vero illa eadem privari, præter id quod reipſa experimur, authorum etiam teſtimoniis comprobari videtur: [*Galeni* & *Æliani*] quod autem piſcis hic torporem inducat, ſeipſum manus ſuæ tactione periclitatum eſſe ſcribit *Gillius*. Sed haudquaquam mihi manus (inquit) tantopere obtorpuit, quam ſcriptores decantant. Torpor non modo non letalis eſt, ſed non ita multo poſt evaneſcit. Quod veteres eoſque ſecuti Recentiores quidam affirmant Torpedinem vim ſuam tranſmittere etiam per ligna & fuſcinas, ita ut procul & è longinquo ſi haſta virgave attingatur torporem inſpiret, mihi minime veriſimile videtur.

Carnis qualitas. Qui Torpedinem in cibis damnarunt (inquit *Rondeletius* & nos libenter aſſentimur) ii mihi rectius judicaſſe videntur: eſt enim mali ſucci inſuaviſque: humida, molli, fungoſaque carne: ob id à noſtris rejicitur: quod ſi quando edatur, abjectis capite partibuſq; quæ circa caput & branchias ſunt, alliis cepiſque condita editur. *Torpedinis varia ſpecies.* *Rondeletius* quatuor *Torpedinum* ſpecies facit. Prima ſpecies eadem eſt cum deſcripta. Secunda à prima differt, quod maculas nigras, rotundas, circulis non diſtinctas habet ſed eadem pentagoni figura diſpoſitas. Eſt etiam primæ concolor. Tertia magis varia eſt: habet enim maculas diverſarum figurarum, huc & illuc ſparſas, & ſine ordine. Quarta & rotundis & cujuſvis alterius figuræ maculis prorſus caret, eſtque primæ & ſecundæ concolor. Has ſpecies accidentaliter tantum differre exiſtimamus.

Ex quo hæc ſcripſimus, incidimus in libellum D. *Franciſci Redi* nobilis Aretini, Autoris nunquam ſatis laudati ob præſtantiſſimas dotes, ingenium, diligentiam, cautelam, fidem eximiam, cui in Latinum ſermonem verſo titulus eſt, *experimenta circa res diverſas naturales* &c.

In

In hoc libello quæ de *Torpedinis* vi narcotica ipse expertus est literis prodidit, & præterea anatomicam partium ejus descriptionem: quæ quoniam verissima esse minime dubitem, huc omnia transcribam. *Ut de vi illa Torpedinis, qua stuporem inducere dicitur manui & brachio tangentis, certus essem, & de eadem cum certitudine scientiæ loqui possem, non semel ejus rei experimentum feci. Nam piscatores aliquot me requirente hujus piscis causa piscatum iverunt, & capto illius generis uno eundem mihi paulo post quam captus erat adduxerunt. Vix illum manu constrictum tetigeram, cum formicare manus, brachium & omnis humerus cœpit, cum tremore usque adeo fastidioso necnon dolore afflictivo & acuto in mucrone cubiti, ut statim manum abducere cogerer: idque toties mihi accidit, quoties eundem diutius tangere obstinate volebam. Verum quidem est, me tanto minus doloris atque tremoris sensisse, quanto morti propior Torpedo erat: quin sæpius nihil istiusmodi sensi: & cum jam plane mortua esset (neque enim ultra 3. horas vixit) tractare eandem secure & sine omni fastidio poteram: ut jam mirum non sit, esse qui de veritate hujus effecti dubitent, & rem omnem fabulæ loco habeant; forte quia in Torpedine non viva sed mortua aut morti vicina experimentum fecerunt.*

Non possum eadem securitate affirmare vel negare, an verum sit, virtutem Torpedinis etiam operari a longinquo. Piscatores omnes constanter affirmant eandem per funem retis & hastam fuscinæ transire de corpore Torpedinis in manum & brachium piscatoris: quin unus ex eorum numero mihi dicebat, se cum Torpedinem in vas grande misisset, & jam in eo esset, ut ope cacabi illud aqua marina adimpleret, soporatas sibi manus, sed leviter sensisse. Sit quomodocunque velit, negare illud non ausim, quin potius huc feror ut credam: nec tamen certo aliud dicere possum, quam me cum citra contactum Torpedinis manum propius admoverem, aut in aqua, cui innatabat, manibus versarer, nihil omnino mali sensisse. Potest tamen esse, ut Torpedo in mari vivida, integra, nec dissipata ob mortis viciniam virtute propria, producat omnes illos effectus a piscatoribus memoratos.

Torpedo illa de qua loquor capta fuit 14. Martii, anno 1666. Fœmina erat & libras circiter 15. pendebat. Volui tum observare internam viscerum fabricam, sed ob multas occupationes cursim illud, & ut dici solet crassa Minerva feci......

Oculi parvi, & in superiore parte positi sunt, duobus transversis digitis ab extremo anteriore limbo corporis Torpedinis. Prominent ex loculis suis velut duo cornua, vel informes quædam nuces. Pupilla rotunda non est, sed iridis figuram æmulatur ejusque dimidia pars concava, altera convexa est, & ubi convexa pars in concavam intrat, pupilla clauditur. Humor crystallinus rotundus est, teneræ substantiæ quoad exteriora, & duræ quoad interiora. *Oculi.*

Dentes *in extremitate altitudinis satis acuti, & circa basin largi sunt.* *Dentes.*

Hepar *in duos lobos dividitur, duarum falcium instar, qui in basi subtilissimo & arctissimo ligamento connectuntur. In universum uncias 11. pendebat.* *Hepar.*

Folliculus fellis *satis magnus ad dextrum lobum hepatis annexus erat, pondere sex drach.* Aldrov. *credit hoc fel cataplasmatis loco alicui corporis membro impositum, tremorem inducere & torporem: sed experientia edoctus sum, vanum esse hunc ejusdem timorem. Vanam quoque crederem esse Plinii & Galeni opinionem, qui affirmarunt, hoc ipsum fel pollere ea virtute, ut flaccidum & imbelle reddat illud cornu, quo (ut* Boccacius *noster loquitur) homines arietant.* *Cystis fellea.*

Inter duos hepatis lobos ventriculus & intestinum jejunum interjacent.

Ventriculus *usque adeo magnus est, ut immissa manus hominis per os Torpedinis, quod æque satis latum est, convertere se facile in eodem ventriculo possit, qui carnosus & rugosus est.* *Ventriculus.*

Pylorus. *Inter ventriculum & intestina exiguus quidam trajectus est, quem* pylorum *vocare licet, & qui duos angulos facit, figuram literæ* S. *repræsentantes.*

Intestinum. Intestinum *jejunum sex transversorum digitorum longitudinem vix æquat, interius ad cochleæ formam fabricatum, ad modum fabricæ intestinorum piscis Palumbi, aliorumque piscium ex canum & raiarum genere, maximamque partem simile duobus intestinis cæcis Struthionis & cuniculi.*

Lien. Pancreas. *In altero angulorum stomachum inter & intestinum,* pancreas & lien *sita sunt. Lien drachmas duas pendens, figuræ ellipticæ; at vero pancreatis figura satis irregularis erat; etenim versus lienem crassum & latum est, & postea longo ligamento ad intestinum accedit.*

Cor. Cor *non absimile est aliorum piscium cordibus, & non nisi unam auriculam habet. Postquam illud a corpore Torpedinis dissolveram, & ab omni vase sanguineo separaveram, non desiit per 7. horarum spatia vivere & palpitare: & reliquum corpus Torpedinis dempto corde non cessavit per 3. horas continuas monstrare evidentissima signa motus & sensus, quo utroque omnium ultimo cauda destituebatur. Id quod in memoriam mihi revocat, quod in alia Torpedine, ante multas horas mortua, & frigore constricta observaveram, caudam nonnihil se movisse.*

Ovaria. *Ad utrumque lobum hepatis immediate annexa, & diaphragma inter & ipsum hepar sita erant* ovaria *duo. In unoquoque ovario supra 50 ova diversæ magnitudinis videre erat. Ab his duobus ovariis duo distincti canales descendunt, qui in oviductibus terminantur. In horum oviductuum uno*

Ova. *sex* ova *satis magna erant; quorum unum unciam unam vel circiter pendebat, coloris ex viridi flavescentis instar bilis porraceæ: in altero oviductu ova octo, sex aliis similia, continebantur, quæ ex oviductu exempta in figuram planam circularem abibant. In cavitate oviductuum circa ova humor quidam fluctuabat, liquefacto crystallo non absimilis, liber, nec ab oviductibus vel ovis dependens: ipsa etiam ova non minus libera, & nullis ligamentis vel vinculis astricta erant.*

Branchias ab utroque latere 4½ habet. Quatuor tamen illæ, quas integras voco, duplices sunt, & carne quadam musculosa, motui earundem inserviente à se invicem separantur: ita ut dicere liceat Torpedinem, si utrumque latus respicias, branchias habere novem. Foramina branchiarum extrinsecus in pelle 4; intus & gulæ respondentia 5 mihi visa sunt, sed ita ut dubitarem essentne etiam in pelle 5, uno à me per imprudentiam in sectione corrupto. [Imo 5 sunt, etiam extrinsecus, ut in reliquis Cartilagineis.]

Omne illud spatium corporis Torpedinis, quod branchias inter & caput, necnon locum illum ubi pinnæ locatæ sunt, ad usque anteriorem corporis extremitatem situm est, substantia occupat fibrosa, mollis, candidissima, cujus fibræ crassitiem pennæ cygneæ crassioris obtinent, & nervis munitæ sunt vasisque sanguineis. Capita vel extremitates harum fibrarum pellem dorsi & pectoris attingunt, & simul junctæ duo corpora vel musculos duos falcatæ figuræ formant; qui duo musculi simul ad examen vocati ad lb. iij ss. *aut circiter ascenderunt. Mihi tunc quidem videbatur, in his duobus falcatis corporibus, vel musculis potius quam in ulla alia parte residere virtus dolorifica Torpedinis: sed idem denuo affirmare non ausim, & forte deceptus sum. Non tamen credo me deceptum esse observando, quod supradicta virtus sese magis exerat tunc, quando Torpedo capta & manu constricta, contorquendo sese per vim elabi conatur.* Hæc omnia *Redius.*

De Ovariis, & Oviductibus hujus, aliorumque piscium varias observationes Edidit *N. Stenonius* in *T. Bartholin.* Act. Med. Vol. 2. An. 1673. Obs. 88.

Accuratam Torpedinis Anatomiam & Historiam exhibuit in Italica lingua signor *Stephano Lorentini Fiorentino* An. Dom. 1678; in qua ingeniose disserit de scaturigine, ductibus, fluxu & Refluxu humoris mucosi piscem lubricantis; de formatione fœtus absque commercio matris; de vi narcotica ab effluviis fibrarum contractarum (compositarum è vesi-

è veficulis aqueis) mufculorum falcatorum aut femicircularium; de tranfitu aquæ per pifcem pro demundandis branchiis: de copiofo menftruo glandularum ftomachi. Vafa ducentia lubricum feu mucofum humorem ad partes cutaneas derivat à glandulis intra oculos & marginem pifcis; vafa eundem liquorem revehentia inveftigat ufque ad fpinam dorfi.

Energia ftupefactiva *Torpedinis* fecundum *Ingeniofiffimum* Borellum *non oritur à facultate uel aura ulla venenofa; nam* primo, *fi tangatur, contrectetur que* Torpedo *eo tempore, quo quiefcit, manum prorfus non lædit;* fecundo, *eo ipfo tempore, quo pifcis concutitur, fi extrema ejus pars lateralis digitis contrapofitis ftringatur, manus nil læditur; verum eft tamen, quod digitis compreffo ejus Thorace prope fpinam, ubi frequentiffimi nervi & mufculi adfunt, tunc concuffio vehemens illius Animalis manum contrectantem ftupefacit, & fpafmo quodam afficit. Hanc paffionem adeo exaggeravit nobilis Anglus, qui tremore paralytico vexabatur, & affirmaverit coram Sereniffimo* Ferdinando Magno Duce Hetruriæ *fibi moleftum dolorem brachii per duos dies intuliffe Torpedinis illius contactum; nefcio an opinio malum auxerit, dicam ergo bona fide quæ expertus fum; quotiefcunque digitis non flexis fed in directum extenfis levi conatu thoracem* Torpedinis *ftringebam, tunc abfque ulla moleftia illius pifcis tremorem tolerabam, at quando articulis extremis incurvatis, pollicis præcipue, excipiebam perpendiculariter percuffiones tremulas pifcis, tunc fpafmum patiebar; unde cognovi quod in tali cafu tendines noftri & ligamenta articulorum nervofa, & fenfu exquifito donata, valide contunduntur ab ictibus repetitis, factis a pifcis concuffionibus, qui proinde fpafmum producere poffunt fimilem ei, qui a Cubiti percuffione producitur.* Hæc è *Joh. Alphonfo Borello.*

LIB. III.

SECTIO III.

De Pifcibus Cartilagineis oviparis.

CAP. I.

Rana pifcatrix. The Toad-fifh or Frog-fifh or Sea Divel.

INter pifces Cartilagineos & offeos ambigere videtur. *Figura* corporis *Gyrinum* refert, unde & *Rana* dicta eft. *Rondeletius* eam Cotto feu Gobioni capitato comparat. *Caput* ei prægrande, reliquo corpori par majufve, figura circulari. Rictus *oris* ingens: mandibula inferior, fuperiore plus digito longior, ut os furfum nonnihil fpectet, *Uranofcopi* in modum. Utraque maxilla, fed præcipue inferior, *dentibus* longis, acutis, crebris armatur. In inferiori maxilla longiores omnes introrfum mobiles funt. Ad imum palatum tubercula duo dentibus confita; & ad radicem linguæ juxta branchias utrinque dentes in acutum angulum difpofiti. *Nares* nullæ foris confpicuæ; verum in ore, fub angulo maxillæ fuperioris foramen magnum & cavitas cranium verfus cernitur, quæ forte huic pifci *narium* ufum præftat. Ab angulis hujus foraminis ordo *dentium* utrinque defcendit, 8 *dentibus* conftans, quorum quatuor ultimi reliquis multo funt minores. *Lingua* magna, lata.

Figura. *Caput.* *Os.* *Dentes.* *Nares.* *Lingua.*

Dorsum. *Color.* *Oculi.* Supina pars seu *Dorsum* planum, *colore* glauco seu marmoreo parvis *maculis* albis interspersis, recentiores *griseum* vocant, cum aliqua viroris & ruboris mixtura. *Oculi* in supina superficie siti, à summo rostro digitos 3½ remoti, nonnihil prominentes, *iridibus* albis. *Pupillas* linea albicans transversa medias dividit. Margo capitis ab oculis os versus rugis transversis nonnihil sulcatur. In capite semidigiti distantia ab *Setæ.* angulo mandibulæ superioris *setæ* duæ, anterior sex, posterior 4. digitos longa, quibus pisces venari dicitur, velut lineis piscatoriis: inferius medio dorso tres aliæ innascuntur *setæ* breviores pinnæ loco. Super *Spinæ.* mandibulam superiorem *spinæ* validæ geminæ utrinque. Circum & supra oculos tubercula habentur spinosa; neque numero, neque ordine *Pinnæ.* *Cauda.* certo, ut conjicio. In medio dorso non longe à cauda *pinna* 10. radiis firmata. *Cauda* minime forcipata; radii autem ramosi. In omnibus *pinnis* radiorum extremitates supra pinnarum membranas eminent & incurvantur.

Pinnæ partis pronæ. In parte prona sub ipso gutture sibi mutuo vicinæ binæ *pinnæ*, talpæ pedibus simillimæ, singulæ quinis radiis seu digitis constantes. Unde apparet Bellonium (quicquid *Rondeletius* cavillatur) non admodum absurde scripsisse, *piscem hunc geminos sub ventre pedes habere ad ranæ palustris similitudinem membrana interextos, quibus verisimile est, eum ranæ in modum per maris fundum incedere.* Alterum *pinnarum* par in ipsa piscis margine situm obtinet; *radii* in utralibet numerantur 20: extremitas harum nigra est uti & caudæ. Sub his *pinnis* sunt aperturæ *branchiarum*, ab aliorum piscium multum diversæ, ingentia scilicet foramina in quorum fundo tres duntaxat *branchiæ*, eædemque nullis aristis seu pectini-formibus radiis donatæ. Extremas hujus piscis margines, seu commissuram pronæ & supinæ partis, *ligulæ* seu pinnulæ carneæ ad intervalla ambiunt. A medio inferioris mandibulæ ad primum *pinnarum* par hinc inde quindecim numerantur. Infra pinnas deinde ad caudam utrinque cirrulorum similium ordo continuatur. Pinna ad anum radios obtinet novem.

Caro cocta alba, sapore ranarum simillimo. Circa *Genuam* frequens capitur. Singularia in hoc pisce sunt. 1. Branchiæ utrinque tres. 2. Cornicula illa seu filamenta quæ labio superiori innascuntur. 3. Nares vel nullæ, vel intra os reconditæ. 4. Pinnæ sub ventre talpæ pedibus similes. 5. Pinnulæ seu cirruli in ambitu corporis.

Dimensiones. Piscis quem descripsimus 25. digitos *longus* erat. [Salvianus tricubitales alicubi reperiri asserit.] A summo capite ad dorsi pinnam intervallum erat digitorum 15; ad primum pinnarum par novem; ad secundum par 5; ad oculos 3½; Latitudo oris 6. erat digitorum; corporis seu capitis supra oculos, 11; inter apices primi pinnarum paris, septem.

Viscera & intestina, minus curiose quam par erat contemplati, negligentius descripsimus: Quocirca, ut Lectori curioso gratificemur, hujusque piscis historiam omnibus numeris absolutam reddamus, libet hic subnectere accuratam & elegantem partium ejus omnium tum externarum tum internarum anatome facta exquisitarum descriptionem à Clariss. Viro *D. Georgio Entio* concinnatam, & à *D. Charleton* M. D. pro Mantissa Anatomica ad *Onomasticon* suum *Zoicon* editam.

Græci Βάτραχον vocant: Istri piscem *Rospum*; Rospus enim ipsis Bufo: Taurinis *Bora*; Lombardis *Zatto*. *Scalig. in Arist. Hist. Animal.*

Figura. *Cauda.* Est Gyrino *similis*. Nempe anterior ejus pars, sive venter, Ranam vel Bufonem æmulatur; posterior autem in longam & mucronatam *caudam* definit: cujus pars extima sive *pinna* carnosa est, & palmipedorum animalium ad instar, intercurrentibus in longum cartilaginibus, late expanditur, estque spithamam longa: indeque ad capitis initium, in ea quam dissecui, sex spithamæ numerabantur.

Palmi

Palmi spatio à dicta pinna, *altera pinna* in superiore caudæ parte, inferne amplior & transparens nascitur. Subter caudam è regione hujus pinnæ *altera pinna* conspicitur. Carnosa etiam & caudæ pinnæ similis. Ab hac pinna quatuor digitorum latitudine versus caput *podex* situs est; pauloque infra eum *apertura alia* conspicitur; in quam vesica urinaria & uteri cornua terminantur. In medio fere ventris utrinque à lateribus ampla & *carnosa pinna* enascitur, spithamam circiter lata, parisque fere longitudinis. In medio dorsi duo *cincinni* sive *cirri* exurgunt, digiti longitudine, duobus palmis à superiore caudæ pinna: hinc palmi spatio *alter* item *cincinnus*, pauloque longior exoritur. Pinnæ.

Oculi quatuor digitos ab hac pinna remoti, sex digitorum intercapedine à se invicem distabant: interque illos (sed anterius multo, nempe prope labii superioris confinium) duo *cornicula* enascuntur, in extremo sui rotundis filamentis præpilata: quorum mobilitate creditur pisciculos in oris sui rictum, ceu nassam, allicere. Oculi.

Paulo subtus Diaphragma, in supina ejus parte, duæ amplæ *pinnæ*, ad figuram manus, in quinque digitos divisæ (quales in *Manati* pisce prædicantur) adsunt.

Circa oris ambitum & juxta latera ad caudam usque exiguæ *pinnulæ* sive *cirruli*, trium fere digitorum à se invicem distantia, reperiuntur.

Rictus oris ingens, totoque circum ambitu dentibus uncis retrorsumque spectantibus plenus. Dentium horum ordo duplex triplexve: estque id illis singulare, quod interiores (qui etiam longiores sunt) introvorsum sint, ac deprimi possint; extrorsum vero à motu prohibeantur, quod exteriores ac minores denticuli illis ad id impedimento sint. Omnes, ut dictum est, retroversi gulam spectant. Dentes illi majores cute seu vagina ad medium sui integuntur; quæ mobilis est: quemadmodum in felium unguiculis conspicimus.

Prope interiores fauces duo veluti *pulvinaria* visuntur; quæ à lateribus utrinque dentata sunt, & in cuspidem acuminantur: postica vero sui parte dentibus carent. In maxilla superiore duæ pariter *protuberantiæ* sunt pulvillis istis respondentes, & dentium longiorum duplici ordine armatæ, transversim sitæ sunt; & pone illas duo *dentes molares* unciali amplitudine proxime fauces adjacent. Dentes hi officio suo funguntur ope musculi tendinosi, qui spinæ medio adalligatur, indeque sursum latus, statim bifariam ad dictos dentes fertur.

Branchiæ utrinque ternæ. Aperiuntur fauces subtus pinnas majores in latere sitas.

Quoad internam constitutionem;

Cor haud adeo magnum (si piscis amplitudinem spectes) nempe circiter ovi gallinacei magnitudine. Non definit in conum, sed æquali fere ductu ad imum fertur, ubi etiam aliquanto latius conspicitur.

Aorta, ex summa ejus parte enata, albida est & prægrandis: prope exortum tamen è corde angustatur aliquantulum, & quasi annulum efficit. Est in medio grandior, definitque in sex ramos, quorum singuli ad totidem branchias feruntur.

Auricula ingens est (nempe corde fere triplo major) rubicunda valde, & pulmonum instar spongiosa: tunica molli & laxa donatur, & in ambitu sui (Galli cristæ instar) incisa sive fimbriata cernitur. *Capsula* robusta hæc circumambit.

Septum transversum exoritur prope Cartilaginem pinnæ maniformi continuam; eandemque *claviculam* haud male dixeris.

Cor densum & cavernulis repletum. Ubi aortæ jungitur duabus *valvulis* semilunaribus sanguinis inde recursum prohibet. In *auricula* consimiles *valvulæ* (sed quaternæ ut puto) sanguinem à regressu in cavam arcent.

Venæ cavæ duo majores trunci, (ex duobus hepatis lobis oriundi) postquam

quam Pericardium penetrarunt, uniuntur, feruntur que in auriculam, Iisdem etiam commiscetur vena *emulgens*, aliæque complures, à cordi vicinis locis sanguinem è capite refluum advectantes.

Aorta densa crassaque, intus innumeris fibrulis in longum protensis roboratur. Tunica ejus exterior venulis conspicuis irrigatur.

Jecur peramplum ex pallido flavescebat, & in lobos duos prægrandes dirimitur. In superiore parte prope cor, ubi tenue est, deorsum flectitur, & complicatur: quod etiam alicubi in lateribus contingit. Passim fissuris hiulcum est. In exteriore loborum parte (præcipue in sinistris) magna vasa, fluminum instar, conspicua sunt.

Ex *hepatis cavo* ejusque medio complures *ductus hepatici* manifeste prodeunt: qui postquam extra hepar quinque fere digitorum spatio delati sunt; desinunt in *sinum amplum* & tres digitos transversos longum; qui postea angustior redditus, in *duodenum* terminatur, unciæ spatio à *pyloro*; videturque esse quasi *cystis* minor & succenturiata; est autem ductus *communis*. Illorum ductuum tres medii uniuntur, duorum digitorum spatio antequam in dictum sinum desinant. Proximus ramus ingreditur initium illius vasis, quod ad cystim felleam abit, & *meatus cysticus* appellatur: estque hic meatus longitudinis octo digitorum transversorum, atque amplitudinis calami scriptorii.

Vasa fellea jam dicta toto tractu *Mesenterio* firmantur, in quo Glans majuscula & minores aliquot reperiebantur. *Fel* pari facilitate deorsum versus vesiculam felleam, sursumque ad sinum sive ductum communem fertur. Idque ita fieri oportuit; quoniam nonnisi per porum cysticum bilis ad vesiculam felleam decurrit.

Bilis in vesicula quadrantem minimum pependisset, non enim appendebam, Erat fere dulcamara; & cerevisiæ veteris instar translucida.

Mesenterium pinguedine passim interspersum, amplissimis vasis donabatur.

Oesophagus duplicatus erat, decem uncias latus; constat eadem cum ventriculo substantia, nempe alba, crassa, firma & densa admodum. *Fibræ* transversim incedunt.

Ventriculus passim & præsertim sub medium sui, plurimis *nodis* cartilagineis scatebat, qui introrsum hiabant, & in meditullio eorum sanguinis vestigia conspiciebantur. Ad illos *nodos* vasa forinsecus adveniunt. In earum cartilaginum nodosarum una *vermiculi* decem numero reperiebantur: erant oblongi & tenues admodum. Alii item in aliis nidulabantur.

Intestinorum longitudo trium circiter ulnarum. In intestini *recti* summo evidens *valvula* est. *Cæci* autem ne vestigium quidem. *Rectum intestinum* columnulis carneis *Abomasum* in bove æmulatur.

Pylorus perpusillo foramine, (quod vix digiti minimi extremum admiserit) in Duodenum aperitur: quod in illo tractu *Reticulum* in bovino ventriculo æmulatur.

Duodenum statim ab exortu in duas *appendices* sive processus dirimitur; quorum superior altero fere triplo major est.

Quatuor circiter à ventriculo digitis *Ductus communis* pertenui foramine in papillam definit & in Duodenum exinanitur.

Lien in dextro latere situs, renis figuræ haud multum dissimilis, & magnitudine minori reni humano par, è membrana sua facillime exuebatur; imo facta incisura sat ampla, sponte sua elabebatur.

Arteria, vena & nervus interiorem concavamque illius partem ingrediuntur; factoque ad medium fere ipsius itinere, vasa illa omnia quoquoversum in ramulos dispergumtur.

A Liene Nervus conspicuus postquam novem digitorum spatium decurrit, finitur in *plexum* nervosum, in quem alii quoque nervorum rami, à costis atque etiam à renibus derivati, concurrunt. Tribus inde digitis,

digitis, non longè à dorso, alter *plexus* est: & remote ab illo fere subtus claviculam tertius.

Renes ampli & rubicundi, phaseoli majoris facie, venam *emulgentem* prægrandem in summo emittunt: per quam sanguis regrediens, postquam septum transiit, Cavam ingreditur, indeque in auriculam effunditur. *Vena emulgens* postquam Renem ingressa est variis ostiis in eundem dehiscit.

Ureter ex imo prodit, habetque valvulas regressum sevi præpedientes.

Venæ etiam aliæ in gibbo renis, variis in locis eundem perforant; quemadmodum & *arteria emulgens* in ramos complures dirempta diversis in locis illum ingreditur.

Vesica urinaria ampla, & humana major; liquorisque facile, qui libram pendeat, capax.

Uteri cornua, mesometri opera, spinæ dorsi adalligantur; estque alterutrum eorum duarum ulnarum longitudinis.

In summo spinæ *cerebri* sedes est, quod tamen nonnisi in interiore parte cerebri substantiam referebat: in reliquo enim tractu erat solum aqua limpida & viscida. Mira est venarum per hanc lympham textura.

Nervi optici prope originem suam sese decussant. *Auditorii* item sunt conspicui: & in laterum ibidem confinio vesiculæ tenuissimæ sunt, in quibus *ossicula* duo *auditoria* talparum pedibus consimilia reperiuntur. Ejusmodi quoque ossicula in capite *Manati* piscis reperiuntur, calculo (ut aiunt) proficua; necnon in *Asellis* piscibus.

Humor Crystallinus oculi est rotundus & globulo lusorio par.

CAP. II.

Guacucuia *Brasiliensibus* Marggrav. *Monoceros piscis qui Vespertilio aquaticus dici possit.*

Corporis figura anterius est instar *vomeris*. *Corpus* 8. digit. longum, 5. latum in medio, ubi latissimum. Medietas autem corporis posterior rotunda est, & versus caudæ pinnam fastigiatur in conum: medietas anterior *vomeris* seu lati cordis figuram obtinet. Piscis autem non crassus est, sed latus. *Caput* vix prominet seorsim à corpore, estque illi inter oculos supra os *cornu* impositum, durum, duos pene digitos longum, conicum. Oculos habet *nummi Misnici* magnitudine, *pupilla* crystallina lenticulari, reliqua pars variegata *maculis* & *lineis flavis* albisque. Oris hiatus castaneam capere potest, ipsum edentulum est. Supra os *carnea prominentia* est, instar tonsillæ humanæ fere. In utroque latere in medio piscis brachium eminet, 4. digitos longum, una junctura constans; inferior medietas brachii 2. dig. longa, plus uno lata; exterior *pinna* 2. dig. longa est, unum lata. In infimo *ventre* inter brachia 2. habet *pinnas* sesquidigitum longas, quæ quasi *pedes* sunt. *Cauda* constat pinna 2. dig. longa, sesquidigitum lata, & fere quadrata. In inferiore corpore sesquidigiti interstitio à cauda *pinnulam* habet parvam & talem etiam in dorso 3. dig. intervallo à Cauda. *Cute* tegitur non squamis, quæ superius fusca est, multis tuberculis duris per dorsum insignita, versus anticam partem & utrumque latus. In utroque autem latere 11. *maculas* nigras habet lentis magnitudine & figura, binas ac binas juxta se positas. Prope insertionem utriusque branchiæ etiam multas ejusmodi maculas nigras habet, & ibidem in quolibet la-

tere *foramen* parvum in corpus. In summa in lateribus, circa oculos, & in extremis branchiis mire variegatur *punctulis* albis, nigris, *lineisque* itidem albis & nigris ut vix exprimi possit à pictore. In toto autem inferiori corpore egregie *miniati* est *coloris*, atque ibi *cutis* æqualis, verum ad tactum hispida. Hactenus *Margravius.*

Piscis hic corporis figura & pinnis ad Ranam piscatricem accedit; verum oris situ & parvitate, dentium carentia, rostro in cornu producto &c. ab ea differt plurimum.

CAP. III.

Guaperua *Brasiliensibus* Margravii. The American Toad-Fish.

IN pisce ab initio oris ad exortum caudæ 2. digtos longo [reperiuntur autem duplo majores] corporis medii crassities maxima trium erat, altitudo cujuslibet laterum unius; caudæ *pinnæ* longitudo plus ½; *pinnulæ* retro anum tantidem. Caret omnino branchiis: *os* habet satis amplum & elatum, projectum instar canis, minutissimis denticulis: loco linguæ lapidem habet instar Cyprini: *ocellos* vix grani milii magnitudine, colore egregii Turcoidis. Inter ocellos in medio superioris labii seu in fronte *corniculum* gerit sursum erectum, & paulum retrorsum versum, & ante illud corniculum etiam *filum* tenue ½, ferme digitum longum, versus anteriora directe protensum, paululum tamen elevatum, cui appendicula adhæret ut in Liliis: *filum* hoc retro recondere potest: nam post *corniculum* fovea est vertice, hinc parva eminentia, & iterum vallis: tunc ad unius digiti longitudinem *pinna* in dorso porrigitur, quadrantem lata. In inferiore corpore sub pectore duas habet parvas *pinnulas.* In medio autem fere corpore, magis tamen versus anteriora, in quolibet latere *brachium* obtinet, desinens in pinnam duas trientes digiti longam, & pene ita latam, & spinis constantem, quæ per *pinnæ* longitudinem disperguntur, & anterius prominent instar 8. unguiculorum acutorum. *Brachium* quodlibet unica constat junctura, ac versus anteriora deflectit, ut ita naturæ piscis commodius serviat. Caret in totum squamis, sed tegitur *Cute* in ventre molli, reliquo corpore ad tactum aspera & scabra, ut in *Tiburonibus.*

Colore erat obscure rubricante cui fuscus admixtus, & per totum corpus *maculas* habebat nigras figura undarum: [alius totus coloris erat coracini splendentis.] *Pinnæ* & brachia etiam ejusdem sunt coloris cum fusco mixti. Sed *Pinna* in dorso in quolibet latere quatuor habet *maculas* nigras majores: *Cauda* vero & omnes *pinnæ* minores eleganter variegatæ sunt. *Ventriculum* habet duos digitos longum, cum *orificio* 3. digitos longo, & duos circiter amplo, quod in ipsas fauces inseritur: unde ventriculum inflare instar utriculi potest. Vescitur squillis. Natans egregie explicat pinnas, & inflat se ut instar orbis aut pilei appareat rotundus; quo cum orbibus dictis piscibus convenit. *Caro* ejus non comeditur.

CAP.

CAP. IV.

Acaramucu *Brasiliensium* Marggrav.

C*Orpore* est compresso, nec crasso verum oblongo; 10. enim digit. longus est, 4. latus ubi latissimus. *Os* illi parvulum angustum, rotundum, apicem minimi digiti admittens, ut piscis triangularis. Superius & inferius in anteriori parte oris utrinque *dentes* triangulatim acuti. *Oculi* stuferi magnitudine crystallini, *pupilla* nigra. Distant oculi ab ore 1½ dig. plane in alto positi, ¾. digiti à dorso. Sub utroque oculo in quolibet latere *branchiarum* loco fissuram habet oblique factam unum digitum longam, trapezii figura. In dorsi summitate directe supra oculos, instar fili majoris seu crassioris chordæ *Violæ*, *corniculum* habet oblique erectum versus posteriora, 4. digitos longum & teres. In postica corporis parte inferius & superius utrinque *pinnam* habet tenuem 3½. dig. longam, ¾. dig. latam; quæ desinunt circa caudam, quæ parallelogrammi figura exoritur à corpore, habetque pinnam sesquidigitum longam, paulo plus duobus latam. Caret squamis, sed tegitur *cute* glabra, parum tantum hispida, ut *Xiphiæ*, coloris albicantis, cui gryseus est admixtus, & in dorso paulum fuscus: *pinnæ* quoque grysei coloris. Non est edulis: in ventriculo Algæ seu musci marini multum inv. niebam. Parieti appensus noctu clarissime lucebat in tenebris.

Piscis hic rectius fortasse ad *Orbium* genus refertur: nobis tamen ex descriptione non constat an secundo *pinnarum* pari careat necne: quocirca cum *Cartilagineus* esse videatur, habeatque dorso innascens *corniculum* fili æmulum, *Ranæ* piscatrici eum subjunximus.

LIBER QUARTUS DE PISCIBUS

Oviparis, quorum plerique ſpinas in carne habent.

Sectio I.

De Planis oviparis ſpinoſis, qui in latus projecti natant.

Horum alii corpore ſunt breviore & fere quadrato; alii productiore & linguam ſeu ſoleam imitante. Prioris generis ſunt Rhombi & paſſeres dicti, de quibus agimus octo primis capitibus. Poſterioris ſunt Bugloſſi & ſoleæ, de quibus in ſequentibus.

CAP. I.

Rhombus *aculeatus* Rondeletii Geſn. 778. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 48. *Venetiis* Rhombo.

RHombus à figura ſua dictus eſt hic piſcis; ſiquidem latera ei fere paria ſunt, anguli autem inæquales. Quem deſcripſimus longus erat digitos 17½; latus 13. Pars ſupina *Rondeletio* fuſca eſt. *Color* ex viridi cineraſcit; prona albet. Squamis caret; verum cutis dorſi lineis impreſſis eodem fere modo dividitur quo pelles ſerpentum. *Lineæ* in utroque latere à ſuperiore branchiarum angulo ductæ primo in arcum

Nomen. *Figura.* *Color.* *Lineæ laterales.*

arcum curvantur, deinde recta ad caudam per media latera tendunt. A sinistra lineæ parte spinas numeravimus 71. à dextra circiter 58. nul-
Os. lo ordine positas, duas tresve simul junctas. Hiatus *oris* amplus; ma-
Dentes. xillæ *dentibus* munitæ: imo quoque palato sua insunt tubercula rotun-
Lingua. da, denticellis aspera. *Lingua* longa, glabra. *Oculi* à dextra oris parte
Oculi. siti. *Narium* foramina utrinque gemina; bina nempe in prona parte;
Nares. bina in supina. Dorsi *pinna* ab ipso fere rostro incipit, digiti intervallo
Pinna. cis caudam definit: radios autem obtinet 66. quorum medius longissimus est, versus quem reliqui hinc inde vergunt paulatim breviores: Quæ infra anum est, inferiorem corporis marginem prætexens, radiis donatur 50. Cauda rotundiuscula. Radii pinnis branchialibus singulis 9, ven-
Ventriculus. tralibus sex insunt. *Ventriculus* magnus, incurvus: intus pisciculorum ossa. Pinnæ omnes obscurioribus maculis notantur.

Carnis qualitas. Rhombum inter delicatissimos pisces habuit veterum luxus, unde proverbium *nihil ad Rhombum*; de his quæ minime conferenda sunt. *Rondeletius*; qui Rhombum, præsertim grandiorem, dura esse carne & friabili verissime scripsit.

Victus. Carne vescitur, maxime cancris: vorax est, piscesque multos ingerit. Quamobrem in fluviorum stagnorumque ostiis plurimum est, ut pisces
Locus. subeuntes persequatur. In mari nostro & in ostiis Rhodani magni capiuntur, sed in Oceano multo majores. Vidimus Oceani Rhombum quinque cubitos longum, latum quatuor, spissum pedem unum. *Rondeletius.* Nos piscem hic descriptum Venetiis nacti sumus; unde constat eum in mari Adriatico non infrequentem esse; in oceano captum nondum vidimus. *Schonfeldius* tamen Albim & Eideram fluvios subire è mari scribit, dum pisces ascendentes persequitur. In Sleia item Balthici maris sinu Rhombus clavatus & turbinatus circuli instar, nisi cauda figuræ obesset, in aqua salsa capitur. *Schonfeld.*

CAP. II.

Rhombus maximus asper non squamosus. Anglis Meridionalibus a Turbot, *Septentrionalibus* a Bret. *forte idem cum præcedente.*

Figura. Hic præ aliis sui generis ad Rhombum *figura* proxime accedit.
Magnitudo. Quem descripsimus duos pedes & dodrantem longus erat, latus duos pedes & digitum insuper unum. Squamis omnino destituitur,
Scabrities. verum *cutis* granulata est, & asperitatibus rarioribus [spinulis, exiguis, brevibus] in supina parte nullo ordine positis scabra. *Color* in supina
Color. parte tota, tam corpore, quam capite, pinnis & cauda cinereus, maculis nigris creberrimis, aliis majoribus, minoribus aliis varie respersus &
Lineæ laterales. quasi marmoreus. Ad radices pinnarum in circuitu spinæ nullæ. *Lineæ laterales* ita se habent ut in præcedente. *Oris* rictus huic quam Passeri
Os. patentior. Maxillæ non unico *dentium* ordine ut in Passere & aliis con-
Dentes. generibus instructæ; sed multis denticulis asperæ; in supremo quoque palato, denticelli multi velut maculam triangularem efficiunt: inque
Nares. imo cernuntur denticulorum orbiculati pulvilli. *Nares* non in eadem
Oculi. linea cum dorsi pinna, ut in passere, sed infra eam. *Oculi* in latere sinistro seu ad dextram oris siti, longius à se invicem & ab acie dorsi re-
Pinnæ. moti quam in plerisque hujus generis aliis. *Pinna* dorsi anterius incipit quam in aliis quibuscunque planis, nimirum cis oculos ad ipsum fere os, & ad caudam proxime producitur. Spina initio pinnæ ad anum caput spectante caret. Cæterum radios in dorsi pinna numeravimus 70, utrinque

trinque pariter reflexos, ut in superius descripto: in pinna retro anum 50, simili modo dispositos: Inferius pinnarum par cum hac pinna quasi continuum est & in eodem plano.

Hepar huic pallidum, cui adnectitur cystis fellea: Lien rubicundus. *Intestinum* semel tantum reflexum, ad pylorum in duas appendices ceu cornua terminatur. Partes generationi dicatæ quales in Passere. *Vesica urinaria* in hoc & congeneribus nihil aliud esse videtur quam ureter dilatatus seu sinus ureteris. In pisce majori observavimus *cystin felleam* nullam cum hepate connexionem habere, sed poro bilario velut appendi. Porus autem bilarius multos ab hepate ramos bilarios excipit, & juxta intestinum in sinum seu cavitatem amplam dilatatur. *Renes* prælongi ad ipsum usque caput extensi. *Vesica urinaria* ampla, quæ peculiari & sibi proprio foramine exoneratur. *Uterus*, ut in aliis hujus generis, longo processu ultra cavitatem abdominis descendit ex utroque spinæ latere, ad tres vel quatuor digitos in pisce grandiore, nisi quod sacculus dependens duplex sit. Uteri orificium concurrit cum exitu excrementorum eodem exterius foramine. Ventriculus ingens. *Viscera. & intestina.* *Fel.* *Renes.* *Vesica.* *Uterus.*

Aorta in hoc pisce eodem modo branchiis tota impertitur quo in Catulo, in tres tamen primo hinc inde ramos divisus, quorum primus in duos iterum subdivisus ad duas posteriores branchias tendit. Eodem pariter modo vasa recipientia sanguinem à branchiis iterum coeunt ad arteriam restituendam seu redintegrandam. In Oceano Britannico & Germanico frequens capitur, nec tamen (quod miramur) piscium historiæ conditoribus hactenus descriptus videtur: nisi forte idem sit cum præcedente, quocum in omnibus excepto colore & spinis convenit. In hoc genere omnium quos nobis videre contigit, Hippoglosso excepto, maximus est, neque carnis sapore & succi bonitate præstantissimis hujus generis piscibus cedit: Passere certe, me judice, tanto melior est quanto major. *Aorta ad branchias progressus.* *Locus.* *Carnis sapor.*

CAP. III.

Rhombus non aculeatus squamosus. An Rhomboides Rondel? *an Rhombus lævis* ejusdem? Soatto *seu* Soagia *Venetiis*? Lug-aleaf *Cornubiensibus.*

A Passeribus differt eodem modo quo alii Rhombi viz. Quod lineæ asperæ ad radices pinnarum ambientium nullæ. 2. Quod oculi in dextro latere ad sinistram oris siti sint. 3. Quod pinna dorsi cis oculos ab ipso proxime ore incipiat, & ad caudam propius desinat. 4. Quod ad initium pinnæ quæ retro anum est aculeus nullus. 5. Quod distantia oculorum major quam passeribus. *Squamosus* est squamis admodum exiguis; quo ab aliis Rhombis differt. Corpore depresso, colore cineraceo; nec aspero neque spinoso. Lineæ in lateribus quales Rhombis. Cauda rotunda. Pinnarum numero, figura, situ cum Rhombis superius descriptis convenit. Nares sub dorsi pinna ut in illis. Duplex in Branchiis aristarum ordo. *A Passere quomodo differat.* *Squamosus est.*

Hepar album. Fel dilute flavescens. In ventriculo pisciculi. Ob squamas quibus obductus est Rhomboidem *Rondeletii* esse existimarem; verum obstat magnitudo & nomen Italicum *Soatti* quod *Gesnerus* Rhombo lævi attribuit.

CAP. IV.

Rhomboides Rondeletii, Gesn. *p.* 780.

RHombo vel Passeri similis est, sed à Passere situ differens; squamis parvis intectus, oculis multum à sese distantibus. Linea à capite ad caudam per medium corpus ducta, initio sinuosa, deinde recta, corpus in duas æquas partes dirimens. Corpore est exiguo & brevi: nunquam enim, quantum observasse mihi licuit, palmi magnitudinem superat. partibus à Rhombo non differt.

Carne est media, neque molli nimium, neque dura.

In litore nostro rarus est, semelque tantum vidisse mihi contigit. *Rondeletius.*

CAP. V.

Rhombus lævis Rondeletii, Gesner. *p.* 779. *forte nostro non aculeato Squamoso idem.*

RHombo aculeato figura partibusque tum internis tum externis omnino par est, demptis aculeis; nullos enim neque in supina, neque in prona parte habet. Præterea latior est & tenuior Rhombo aculeato, carneque molliore, suaviore quam Passer.

An piscis hic idem sit Rhombo nostro non aculeato squamoso ex brevi hac descriptione certo determinare nequimus. *Gesnerus* Rhombum lævem Italis *Suazo* dictum scribit; noster autem non aculeatus squamosus venetiis eodem nomine vocitatur. An Rhombus suus lævis squamosus sit necne *Rondeletius* non prodidit, quamvis epitheton lævis non squamosum arguit. Rem ergo in medio relinquamus necesse est. Lector ipse descriptiones allatas conferat, & de iis judicium ferat. Quæ nostra opinio sit, in titulo ostendimus.

CAP. VI.

Passer Bellonii, *Gallis* Plye *Anglice* a Plaise. *Quadratulus* Rondeletii. *Platessa* Ausonio.

Magnitudo. Color. TEnuis est & compressus valde; longitudine pedali & interdum majore, latitudine septunciali. Supina facies sordide olivacea, [fusca *D. Willughby*] maculis rotundis miniatis picta, quibus & pinnæ quoque asperguntur. Latus pronum album, carne in laminas undulatas *Squamæ.* disposita. *Squamosus* esse videtur squamis exiguis in cavitatibus rotundis latentibus, adeo ut difficillime abradantur. Ad superiorem marginem operculorum branchiarum sex aut septem *tubercula* ossea, quin- *Tubercula.* to ab oculis maximo & altissimo. Nullas habet *asperitates*, neque in *Spinulis caret.* linea punctata, neque in circumferentia corporis ad radices pinnarum ambientium. *Dentium* in utraque maxilla ordo unus: in imo *Dentes.* etiam palato tubercula dentata. *Oculi* in dextro latere, seu ad sini- *Oculi.* stram

ſtram oris ſiti, extuberantes, fere contigui, anguſto admodum officulo intercedente. *Narium* altera in latere ſupino inter oculos, altera in prono ſub oculis. *Pinna* in dorſo unica, ab oculis inchoata, ad caudam medio minus digito protenditur, in qua radios numeravimus 72, à primo ad 38. ſenſim longiores, caudam verſus inclinatos: à 38. ad finem pinnæ paulatim breviores, ad caput reclinatos. Anus ab ore tribus circiter digitis diſtat. Ab ano pinna longiſſima inferiorem corporis oram cingit, radiis 54. donata, è quibus 24tus. longiſſimus, reliqui hinc inde ordine breviores, ut in pinna dorſali, ſitu quoque conſimili. Ad initium hujus pinnæ ſpina valida, brevis, caput ſpectans. Pinnæ ad branchias mediocres, ſingulæ radiis 11. inſtructæ: quæ in ventre ſunt his perpendiculariter ſubjectæ, radiis ſex. *Cauda* longa, cumque explicatur extrema circumſcriptione ſubrotunda, radiis ramoſis. In pinnis ambientibus apiculi radiorum ſupra membranas connectentes eminent. *Branchiæ* utrinque quatuor: unicus in ſingulis ariſtarum carnoſarum pectinatarum ordo.

Nares. *Pinnæ.* *Cauda.* *Branchiæ.*

Quod ad partes internas attinet, Hepar longum eſt, indiviſum & rubicundum. Cyſtis fellea ampla, membrana valida, albicante & opaca. Lien nigricans. Inteſtina meſenterio adnexa: meſenterium autem cavitati abdominis ex una parte ſecundum longitudinem adnata, abdomen medium dividit. Ad pylorum inteſtinum in duo brevia & obtuſa cornua, aut ſi vis appendices caput ſpectantes, divaricatur. Eſt & paulo inferius alius brevis & obtuſus ramulus ſeu appendix ad inteſtinum, quod hac in parte craſſum eſt, inferius autem tenue evadit. Peritonæum nigrum: inteſtina multoties convoluta. *Veſica urinaria* magna; magno & longo ductu renibus juncta. Aliam quoque veſicam ſeu folliculum obſervavimus longiſſime ultra abdomen continuatam in foramine ad ſpinam dorſi excavato; forte uterus fuerit.

Viſcera & Inteſtina. *Veſica.*

Bellonius piſcem hunc cum minor eſt Quadratulum [*Quarelet*] Gallis vocari ſcribit, cum vero ſenuit & in majorem molem excrevit, Plyam. *Rondeletius* Plyam & Quadratulum ſpecie differre cenſet, verum nullas adfert diſtinctionis notas præter magnitudinis differentiam.

Nomina.

CAP. VII.

Paſſer aſper ſive ſquamoſus Rondeletii Gallis *Limande* Geſn. *p.* 781. *Anglice* a Dab.

PRæcedente nonnihil craſſior eſſe videtur, magnitudine eadem: ſquamoſus *ſquamis* in hoc genere amplis, circa margines aſperis & velut denticellis fimbriatis, quæ facile decutiantur. Tractanti aſper eſt, ſi à cauda ſurſum verſus digiti ducantur. *Spinulas* nullas habet, neque in medio laterum, neque ad radices pinnarum ambientium. Linea punctata in utroque latere ſtatim ab initio in arcum ſinuatur, deinde recta deſcendens utrumque latus medium dividit. *Oculi* ut in priore in ſiniſtro latere ſiti, ſibi mutuo proximi, ut in illo. *Color* in ſupina parte cinereus ſordidior, ruſeſcens, maculis ſubobſcuris flavicantibus varius. Pinnarum numero, ſitu, figura cum præcedente convenit; nec numerus radiorum in ſingulis pinnis multum differt. Quinetiam ad initium pinnæ quæ inferiorem corporis marginem cingit ſpina brevis caput ſpectans. *Os* mediocre unicum habet in utravis maxilla dentium ordinem. *Dentes* plures triginta numeravimus. *Nares* duplici in

Squama. *Spinulis caret.* *Lineæ laterales.* *Oculi.* *Color.* *Os, Dentes* *Nares.*

utroque latere foramine aperiuntur. Cauda cum explicatur minus rotunda quam in Rhombo.

Quid differat à præcedente. A præcedenti differt, 1. quod corpore est crassiore. 2. Squamis majoribus. 3. Quod tuberculis in capite caret. 4. Quod maculis miniaceis caret. *Rondeletius* tamen Passeri suo aspero sive squamoso flavas maculas in pinnis quæ corpus ambiunt & in reliquo corpore tribuit. In his fortasse natura ludit; nam & in alia specie, v. g. Passere fluviatili *Bellonii*, vidimus qui maculas flavas in pinnis & reliquo corpore sparsas haberent, quamvis plerique iis careant.

Piscem hunc *Pensantiæ* in Cornubia vidimus & descripsimus: alibi etiam in Mari nostro frequentem esse à fide dignis accepimus.

Carne est firmiore & sapidiore quam Passer.

CAP. VIII.

Passer fluviatilis, *vulgo Flesus* Bellonii; *Passeris tertia species* Rondel. Gesn. *p.* 783. *&* 788. *Anglice* a Flounder *or* Fluke.

Figura. Color. F*igura* corporis cum Platessa convenit, nisi quod paulo longiore sit corpore, & cum adolevit crassiore. *Color* olivaceus sordidior, interdum fuscus seu marmoreus cum lituris obscurioribus. Vidimus etiam qui maculas flavicantes tum in corpore tum in pinnis ambientibus habebant. *Squamæ.* *Squamæ* perexiguæ sunt, cuti adeo tenaciter adhærentes, ut quamcunque in partem manum ducas, asperitates nullas sentias. *Lineæ laterales.* *Linea* punctata ab ipso oculorum interstitio incipit & supra squamas capitis osseas in eminentiam quandam denticulatam assurgit: deinde paulo infra angulum aperturæ branchiarum nonnihil incurvatur deorsum, & tandem recta ad caudam tendit. Est autem aliquousque ad finem nempe curvaturæ aspera, & velut ex ordine spinularum composita: quin & squamæ ad angulum prædictum asperiusculæ sunt. *Oculi.* *Oculi* in dextro latere sive ad sinistram oris siti [in alio quodam hujus generis pisce oculos in sinistro latere observavimus, qui tamen non alia in re quam colore paulo magis cinereo à descripto differre visus est.] Ad *Spinulæ.* radices pinnarum ambientium in supina parte ordo *spinularum* retrorsum spectantium, quas si digitos sursum ducas facile percipies, quin & *Pinnæ.* ad oculum manifestæ sunt. Prona facie nullas senties. *Pinnarum* numero & situ, radiorum quoque positione cum Platessa convenit. Numerus radiorum in dorsi pinna 60, in ea quæ ab ano incipit 43. Naribus, Dentibus, spina ad anum, figura caudæ cum illo pariter convenit. *Os. Lingua.* *Os* parvum: *Lingua* angusta, reducta. Pinna dorsi paulo supra medium orbitæ oculi ad narium foramen incipit.

Viscera omnia & intestina eodem plane modo se habent quo in Platessa.

In fluminibus capiuntur. Passeres in fluminibus nostris sæpe capiuntur, minus nigri, mollioresque marinis: qui proculdubio non genere sed alimenti varietate solum à marinis differunt, ut *Rondeletius* recte.

Hujus species duas facit *Bellonius*, alteram minorem, quæ *Flez* dicitur, alteram majorem quæ *Fletelet*, (etiamsi diminutivum nomen id esse videatur) ab Anglico tractu, inquit, ad nos circa Quadragesimam ac paulo post deferri solitam. Huic pisci vulgus Britannicum, inquit, *Helbut* nomen indidit. *Ego sane me nescire fateor quem piscem intelligat, proinde an a superiore specie distincta sit necne me latet. Helbut* seu *Holibut nomen pisci hujus generis omnium maximo i. e. Hippoglosso* Rondeletii, *a nostratibus inditum est.*

Carne-

Carne est candida, molli, valde humida & fluxa, quæque nostro palato non admodum sapit; Sapore aliisque qualitatibus, non minus quam figura corporis & colore cum Platessa convenit. Quo major est eo firmiore & sapidiore est carne. *Caro.*

Fluvios, ut diximus, subit, inque iis procul à mari frequens capitur; locis profundioribus & quietioribus, fundo arenoso præcipue aut glareoso.

CAP. IX.

Hippoglossus (i. e. Buglossus maximus in Oceano) Rondel. Gesn. 787. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 43. *Anglis Meridionalibus* Holibut, *Septentrionalibus* Turbot.

PLanorum quos novimus omnium maximus est, Rhombum nobis Turbotum dictum superans: corpore quam ille productiore minusque quadrato. Quem descripsimus è maximis non erat, duos tamen pedes & dodrantem longus, vix pedem & dimidium latus. *Color* in supina parte sordide & obscure viridis aut nigricans. Squamæ ei exiguæ. Nullæ in supina parte asperitates. Nullæ ad pinnarum ambientium radices spinulæ. *Oculi* in dextro latere seu ad sinistram oris. *Pinna* in longum secundum dorsum excurrens supra medium orbitæ oculorum incipit, & duobus circiter digitis à basi caudæ desinit, radiis 105. donata, 24^to^. altissimo. Imi ventris pinna sex aut octo digitis à summo rostro distat; radios autem complectitur 79. è quibus 19^us^. altissimus. Pinnæ ad branchias 15. singulæ radios obtinent. Pinnæ in ventre exiguæ sex. In Oceano Germanico & Britannico, inque mari Hibernico reperitur. *Magnitudo.* *Color.* *Oculi.* *Pinna.* *Locus.*

Dissection. Amstelod. de Hippoglosso Rondeletii *hæc habent: ventriculus limpidissimum continebat liquorem, eumque subsalsum; pancreas hic insigne, 4. appendicibus glandulosis longissimis & amplissimis constans, succum levi manuum tractu ad aliquot drachmas promentibus, eumque amaricantem paris coloris & consistentiæ, interior canalium constitutio aspera infinitis ductibus lateralibus prædita, quæ instar vesicularum pulmorum ranarnm, seu cellularum apum se habebant, nisi quod obliquo admodum & irregulari situ gaudebant; amplitudo ductus maj. erat unius pollicis transversi, longitudo septem pollicum transversorum. Notandum intestinorum structuram præcipue circa ductuum exitum plane convenire cum interiori structura canalium; a quibus non male quis colligat, hunc succum salivalium ductuum succo analogum esse, atque intestinorum fistulam illinire, ejusque contenta ad fermentationem disponere, nunquam vero cum bile vel minimum effervescere. Exitus bilarii ductus constrictus plane & angustus observabatur, circa insertionem ampliabatur, atque mox denuo constringebatur. Amstelod. Dissect.*

CAP. X.

Aramaca *Brasiliensibus*, *Linguado*, *Lusitanis*, Marggrav.

SOleæ est species, compresso corpore, & figuram habens Soleæ quam Belgæ vocant *Tonge*. Os denticulis acutis præditum: caret lingua.

 Oculos

Oculos habet duos in uno latere (ubi lapidei est coloris) in altero nullum; pisi magnitudine, unum prope latus posterius oris, alterum superius & magis versus posteriora vergentem; pupilla lunata cryftallina, hyalino colore transplendente. Branchiæ satis amplæ. In quolibet autem latere post branchias est pinna una, 2. dig. longa, angusta, superius in pilum tenuem desinens; ad branchiarum finem in infimo corpore sunt duæ parvæ pinnæ junctæ. Per totum autem corpus tam superius quam inferius secundum longitudinem pinnam habet usque ad caudam extensam, tenuem, vix semidigitum latam: cauda fere quadrata constat pinna tenui. Vestitur squamulis parvis, & in toto sinistro latere, ubi oculos habet, lapidei est coloris, in latere dextro albi. Vivit in mari inter arenas. Edulis est ac boni saporis *Piscis hic Lingulacæ seu Soleæ vulgari simillimus est, si non idem: differre videtur pinnis branchialibus in pilum desinentibus.*

CAP. XI.

Buglossus seu Solea Rondeletii, Gesn. *p.* 785. *Solea* Bellonii, Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 43. *Lingulaca* Varroni *&* Plauto. *Gallis & Anglis* a Sole.

Figura. *Magnitudo.* SOlea piscis est planus, tenuis, longiore contractioreque corpore quam passer; pedali *magnitudine*, vel majore (ut recte *Rondeletius*)
Color. supina parte ex cinereo nigricante, prona alba. *Squamis* tegitur parvis,
Squama. per margines spinulis velut fimbriatis. *Linea* recta à capite ad caudam
Linea laterales. per medium utriusque lateris ducta est. Sub capite circa oris aperturam cirris seu pilis asper est.
Pinnæ. Corpus ambiunt *pinnæ* breves. Quæ in superiore margine est, ultra oculos incipit, & ad caudam continuatur: quæ in inferiore, ab ano ad caudam extenditur. Anus autem capiti proximus est. Utriusque radii lati, & squamulis etiam hirtis donati; omnes à capite caudam versus inclinati, contra quam in Passere & Rhombo. Ad radiorum radices tubercula nulla. Utriusque pinnæ membrana in radiorum interstitiis maculis infecta. Cauda rotunda.
Oculi. *Oculi* à sinistra capitis parte, parvi, rotundi, cute laxa tecti. Pupillæ exi-
Branchiæ. guæ, pulchro virore splendentes. *Branchiæ* duplices, quatuor utrinque.
Pinnarum radii quot. Pinnæ ad branchias singulæ radios obtinent novem, quæ in latere oculato est dimidia sui parte nigricat. Ventrales pinnæ 5. duntaxat radiis donantur. Has podex interjacet. Intestina bis terve reflexa.

Caro. *Carne* est firmiore solidioreque quam Passer: Saporis etiam suavitate, alimenti copia, succi bonitate præstantior. Vulgus nostrum à carnis delicata (solida tamen & candida) jucunditate Perdicem marinam cognominavit, inquit *Bellonius*.

Locus. Tam in Oceano quam in Mari Mediterraneo frequens est. Solea & Lingulaca à similitudine soleæ & linguæ dicta est.

CAP. XII.

Solea oculata Rondeletii.

M*Assiliæ* & apud nos (inquit) ubi satis frequens est, *Pegouse* dicitur, à squamarum, ut arbitror, tenacitate: ita enim tenaciter hærent, ut nisi diu in aqua calida maduerint, desquamari non possit.

Est aliis soleis corporis habitu & partibus internis omnino similis, sed in prona parte maculas habet magnas, oculorum effigiem cum iride & pupilla referentes; unde *Soleam oculatam* appellandam esse censeo.

Veteribus nullam hujus mentionem factam comperio.

CAP. XIII.

Linguatula Romæ, *Pola* Bellonio, *an Cynoglossus* Rondeletii, Gesn. *p.* 785? *An Citharus flavus seu asper* Rondeletii, Gesn. *p.* 269?

F*igura* Soleam refert, à qua tamen pluribus accidentibus differt. Nam 1. Semper etiam adulta Soleis majoribus ferè dimidio minor est: 2. pro magnitudine brevior: 3. Colore dilutiore & albidiore: 4. Squamæ longe majores sunt: 5. Anus in prona superficie est, non in margine corporis. 6. Oculi in latere dextro, seu ad sinistram oris. Nam si piscis erigatur in ventrem, latus pronum seu album sinistrum erit, supinum in quo oculi dextrum. *A Solea quid differat.*

Os huic ipsi peramplum: *Lingua* rotunda, longa: *Dentes* in maxillis acuti. *Oculi* sibi mutuo proximi, mediocres. Pupillam aureus circellus ambit. Ad magines piscis hic pertenuis est. In margine superiori seu acumine dorsi pinna ab ipso prope rostro extremo inchoata ad caudam ferè porrigitur, nervis Cartilagineis 67. firmata. Pinnæ ad branchias & in ventre eodem situ ac radiorum numero quo in Solea vulgari. Pinna ab ano in imo corporis margine ad caudam proxime extensa radiis circiter 45. roboratur. *Cauda* cum expanditur in circumferentiam subrotundam terminatur; medii quippe radii longiores sunt, laterales breviores. *Os, Lingua, Dentes, Oculi.* *Pinnæ.* *Cauda.*

Hepar pallide rubet, habetque cystin felleam adnexam. *Ventriculus* amplus, in quo Tæniam piscem recens deglutitum invenimus. Appendices nullæ, quin & intestina quam Soleæ breviora. *Hepar.* *Ventriculus.* *Intestina.*

Saporis gratia Soleæ longissime cedit. *Sapor.*

Venetiis, *Romæ* & alibi in Italia vidimus. *Locus.*

CAP. XIV.

Citharus Rondeletii, Gesner. *p.* 269.

U*Nicus* est ex planis cui lingua soluta, contra aliorum piscium naturam, teste *Aristotele*: quæ nota huic pisci convenit; ut & reliquæ, viz. quod serratos habeat dentes, quod solus capiatur, quod alga vescatur, quemadmodum Salpa, quo fit, ut insuaviore sit carne quam Buglossum.

Est igitur Citharus piscis planus, Rhombo quodammodo similis, si squamas excipias quæ in Citharo sunt magnæ, Rhombi figura. A capite ad caudam linea tenuis ducta est. Partibus internis reliquis planis similis.

Romæ satis frequens est, inquit, & *Folio* nominatur.

CAP. XV.

Citharus flavus sive asper Rondeletii, Gesner. 269.

SUperiori figura similis est, lingua magis soluta, oris scissura magna, dentibus serratis, squamis intectus rotundis asperis. Virgam habet à capite ad caudam protensam, latiusculam, majoribus squamis constantem. Partibus internis superioribus similis est. Is Venetiis reperitur optimus.

Sunt qui verum Buglossum esse credant, nec sine ratione, non ob figuram solum, sed etiam ob asperittem. Cætera vide sis apud Autorem.

Tot Solearum species Rondeletio *observatas fuisse non possumus non mirari, cum nobis quanta potuimus diligentia per totam Italiam pisces conquirentibus duæ tantum innotuere, nec Bellonio plures.*

CAP. XVI.

Arnoglossus vel Solea lævis Rondeletii, Gesn. *p.* 786.

ARnoglossus, inquit, ea Buglossi species à nobis vocatur quæ squamis carere videtur, prorsusque lævis esse. Nam ut Plantagini herbæ à figura vel foliorum lævitate, Arnoglossi, id est agninæ linguæ nomen positum est; ita species hæc Arnoglossus à lævitate vel figura recte nominabitur, quæ à nostris *Perpeir* vocatur. Est revera ex Buglossorum genere, quod corporis habitus figuraque indicat. A cæteris differt quod multis squamis tenuissimis & statim deciduis integatur, ut merito lævis dici possit, tenuique tantum cute opertus esse videatur.

Corpore est valde gracili, pellucido, candido. Carne est tenera delicata: palmi magnitudinem nunquam attingit. Statim atque ignem videt coctus est, quemadmodum Aphya.

Hæc forte species illa est quam piscatores nostri Cornubienses à pelluciditate sua *a Lantern*, id est Laternam vocant, quam quidem nobis nondum videre contigit.

CAP. XVII.

Solea parva seu Lingula Rondeletii, Gesner. *ibid.*

HAnc Buglossi parvi speciem diminutivo nomine Lingulam appellamus, quod sit Buglossorum omnium, quæ à linguæ figura nomen traxerunt minima. Neque debet existimare aliquis majorum fæturam esse; certa enim nota à Buglossis omnibus discernitur. Est enim piscis planus Buglossis reliquis specie quidem similis, sed semper parvus, dodrantalem magnitudinem nunquam excedens. Linea quæ corpus dirimit spinamque firmat vel tuetur, ex squamis contexta est longe eminentioribus quam in toto corpore, dempta ea parte quæ circa maxillam interiorem est. Duriore est carne quam Buglossus lævis, glutinosique nonnihil habet. Satis rarus est piscis, & ob corporis tenuitatem vilis.

LIB.

LIB. IV.

SECTIO II.

De Piſcibus anguilliformibus, ſeu Lævibus, lubricis & plerunque oblongis.

Piſces anguilliformes vocamus qui corpore ſunt lubrico & ſquamis carente. Horum plerique prælongi etiam ſunt Anguillarum inſtar: nonnulli pinnis tam branchialibus quam ventralibus carent, ut Muræna *&* Lampetra; *alii pinnas ad branchias obtinent, ventralibus deſtituuntur, ut* Serpens marinus, Anguilla, Conger, Ophidion, Ammodytes: *reliqui utroque pari donantur, poſt-branchiali intelligo & ventrali,* Tæniæ *ſcilicet,* Muſtelæ, Alaudæ, *aliique de quibus ultimo loco agemus.*

Ultimi hujus generis piſces, ad eos quibus vel ſingulæ, vel binæ in dorſo pinnæ molles non incommode poßent referri, verum in in hoc loco eis aßignando D. Willoughby *ſecuti ſumus. Huc etiam ob ſimilitudinem ultimo in loco duos treſve aculeatos retulimus.*

CAP. I.

Muræna, omnium Autorum, Italis Mourene.

GRæcis Μύραινα & Σμύραινα dicitur, παρὰ τὸ μύρειν vel μύρεσθαι i. e. fluere, quod (ut Macrobius ſcribit) præ pinguedine in ſumma aqua fluitet, nec ſe mergere poſſit, cute nimirum ſole torrefacta. Piſcis eſt *anguilliformis*, verum corpore latiore, roſtro magis porrecto, acuto & compreſſo. *Color* ei varius ex obſcure ſpadiceo ſeu fulvo nigricante & flavo ſeu aureo. *Caput* mediocre: rictus *oris* ampliſſimus: in marginibus utriuſque maxillæ *dentium* valde exilium ordo unicus; in medio palato duos *dentes* reliquis majores longioreſque, introrſum mobiles, in nonnullis unicus tantum. Inferius in *palato* linea denticulorum deorſum tendens: in fundo quoque oris quatuor longa officula dentata. In extremo roſtro *apophyſes* duæ breves, fiſtuloſæ; ſupra oculos aliæ duæ, majores ſed breviores: Hæ fortaſſe auditui, illæ olfactui inſerviunt: nam *murænam* auditu pollere * Veteres tradiderunt. *Oculi* in ſuperiore maxilla ſiti, ſpatio inter extremum roſtrum & angulos oris medio, parvi, cute contecti, quæ quamvis hic pellucida ſit, cæruleo tamen colore diluitur: *pupillam* aureus circellus ambit. Ad *branchias* duo habet foramina rotunda aquæ emittendæ; *branchias* autem quatuor: *Pinnas* neque in ventre, neque ad branchias ullas; quod huic peculiare eſt, neque ulli alii præter Lampetram quod ſciam, piſci convenit.

Etymon. Figura. Color. Dentes. Apophyſes.

Non procul à capite in medio dorſo incipit *pinna*, quæ ad caudam *Pinnæ.*

* Porphyrius *lib.* 3. *de abſtinentia*, Craſſi, *inquit*, *Romani Muræna nominatim vocata ad ipſum adventabat. Sibilo a piſcatoribus evocari & capi* Licinius Macer *tradit.* Plinius.

uſque

usque extenditur, eamque cingens ad anum continuatur, ut in Anguilla & Congro. Pinna hæc communi cute contegitur, quæ ab ea facile avelli seu detrahi potest.

Viscera & internæ partes. *Ventriculus* magnus, prælongus, ad anum usque pertingens. *Hepar* longum, rubrum tantillo crocei admixto. *Cystis fellea* ovalis, poro bilario appensa, ut in Serpente marino; felle nunc dilute cæruleo, nunc inter cæruleum & viridem medio. *Vesica natatoria* parva, alba, crassa, non dissepta, in medio grandis, versus utrumque extremum sensim angustior, supra vesiculam felleam sita. Cæterum in pisce 28. digitos longo Dorsi pinna digit. $2\frac{3}{4}$ à summo rostro distabat; oculi $\frac{3}{4}$; anguli rictus $1\frac{1}{2}$; orificium excrementorum 13. *Dimensio.*

Locus. Nihil est (inquit *Bellonius*) muræna in oceano rarius, cum tamen aliis litoribus plane sit vulgaris. *Romæ* & *Livorni* frequentissima est.

Carnis qualitas. *Caro* Veteribus Romanis in pretio fuit, cum *Murænas* tantis impensis in Vivariis alebant, estque revera alba, tenera & sapore grato; verum ob venenosam qualitatem non immerito suspecta, quin & mandentibus (ut recte Aldrovandus) suis aristis plurimum parit fastidii. Ego carnem earum præcipue, quæ versantur in ostiis fluminum quæ culinas, balineas aut latrinas expurgant piscatorum, noxiam esse, *Galeno* facile assentior.

Mirum autem *Murænam* piscem marinum, quique flumina non subit, dulcibus aquis non solum vivere sed & pinguescere.

Morsus venenatus. Morsus *murænæ* admodum piscatoribus perniciosus esse solet. Quamobrem, ubi hanc ceperunt, & ex nassis intra lintres immiserunt, forcipibus apprehensum ejus rostrum baculo atterunt; spinamque frequentibus ictibus diverberant, ne postea dissiliat. *Bellonius.* Dentibus maleficam non modo legi sed etiam expertus sum, cum Massiliæ illius naturam perscrutans, temere lubricum rostrum cepissem, non sine magno dolore vulnus accepi. *Gillius.* Animam in cauda habere certum est, eaque icta celerrime exanimari: at capitis ictu difficulter. *Plinius*, l. 32. c. 2.

Murænam a Lampetra diversam esse. Murænam Lexicographi plerique Anglici interpretantur à *Lamprey*, ac si eadem esset cum *Lampetra*, à qua certe specie differt. *Rondeletius* tamen Lampetram minorem seu fluviatilem *Dorionis* Murænam fluviatilem esse contendit: utcunque *Muræna* simpliciter & sine adjectione per *Lamprey* non est reddenda.

CAP. II.

De Lampetris.

L*Ampetra*, figura oris rotunda seu ovali, foramine in summo rostro, pinnarumque tum ventralium tum Branchialium carentia ab aliis omnibus sui generis, hoc est longis & lubricis piscibus facile distinguitur.

§. I. *Lampetra, parva & fluviatilis. De Aquatilibus p.* 706. Gesneri *&* Rondeletii. *Mustela fluviatilis minor* Bellonii *Angl.* A Lampern *and Pride of the Isis* D. Plott. *Galli* Lampreyon *&* Lamprillon *appellant.*

Ratio nominis. L*Ampetram* Docti non pauci velut Latinum à lambendis petris derivant. Verum *Lampetræ* nomen apud nullum Veterum reperitur: Lampreda antem nomen plerisque Europæ linguis usitatum, (sic enim plerisque omnibus scribitur, r. statim post p. sequente) ad quam pro-

prie

prie pertineat *Gesnerus* dubium sibi esse ait. Cæterum Lampetram *Ausonii* Pliniique mustelam esse inter Doctos plerosque convenit, ut *Rondeletius* ostendit; qui & *Dorionis* Murænam fluviatilem esse demonstrat.

Piscis quem descripsimus quinque duntaxat uncias *longus* erat. Dorsum ei ex fusco seu livido nigricat, venter argenteus *colore* magis vivido & splendente quam in Lampetra cæca. *Os* rotundum seu ellipticum, interius dentes sex septemve, & supra dentes officulum semicirculare. In medio capite *foramen* seu tubulus brevis eminet, ut in cetaceis. Quia enim os dum petris adhæret exacte clauditur, necessarium ei fuit foramen ad aquam excipiendam, quam per branchias iterum emittat. *Branchiarum foramina* septem utrinque. *Oculi* cuticula tecti, irides pallide flavent. Ventrem velut palpitando inflat seu extendit & contrahit, quemadmodum animalia quæ respirant. *Pinnæ* in dorso duæ; anterior circa medium longitudinis incipit, nervis, quibus fulcitur vix conspicuis: posterior huic contigua ad caudam procurrit, eamque circuit, & spatio inter anum & caudam extremam medio desinit. *Magnitudo. Color. Os. Foramen capite. Branchiarum foramina. Oculi. Pinnæ.*

Hepar pallidum, non divisum. Cordis capsula fere ossea. Mas lacte, fœminæ ovis turgidæ, quæ ventrem à branchiis ad anum usque implebant. *Hepar. Pericardium Ova.*

E minoribus (ut puto) seu minimis erant quas vidimus in *Germania* & *Italia*. Pinnis ad branchias & in ventre carebant. Quocirca Lampetræ minoris descriptionem è *Gesnero*, *Rondeletio* & *Bellonio* dabimus. *Caret pinnis ad branchias & in ventre.*

Minor Lampetra (inquit *Bellonius*) fuscum habet tergus, ventrem candicantem, quod cum nostra descriptione convenit; unde piscem *D. Willughby* hic descriptum minorem lampetram esse minime dubitamus, majorem quippe dorso maculoso esse Autores qui de ea scripserunt omnes consentiunt. Nequis autem id mustelæ genus in majorem degenerare credat, unicum hoc nobis argumentum esse potest (inquit idem) quod ea quanquam pusilla ova tamen ac fœtus edat.

Carne sunt molli, glutinosa, excrementitia; frixæ & elixæ eduntur, suavioribus aromatis, additis oleo & omphacio, conditæ. Sic apparatæ ab iis qui gulæ delicias sectantur magis commendantur quam à medicis.

Hujus piscitii genus alterum quoque inveniri audio à nostris piscatoribus, cui à cœno nomen imponunt [*Murneuneugen*] in quo degunt nigriores esse aiunt, nec admitti mensis, sed infigi hamis ad pisces capiendos, præsertim Anguillas Thymallos &c. *Gesner.*

Lampetræ fluviatiles minores præter morem aliorum piscium ventribus commissis coeunt; cum enim hoc tempore locis vadosis versentur, earum actiones facile possunt observari. Partus loco & tempore cum marinis conveniunt. è manus. L. *Baltneri.*

§. II. *Lampetra* Rondeletii: *Lampetra major* Aldrov. *lib.* 4. *cap.* 13. *Mustela sive Lampetra* Bellonii Gesner. *p.* 696. a Lamprey *or* Lamprey-Eel.

Lampetra *Gesnero* descripta longa fuit dodrantes quatuor, corpore mox à branchiis ea crassitie, ut circuli diameter ad 5 digitos accedat. Cutis nigricans pallidis quibusdam angulosis maculis distinguitur, ut in mustelis illis fere quas *Lotas* Galli vocant. Tenax ea quidem, non æque tamen crassa est ut Anguillis, nec detrahi solet ad cibum præparandis. Ore loculorum instar (qui ad servandos nummos loco contracti clauduntur) constricto lignum aut lapidem ita apprehendit, ut sugere videatur, idque tanta vi ut ægre avellatur, cucurbitularum medicinalium quadam similitudine. Quanquam autem os rotundum est, in longitudinem tamen id contrahere & claudere potest. Macula al-

bicans in vertice in medio oculorum interſtitio apparet, & contiguum ei anterius foramen parvum membrana parum prominente circundatum, in os pervium, *cujus uſum in præcedente deſcriptione oſtendimus*. Branchiæ intra foramina ſeptena utrinque latent, undique affixæ, non abſolutæ. Margo oris rotundus, fibris quibuſdam laciniofus eſt; quæ nimirum ut firmius hæreat ſugatque efficiunt. Hos aliqui dentes forte putarunt, qui Lampredam dentes picatos habere putant, quod tanquam pice oblitis tenaciter iis adhæreſcat. Sed dentes proprie dictos interius habet, ex quibus interiores quique majores ſunt. Dentium ordines circiter viginti, tanquam à centro ad circumferentiam digeruntur: ordinibus ſingulis quaterni, quini, ſenive dentes inſunt. Eſt & in ipſo oris receſſu duplex dentium minorum ordo: major omnino ſerram denticulis utrinque denis refert: ii denticuli continui ſunt & ab uno initio: cæteri cutem habent interjectam. Carnes & pulpæ (ſeu muſculi,) in corpore contorquentur. Jecur viride. Hactenus *Geſnerus*. *Rondeletius* corpore rotundiore eſſe ſcribit quam Murænam: unicum habere ductum longum ab ore ad anum minime complicatum, initio ſtrictiorem, in medio latiorem, rurſus ad anum anguſtatum. Oſſa nulla habere, ſed pro vertebris & ſpinis cartilaginem, cui medulla ineſt. Numero & ſitu pinnarum, figura oris, aliiſque accidentibus cum ſuperius deſcripta convenit.

Spumarum indiciis comperiri ſolent (inquit *Bellonius*) captæque aqua perpetua immergi. Felle carent Lampredarum genera omnia.

Lampetræ (majores ſcilicet) in dulcibus aquis non generantur, ſed è mari flumina ſubeunt.

Locus. Lampetra utraque tum fluviatilis tum etiam marina in fluminibus majoribus, quæ è mari ſubeunt, frequens invenitur.

Anatomia Lampetræ exhibetur in *Blaſii* Anatom. Animal a. D *Bruntero*. & ab *Oligero Jacobæo* in *T. Bartholini* Act. Med. vol. v. Obſ. 98.

Martio fluvium ſubeunt, quo tempore præcipue laudantur in cibis cum ovis plenæ ſint. Aprili pariunt loco glareoſo in quo ſcrobiculos ſibi excavant, & lapidem etiam bilibrem obvium ejiciunt. è Manuſ. L. *Baltneri*.

§. III. *Lampetræ medium genus* Germanis *&* Belgis Prick *ſeu* Brick *dictum*.

HOc genus, inquiunt, cubitalem magnitudinem haud ſuperat, tranſverſalibuſque & nigricantibus lineis ſolum inſignitur.

§. IV. Mucu *Braſilienſibus*, *Lampetræ affinis* Marggr.

TEreti eſt corpore ut Enneophthalmus vulgo Lampreda, nec craſſiori, duos plus minus pedes longo. *Capitulum* habet acuminatum, conicum: *ocellos* parvos, nigros: *os* item parvulum: Guttur inflare aliquo modo poteſt. Caret pinnis. Totus fuſcus, obſcurius tamen in dorſo: *venter* epatici eſt coloris: per latera lineas obliquas nigras habet, angulos obliquos per medium laterum invicem facientes. Edulis eſt, & capitur in lacubus & paludibus.

§. V. *Lampetra cæca seu oculis carens,* Argentinæ Einblinder Neunogen: *i. e. Enneophthalmos cæcus.*

EXilis est & rotunda, lumbricis terrestribus maximis quos *Dew worms* & *May-worms* id est vermes Maiales nostrates vocant vix major. *Squamis* caret, verum lineis transversis totum corpus in annulos circiter 84. lumbricorum fere in modum dividitur. Os sub capite rotundum, semper apertum. *Dentes* nulli ut neque lingua. In medio capite foramen ut in reliquis speciebus. Vice Branchiarum utrinque foramina septem in recta linea sita. In oris margine inferius appendices seu tubercula utrinque duo. Pisciculus quem descripsimus sex digitos longus erat. Ad digitos à summo rosttro $4\frac{1}{4}$; in dorso incipit pinna seu cuticula, quæ caudam cingit, verum inferius versus anum vix ad semidigitum reflectitur. Podex eadem à rostro distantia qua initium pinnæ dorsalis. Præter hanc pinnam nullas omnino habet, ut neque reliquæ superius descriptæ species.

Piscis hic nondum quod scimus descriptus est à quoquam Latino autore. Verum *Leonardus Balter* auceps & piscator Argentinensis eum descripsit & depingi fecit in libro quem composuit de piscibus omnibus qui vel in Rheno, vel aliis circa *Argentinam* rivulis aut stagnis inveniuntur: deque avibus quæ aquas prædictas frequentant.

Baltnerus Lampetram flavam pingit, quam ego colore tantum variare existimo: item aliam bicaudam, quam ego non pro certa Lampetræ specie, sed pro monstro habeo.

CAP. III.

De Serpente marino.

§. I. *Serpens marinus* Rondel. Bellon. Salvian. *de Aquatil. p.* 1037. Gesn. Aldrov. A Sea Serpent.

L*Ongitudo* ei quem Romæ vidi & descripsi quinque circiter pedum erat: corpore exacte tereti, gracili, æqualis fere ubique crassitiei, nisi quod prope caudam sensim gracilesceret. *Color* in dorso seu medietate superiore sordide flavicans, qualis in aversa parte membranarum vetustiorum cernitur: in ventre seu medietate inferiore cæruleus lucidior. *Rostrum* ei longum, tenue, acutum: rictus immanis. In maxilla inferiore prope ejus angulum seu apicem *dentes* 4 aut 5 majores, acuti, introrsum recurvi, ordine positi; reliqui qui in ea sunt minimi & vix conspicui, sibi mutuo vicini. Superior maxilla in ipso apice dentes habet majores quatuor: reliqui, qui hinc inde sunt minimi, iisque qui in maxilla inferiore similes. Amplissimi omnium sunt qui in medio palato constituti rectam lineam efficiunt. *Oculi* in superiore maxilla siti, parvi, iridibus aureis, punctulis fuscis crebris respersi. Pupillæ exiguæ sunt & oblongæ, quarum longiores diametri situm habent ad longitudinem piscis obliquum. Oculi autem toti cute densiore, diaphana tamen conteguntur. *Pinnarum* unum duntaxat habet par, nimirum ad branchias. Sunt autem pinnæ exiguæ, superius sitæ ejusdem cum dorso coloris, radiis cartilagineis circiter 16. instructæ, quorum medii longissimi, reliqui hinc inde sensim breviores. *Foramina branchiarum* ut in Anguillis

Longitudo. Figura. Color. Rostrum. Dentes. Oculi. Pinnæ. Branchiarum foramina.

Anguillis à capite sunt remotiora. Puncta quædam cernuntur tum in marginibus tum in medio maxillarum; tria vero hinc inde præcipue conspicua paulo infra angulos oris. *Lineæ in lateribus* punctatæ ab occipitio initium sumunt, ubi ambæ communi puncto velut nodo connectuntur, inde legentes oras operculorum branchiarum (quæ sub cute apparent) primo ad se invicem accedunt, deinde statim in diversum abeunt, decurruntque tum sibi mutuo, tum pinnæ dorsi parallelos ad foramen ani fere, medio dorso quam imo ventri propiores. Ad distantiam unius palmi cis podicem medium laterum exacte occupant, & ad extremam caudam duobus minus digitis recta decurrunt. Punctula quæ has lineas componunt situ sunt à se invicem remotiori, nimirum tertia circiter digiti parte. *Pinna dorsi* paulo infra branchiarum pinnas inchoata, ad extremam caudam uno minus digito extenditur, estque ima sui parte dorso concolor, summa nigra; initio & fine humilior, in medio altior. Cauda non plana ut in Anguilla, sed teres, paulatim tenuior donec in acutum apicem desinat; nullis pinnis fimbriata, secus quam in Congro & Anguilla. Nam neque *pinna ea quæ in prona parte* ab uno incipit ad extremam caudam excurrit. Est autem hæc in imo ventri concolor, in summo nigra, initio altior, versus finem humilior. Orificium excrementorum una plus tertia longitudinis parte à summo rostro distat.

Lineæ laterales. *Pinna dorsi.* *Pronæ partis pinna.* *Anus.*

Hepar. *Fel.*

Hepar non grande, nec divisum in lobos, longum tamen in imo acutum, in summo in duo brevia cornua divisum, coloris rubicundi cum aliqua crocei mixtura. Cystis fellea grandis, *felle* cæruleo, intestino ubi ei ventriculus committitur incumbens. Pori bilarii truncus secundum hepatis longitudinem procurrens comite vena portæ ramos obiter spargit, ubi ab Hepate abscedit recta quidem ad intestinum tendit, verum in transitu ramum emittit, qui nihil aliud est quam collum cystis felleæ, adeo ut *cystis* poro appendatur, nec *hepati omnino adhæreat*, nec ullum præterea cum eo commercium habeat: quod & in vipera observavi. Duos habuit longissimos *uteros* ab hepate ad podicem usque extensos: *splenem* pariter prælongum secundum ventriculum: *Vesicam* aeream geminam, priorem teretem, exiguam, à summa parte ventriculi infra ipsius fundum secundum spinam dorsi procurrentem, quæ nihil aliud esse videtur quam ductus seu canalis quidem ad vesicam secundam, quæ grandior est multo rotunda, in medio ampla, versus utramque extremitatem metæ aut coni in modum fastigiata. Hanc prior illa circa medium oblique scandit & duobus foraminibus ingreditur, per quæ à minore in majorem vesicam liber est transitus, sed non retro. *Ventriculus* longus acuminatus, intus rugosus, versus fundum aliqua sui parte crassior & carnosior, vacuus, à parte superiore manifeste diversus. Caro ejus perquam sapida & delicata, officulis creberrimis velut fibris intertexta non sine molestia manditur.

Cystis fellea hepati non adhæret. *Uterus.* *Lien.* *Vesica.* *Ventriculus.*

In mari infero non infrequentem esse puto. Capite Congro persimilis est, ut recte *Rondeletius*.

§. II. *Serpens marinus alter cauda compressa.*

HIc à superius descripto in multis differt. 1 Quod pro magnitudine plus tertia parte brevior sit. 2. quod nec rostrum adeo longum nec rictus adeo vastus sit in hoc quam in illo. 3. Quod nec in extremitatibus maxillarum, nec in medio palati dentes aliquos insigniores habeat, verum tum in marginibus utriusque, tum in medio palato duos vel tres ordines dentium minutorum. 4. Quod prope extremum maxillæ superioris juxta nares duas habeat seu barbulas seu antennas, seu tubulos perbreves, quales in Congro observantur, cujusmodi in illo altero non observavimus, nec tamen defuisse etiam illi fidenter asserere ausim. 5. Quod rostrum extremum

tremum variis lituris albidis pingatur, præcipue vero spectabiles sunt virgulæ seu lineæ duæ rectæ secundum piscis longitudinem ductæ, & duæ transversales, figura & situ in margine expresso. Ultra has in medio dorso circiter decem puncta cinericea in eadem recta à transversalibus lituris ad pinnam dorsi ducta. 6. Quod cauda non adeo teres sit, sed compressa ut in Anguilla, eodemque modo pinnis cincta; sintque pinnæ ambientes prope extremitatem caudæ utrinque altiores quam superius. 7. Quod pinna quidem Dorsi ima sui parte dorso concolor sit, summa nigricet: pinna autem ventris nisi prope apicem penitus alba. In reliquis cum serpente proxime descripto convenit, nisi quod colores minus intensi seu saturi sint, tum fulvus in dorso, tum argenteus in ventre. Quod ad viscera & intestina attinet, *Hepar* huic exiguum, hilare rubens, non longum & simplex ut in illo altero, sed in lobos divisum. Cystis fellea rotunda, hepati vicina & Pyloro. Intestinum simplex absque ullo gyro aut reflexione. Geminum quoque uterum longum invenimus. Folliculus natatorius qualis in priore. Cava pars hepatis ceu pileus ventriculo incumbit. Lien exiguus. Ventriculus qualis in illo. Appendices nullæ, neque in hoc, neque (ut diximus) in illo.

Et hunc *Romæ* nacti sumus, cum in ea urbe Anno 1664. commoraremur; unde in Mari infero eum inveniri constat.

§. III. *Myrus* Rondeletii Gesn. *p.* 681. *Aldrov. lib.* 3. *cap.* 28.

PRæcedenti similis est si non idem, quem *Rondeletius* Myrum vocat. Hunc, nonnulli Murænam marem esse volunt, alii speciem à Muræna distinctam. Myrus (inquit *Rondeletius*) Serpenti magis similis est quam Murænæ, rostro acuto, longo; corpore nigricante, tenui, rotundo, sine maculis, sine squamis. Unicum utrinque branchiarum imperfectarum foramen habet: Pinnulas duas valde exiguas, cutis substantia; unam à cervicis loco caudam usque, & alteram ab ano ad eandem; quarum ora nigra est, ut in Congro. In utroque latere à cervice punctis aliquot aureis notatur, quæ magis in viventibus apparent quam in mortuis. Gulam ventriculo præpositam habet: intestina longa, recta ad podicem porrecta. Jecur longum, rubescens sine felle: Splenem longum, tenuem.

Carne est tenera, sine ullis spinis, aut certe paucissimas habet. Capitis cinis ejusdem morsum curat.

C A P. IV.

Anguilla omnium autorum. An Eel.

ANguilla ab anguis similitudine dicta est; Græce Ἔγχελυς, διὰ τὸ ἔχεσθαι ἐν ἰλύϊ, quod in limo habeatur seu capiatur. Anguillarum duo *genera* sunt (inquit Aldrovandus) *majus* nimirum & minus; illud nobilius præstantiusque habetur, ideoque nostratium paludum incolis *Meglioramento* appellatur. Caput huic brevius, crassius & latius, color fuscus: in profundo degit & aqua deficiente se occultat in limo, ita ut inde effodiatur sæpe. *Minus*, simpliciter nobis *Anguilla*, & cum nondum adoleverit *Boratello* nominatur. Huic caput longius est & acutius. *Harum descriptiones ex Rondeletio & Gesnero transcripsit Aldrovandus, ut pleraque omnia.* *Gesnerus* de minore genere insuper addit, quod cadaveribus in aquam injectis delectetur, quodque sub pectore color ei sit di-

Etymon. *Genera.* *Majus.* *Minus.*

 versus,

verſus, qui paululum vergat ad flavum. Verum *Geſnerus* audire tantum ſe ſcribit apud Flandros duo eſſe Anguillarum genera, non ſe id compertum habere: *Rondeletius* genera modo dicta ſexu diverſa à ſuis putari ſcribit. Nos pro diverſitate loci, victus aliorumque accidentium Anguillas magnitudine, colore & figura externa nonnihil differre poſſe nec dubitamus, nec miramur; verum ſpecie diverſas eſſe haud facile conceſſerimus.

Deſcriptio. Anguilla corpore eſt oblongo, tereti fere, caudam tamen verſus ad latera compreſſo & tenui, lubrico, viſcoſo humore undique obducto. Squamis caret, cute quæ tota facile detrahatur, tecta. Per medium utriuſque lateris linea ut in aliis decurrit. Dorſum ei fuſcum eſt, latera albo-cærulea: venter plus albi habet. Quæ puram & defluentem aquam incolunt (ut recte Salvianus) ventre ſunt candidiore & ſplendente. Has noſtrates *Silver-Eels*, i. e. Anguillas argenteas vocant, & in cibo ſalubriores exiſtimant. Pinna membranacea ab ano incipit, quæ caudam ambit, & ultra medium dorſum continuatur. Os illi ſatis eſt apertum, denticulis intus aſperum, palato tria inſunt oſſa denticellis pariter aſpera. Lingua molli cute tegitur, intus dura & oſſea eſt. Superius globuli ſeu glandulæ duæ habentur parvæ, rubræ, renibus ſimiles. Mandibula ſuperior inferiore nonnihil productior, in extremo barbulas ſeu cirros duos breves obtinet, à nemine ante nos (quod ſcimus) obſervatos. Oculorum irides albent. Nares juxta oculos rotundæ. Branchiæ quatuor, parvæ, cute tectæ, rima ad pinnas exigua aquam excipiunt: quam ob cauſam (inquit Rondeletius) Anguillæ in turbidis aquis facile ſtrangulantur & in aere diutius vivunt. Ad branchias pinnulæ ſunt duæ, reliqui corporis flexuoſus impulſus pinnarum vices gerit. Exitus excrementorum capiti aliquanto propior quam caudæ.

Viſcera & Inteſtina. *Hepar* ei magnum, rubrum, in duos lobos diviſum. *Fel* flaveſcens in veſicula ampla. Lien oblongus. *Inteſtinum* abſque ullis gyris aut reflexionibus à ventriculo ad anum recta tendit. Ventriculus longus ad anum fere extenſus.

Sinuoſis corporis & caudæ flexibus Serpentis inſtar ſe promovet ſeu incedit: lumbricos, piſciculos, limaces vorat.

Locus. *Anguilla omnis* (inquit Rondeletius *naſcitur in aqua dulci, ſolaque ex ſimili piſcium genere, mare vel marina ſtagna ingreditur, alioqui vivit in lacubus, fluviis & ſtagnis.*

Magnitudo. In ſtagno noſtro, quod *Latera* dicitur, trium vel quatuor cubitorum longitudinem æquant. *Rondel.* In Italia ad 20. libras aliquando accreſcunt, ſed quæ ſuperant nunquam inventæ ſunt. *Aldrov.*

Locus. Quamvis cœno generentur & gaudeant, aqua tamen turbida abhorrent & ſuffocantur, ut in pauca etiam aqua, quare per tempeſtates quoque, cum ventis aqua turbatur, ſuffocari ſolent. Apud nos hyberno *Capiendi modus.* tempore cum inundationibus & alluvionibus fluminum aquæ turbantur in naſſis & excipulis ad molendina conſtitutis plurimæ capi ſolent. Fuſcinis & hamis quoque ineſcatis capiuntur.

In Danubio non ſunt. In *Danubio* anguilla non eſt, neque in aliis hoc flumen influentibus aquis: impoſitam emori aiunt. *Albert.* Undique in Germania (inquit *Nauclerus*) amnes procurrunt, qui ſe univerſi in Rhenum Danubiumve exonerant; idque experimento compertum eſt, mirabile dictu, quod amnes quique, licet ex uno aliquando fonte ſcaturiunt, ſi Danubio influunt, anguillis carent: ſi vero Rheno illabuntur anguillas nutriunt.

Generatio. Anguillam neque marem eſſe neque fœminam, neque prolem ex ſe generare tradit Ariſtoteles; & alibi nec per coitum procreari, nec parere ova, nec ullam captam unquam eſſe, quæ aut ſemen genitale, aut ova haberet: meatus quoque vel ſemini vel vulvæ accommodatos nullam diſciſſam oſtendere. Sed hoc unum inter ſanguinea genus, totum

tum ſine coitu, ſine ovo procreari: idque argumento conſtare, quod in nonnullis feculentis ſtagnis, aqua omni exhauſtis & limo detracto, Anguillæ denuo generentur; ſi aqua pluvia affluxerit &c. *Rondeletius* vidiſſe ſe Anguillas mutuo corporum complexu coeuntes affirmat, neque putare ſe partibus ad gignendum neceſſariis prorſus deſtitutas eſſe; inferiore enim ventris parte, & vulva in fæminis, & ſemen in maribus reperitur: ſed pinguedine multa circumfuſa hæ partes non apparent, quemadmodum neque ova pinguedini permixta, &c. Verum cum Ariſtotele plerique omnes rei naturalis ſcriptores conſentiunt, quod ad generationem ex ovis attinet. Et revera ſi Anguillæ per coitum procreantur aut ova pariunt, mirum hactenus non obſervatum in illis fuiſſe neque ſexuum diſcrimen, neque partes genitales, nec ova in uteris prægnantium.

De generatione Anguillarum mira refert Schonfeldius, cujus hæc ſunt, *Ex noſtratibus piſcibus Muſtelas, Aſellos majores, Spirinchos, Thriſſas & Percas minores, veris anguillis obnoxios eſſe, eaſque ſub cute in partibus carnoſis alere æſtivis diebus, quo tempore contemptiores ſunt, vulgaris eſt opinio, vera tamen.* Nos (ut verum fateamur) de generatione Anguillarum nihil certi & explorati habemus quod afferamus.

Anguillæ quanquam in fluminibus generantur, nec earum præter dulces aquas ulla ſunt principia, amaros tamen lacus paludeſque ſulphureas & alumen redolentes ingrediuntur, ibique relicto natali ſolo eoque dulciſſimo vivunt, in fontes, puteos ciſternaſque illabuntur, ſtagna etiam marina frequentant, in quibus (mirum dictu) libenter agunt, humorem ſalſum diu ſuſtinent, atque eodem non modo augeſcunt ſed etiam ſaginantur. Contra in mare, à quo ſtagna illa profluxerunt rariſſime irrepunt, in quod ſemel ingreſſæ macie conficiuntur, piſcatorumque teſtimonio brevi intereunt. *Rondel.* de Piſcibus *lib.* 1. *cap.* 9.

Meatus, quem in Anguillæ cute, præſente *Fran. Redi*, obſervavit *Stenonius*, deſcribitur in tractatu de canis Carchariæ diſſecto capite; cui uſui foraminibus pertuſus meatus inſervire poſſit, necdum determinare auſim quandoquidem vacuum illud invenerim nullo pituitoſi humoris ne veſtigio quidem præſente; *Steno.*

Adipoſas ſtrias in anguillis & ſimilibus utrinque à lateribus inteſtinorum per longum Abdominis propogari *Malpighius* affirmat *lib.* de Omento &c. quæ inteſtino, medio omentali reti, & ſtriis nectuntur ac in centro ramos venæ portæ exiguos habent, & in inſignem quandoque protuberant molem.

Anatomiam hujus piſcis exhibuit *Muraltus* in Anatom. Figur. impreſſa.

CAP. V.

Conger. Rondeletii, Bellonii, Geſneri *& omnium fere Autorum*: *Anglice* a Conger or Conger-Eel.

Conger Græcis Γόγγρος a veracitate dictus eſt: nam γρῶ Græcis eſt voro, unde nomen γρὸς & per reduplicationem Γόγγρος. Piſcis eſt longiſſimus, quatuor vel quinque cubitorum longitudinem non raro attingens, & femoris humani craſſitiem æquans. *Anguillæ* corporis figura ſimillimus eſt, verum in nonnullis *ab ea differt.* 1. Quod magnitudine excellat. 2. Quod colore ſit in dorſo dilutiore & ad cinereum magis accedente, in ventre candidiore. 3. Quod oculos habeat grandiores, iridibus argenteis. 4. Quod in utroque latere rectam lineam albidam, latiuſculam, velut ex duplici punctorum ordine compoſitam, à capite ad caudam

Etymon. *Magnitudo.* *Ab Anguilla quid differat.*

caudam delatam obtineat. 5. Quod pinna membranacea, quæ per totam dorsi longitudinem ad caudam decurrit, eamque cingens ad anum usque extenditur, suprema ora seu margine summo secundum totam longitudinem nigricet. 6. Quod in extremo fere rostro seu maxilla superiore duo brevia cornicula seu tubuli extent, è quibus humor quidam mucosus facile exprimitur, quod & ante nos *Bellonius* observavit. [Hæc in Anguilla quoque observavimus sed minora.]

In pisce quem descripsimus digitos $14\frac{1}{2}$ longo initium pinnæ dorsi non plus tribus digitis à summo rostro aberat, unde hoc quoque respectu ab Anguilla differt, cui pinna dorsalis inferius incipit. Branchiæ non osseo tegmine, sed cute fere clauduntur; foraminibus parvis sub pinnis aquæ transmittendæ relictis. Nares parvæ, rotundæ, juxta oculos. Sub inferiore mandibula puncta quædam cernuntur, quorum meminit etiam *Rondeletius*. Lingua acuta: Os parvis dentibus dense stipatis munitum.

Caro Veteribus in cibis laudatur; nec nostrates eam improbant, præsertim frixam. Albissima est & dulcis, sed concoctu difficilis, ut recte *Albertus*.

Congri duo esse genera aiunt; unum album & pelagium, alterum nigricans & litorale: quæ accidentibus quibusdam potius quam specie differre existimamus.

Græcum, Latinumque nomen apud plerasque gentes retinet, sed interpolatum nonnullis. *Gillius* apud *Gesnerum*.

Rondeletius cum Aristotele Congros ova inter se pinguedine obducta longa serie continere asserit. Penes autorem fides esto.

Congri pusilli, *Elvers* dicti, capiuntur noctibus obscuris in fluvio Sabrina prope *Glocestriam* & *Teuxburium* in magna copia: ita enim sunt aggregati, ut reticuli quodam genere ex aqua veluti hauriantur. Captos & elixos convolvunt ac vendunt. Habentur autem in deliciis, & cum aceto fere aut sinapio eduntur. Ascendunt autem è mari in fluvium pusilli tantum. Nomen eis ab Anguillarum similitudine factum videtur. *Gesnerus* ex relatione *Joannis Parkhursti*.

CAP. VI.

Ophidion Plinii Rondeletio, *Gryllus vulgaris*, *Aselli species* Bellon. Gesn. 104. *Aldrov. lib. 3. cap. 26.*

Figura. F*igura* corporis Anguillam vel Congrum proxime refert, nisi quod pro magnitudine brevior sit, ad latera magis compressus, & colore dilutiore. *Rondeletius* Congro tam similem esse scribit quam sit ovum ovo: *Bellonius* pro Congro à vulgo accipi & pro eodem ab ichthyopolis Romanis interdum supponi refert. Verum quos nos vidimus omnes Congris multis numeris minores erant, nec octo uncias *longitudine* superabant. *Bellonius* palmum in Mediterraneo non excedere scribit, & *Rondeletius* eos pisciculos vocat. Dorsum cinereum est: Latera media argenteo colore splendent. *Squamæ*, quas parvas habere videtur, insolitæ sunt figuræ, nimirum oblongæ, angustæ, non ut in aliis piscibus imbricatim sibi invicem incumbentes, sed raræ & nullo ordine positæ. Os amplum est; maxillæ *denticulis* admodum exiguis asperæ: tres insuper in ore velut pulvillos denticellis creberrimis consitos, unum in summo palato, duos infra palatum obtinet. *Lingua* acuta. *Oculi* grandes, iridibus argenteis, membrana communi pellucida tecti, quod plurimis piscibus convenit. *Pinnarum* unicum duntaxat habet par juxta branchias,

Longitudo. *Color.* *Squamæ.* *Dentes.* *Lingua.* *Oculi.* *Pinnæ.*

as, velut anguilla. Non procul à capite, nimirum $2\frac{1}{2}$ digitorum distantia, in summo dorso pinna initium sumit, quæ caudæ continua est, & mediante cauda cum pinna quæ in ima corporis carina ab ano incipit. Pinnæ hujus supremus margo nigricat, ut in Congro, unde apparet velut linea nigra à capite non longe inchoata, caudam ambiens & ad anum definens. Barbulas habet sub mento quatuor, ab eadem origine binas, digitum unum longas. Abdomen interius membrana albuginea, tenera, opaca velut peritonæo quodam obvestitur. *Vesica aerea* figuræ est singularis, nimirum doliolo aut ampullæ vitreæ quam *Vesica aerea.* Urinalem vocant non multum dissimilis hac figura.  Ad fundum foramen habet rotundum cui inseritur tubulus (*b*) tenui tantum & laxa membrana opertus; in quem, si vesica comprimatur, aer ingreditur eumque distendit. *Tubulus* hic lento quodam glutine pellucido refertus est. Habet præterea vesica in summo corpus (*a*) durum, glandulosum velut operculum. Fundus ventriculi non longe distat ab ani *Viscera & intestina.* foramine, unde intestinum reflectitur ad septum usque transversum. *Hepar* album; Cystim felleam invenire non potui.

Rondeletius binas lineas tenues [in singulis intelligo lateribus] à capite ad caudam productas observavit.

Venetiis plurimos hujus generis pisces vidimus & descripsimus. *Locus.*

Carne est candida & dura, velut Draco *Rondel.* admodum delicata. *Caro.* *Bellon.*

Circa Lerinum insulam (inquit *Rondeletius*) sæpe capitur piscis, superiori omnino similis corporis specie & carnis substantia: eo differt, quod cirri carnosi barbæ instar è maxilla inferiore non propendent. Colore etiam à superiore diffidet; est enim flavus. Quam ob causam Ophidion flavum, vel Ophidion imberbe, ut à superiore discernatur, appellabimus. Ophidion *alterum flavum vel imberbe* Rondel.

Gesnerus quia icon *Rondeletii* innumeris fere maculis rotundis pingitur, quas in sua *Bellonius* omittit, tria Ophidii genera statuit, Barbatum primum, idque vel maculosum vel sine maculis: deinde imberbe & flavum. Nos tria hæc genera accidentibus duntaxat quibusdam, non specie differre putamus.

Ophidion flavum & imberbe Schonfeldius his verbis describit. Pisciculus longus & lævis est, Congro similis; pinnam unam longam, & in caudam usque porrectam, asperam & velut serrato mucrone scindentem; alteram à podice leniorem habet, unde vivus ægre tractatur nudis manibus: à Laris & Corvis vix expetitur. Duæ præterea pinnæ ad branchias exiguæ sunt. Cauda in mucronem definit, paulo quam in mustela vivipara longiorem. Dorsi pinna in principio ubi à capite incipit, extrema ora nigricat, cæterum flavet. Dorsum per intervalla nigris lituris, quæ in pinnam terminantur, pictum, Mustelarum vivipararum more, quibus maxime familiare est Ophidion. Caput item exiguum habet, oris incisuram parvam, quæ sursum spectat. Ophidion flavum *Schoneveldii.*

CAP. VII.

Ammodytes Gesneri, Sandilz *Anglorum Salviani.* Sand-Eels or Launces. *Acus Ammodytes.* An Cicirellus Messanensis P. Boccone.

Piscis est anguilliformis, quod & nomen Anglicum ostendit, longus nimirum & subrotundus. [D. *Willoughby* figuram ei fere, quadratam attribuit, ut Acui *Oppiani.*]] Pedem unum longitudine raro excedit. *Figura.*

Color. Lineæ variæ. Squamis caret. Rostrum. Rictus. Os. Oculi. Lingua. Branchiæ.

Acus fere figura & *colore* eſt, in dorſo nempe cæruleus, in lateribus & ventre argenteus. *Linea* à capite ad caudam ducta utrumque latus medium diuidit. Dorſum utrinque *linea* alia terminatur: perque medium ventris ad anum tres foſſulæ ſeu *lineæ* ducuntur. *Squamis caret*, verum latera lineis ſeu crenis parallelis & oblique deſcendentibus variantur. *Roſtrum* acutum: maxilla inferior ultra ſuperiorem procurrit, ut in Sphyræna. *Rictus* ingens, ſuperius autem labium cum hiat antrorſum procurrit, ut in Fabro & Sacheto. *Os* ipſum edentulum. *Oculi* parvi, iridibus argenteis, cute communi minime tecti. *Lingua* longa, acuta: narium utrinque foramina duo. *Branchiæ* ut in aliis piſcibus quatuor, ſingulæ uno tantum ordine ariſtularum donatæ; primæ branchiæ ariſtulis cæteris multo longioribus: [in branchia tertia & quarta videtur alius eſſe ordo ariſtularum valde exiguarum.]

Pinnæ.

Unicam in dorſo habet *pinnam* à capite non longe inchoatam, & ad caudam proxime protenſam, in qua nervos numeravimus 54. Pone exitum excrementorum (qui una fere longitudinis tertia parte ab extrema cauda diſtat) *pinna* longa nervis cartilagineis 28. inſtructa. Pinnarum unum duntaxat habet par, ad branchias nimirum: ſecundo pari, pinnarum ſcilicet ventralium, caret. Cauda ei forcipata ſed non multum.

Viſcera & inteſtina.

Quod ad *viſcera & inteſtina* attinet. Hepar pallidum, ventriculum amplectitur, in lobos vix diviſum, ſumma tamen parte bifidum. Ab hepate longo collo digiti fere diſtantia dependet cyſtis fellea; infra quam ad latus inteſtini lien rubicundus, longus. Veſica natatoria in multis quas diſſecuimus nulla comparuit. Ventriculus longus, conicus. Ad pylorum unum duntaxat inteſtinum cæcum, qui eodem modo ab inteſtino ſurſum aſcendit quo cæcum in Quadrupedibus à colo, ita ut pylorus ei ad latus quaſi inſeri videatur. Inteſtinum in medio circiter abdominis reflectitur aliquouſque, deinde rurſus recta ad anum deſcendit. Coſtas cutis nigra tegit.

Caro. Sexus ut differant. Locus.

Caro optimi ſaporis eſt, & gratiſſima aliis piſcibus eſca.

Mares breviores ſunt & craſſiores, fæminæ tenuiores longioreſque: mares lacte multo turgidiores quam fœminæ ovis.

Sub arena ad dimidii circiter pedis altitudinem demerſi latitant. Cum receſſu maris arenæ nudantur, piſcatores uncis hujus figuræ ——⌝ ad id factis eos eruunt.

Quærendum annon duæ ſint hujus piſcis ſpecies: nam qui à Salviano deſcribitur, duas in dorſo pinnas habere traditur, cum hic noſter unicam habeat. Præterea ille duo pinnarum paria obtinet; cum hic ſecundo pari hoc eſt pinnis ventralibus careat.

Ammodytes Americana Marggravii, Taiaſica *Braſilienſibus*. Octo aut novem digitos longus eſt corpore obterete & pyramidali, extenuatur enim verſus caudam. Caput eſt illi groſſiuſculum & compreſſum: oculi eminentes & nigri, circello aureo. Os edentulum. Sex habet pinnas, nimirum ſub qualibet branchia unam oblongam, ſub his in medio inferius unam breviorem: unam in medio dorſo, aliam longiorem verſus poſtremam dorſi partem, & è regione hujus unam in infimo corpore: ſeptima eſt cauda, oblonga & in exitu rotundata. Tegitur ſquamulis parvis, coloris hyalini pallidi, maculis variis fuſcis, vermiculatis variegatus per totum, exceptis pinnis poſtbranchialibus & infimo ventre, quæ ex pallido ſubflaveſcunt. Cauda eſt undata fuſco. Latet in arena abſconditus, ideoque capitur pedibus, eos ponendo ſuper arenam ubi latet. Coctus atque aſſus bene ſapit, & convenit cum Hollandorum *Poſt*, eſt enim carne albiſſima & friabili.

Piſcis hic cum Sandilz Salviani convenit duabus in dorſo pinnis, & ſingulari (an gemina?) in ventre: differt colore variegato & ſquamis. Ad hoc genus proprie non pertinet, cum ſquamoſus ſit, verum cum in arenis pariter latitet Ammodyti ſubjungendum duximus.

CAP.

CAP. VIII.

Carapo *Brasiliensibus* Marggrav.

PRima species corpore est longo, figura cultri, dorsum nimirum crassum & obtusum, venter acutus ut culter: posterius autem corpus definit in acumen: unum pedem circiter longus: duos digitos latus ubi latissimus. Caput acuminatum sed compressum: inferius labium paulo longius superiore: os angustum, inferius ordinem acutissimorum denticulorum minutorum, superius nullos habet. Oculi minimi, nigri, vix grani papaveris magnitudine. Branchiæ angustæ, & post quamlibet parvula pinna oblonga. Unius fere digiti intervallo à capite in infimo corpore incipit pinna tenuis, angusta, quæ per totum ventrem æqualiter porrigitur ad finem corporis: nam caudam nullam habet, nec ullam aliam pinnam in toto corpore. Squamas habet mediocres. Totus piscis est coloris ex fusco & pauco rubro mixti, ac in dorso & capite magis nigrescit. A branchiis in quolibet latere linea tendit ad finem corporis usque, quasi cultri acie tracta, & sub hac linea maculæ nigræ per corpus dispersæ seminis Sinapi magnitudine. Capitur in lacubus & est edulis

In flumine S. *Francisci* capiuntur *Carapo*, huic priori speciei similes, excepto quod longiores sint, & in extremitate acuminatæ instar subulæ, ad 3. digitorum longitudinem squamulas parvas habent.

Carapo secunda species, priori figura, colore & lineis lateribus similis, excepto quod dimidiæ tantum sit latitudinis, nec ullas maculas habeat. Capitur in lacubus. Caro spinosa est, sed boni saporis.

CAP. IX.

Gunnellus Cornubiensium, *nonnullis* Butterfish, *q. d. Liparis.*

PIsciculus isthic ad semipedalem longitudinem nonnunquam accedit, latitudine vix digitali. Est autem corpore compresso & tenui. *Color* ei varius, vel ex ruffo, vel ex olivaceo obscureve viridi & albido. Si attentius intuearis areolas per totam longitudinem transversas utriusque coloris observabis. Ad radicem pinnæ dorsi maculæ utrinque rotundæ, pulcherrimæ, nigræ, limbo albicante cinctæ, 10. aut 12. numero, ad intervalla æqualia per totam dorsi longitudinem à capite ad caudam usque disponuntur: quæ nota huic pisci peculiaris est. *Caput* parvum, compressum; *rostrum* breve; *os* amplum, sursum fere reflexum, unico *denticulorum* ordine: in imo autem palato asperitates sunt. *Oculi* parvi, cuticula tecti; irides aureæ [ex rubro luteæ.] *Branchiæ* utrinque 4, aristis seu pectinibus exilibus. Membranæ branchias operientes connexæ velut amiculo thoracem tegunt. *Squamis* minutissimis tegitur. *Magnitudo. Figura. Color. Caput. Os, Dentes. Oculi. Branchiæ. Squamæ.*

Unicum habet statim à branchiis par *pinnarum*, quæ cum explicantur subrotundæ sunt, colore luteæ, nervis circiter 11. singulæ. His perpendiculariter fere subsunt, in medio thorace vice pinnarum duæ hinc inde spinulæ humiles, membranulis connexæ. Pinna in dorso unica à capite non longe incipiens, & ad caudam usque protensa, 78. radiis, *Pinnæ.*

univerſis ſpinoſis, & inſtar ſerræ denticulorum ſupra membranam extantibus donata, æqualis fere ubique altitudinis. Orificium excrementorum medium longitudinis obtinet: infra quod pinna ad caudam uſque decurrens lutea, fuſco maculata, radiis 40. inſtructa, quorum duo anteriores ſpinoſi ſunt. Cauda ſubrotunda.

Viſcera & inteſtina. *Hepar* magnum, extremo bifidum, rubrum, cyſtin felleam amplam adnexam habet. Lien rubicundus. Veſica aerea nulla. Nec Ventriculus ab inteſtinis exterius ſpectanti diſtinctus videtur, nec inteſtinum ipſum reflexum eſt, ſed ab ore recta ad anum tendit. Veſicam urinariam in hac ſpecie obſervavimus.

Piſciculum hunc in extrema Cornubia ad oppidum *S. Ives* vidimus & deſcripſimus.

Menſuræ. Piſcis quem menſi ſumus tota longitudo ſex erat digitorum. Dorſi pinnæ initium à ſummo roſtro vix digitum integrum aberat: Pinnæ branchiales tantundem; Spinulæ in medio pectore paulo minus; oculi $\frac{1}{8}$; anus; 3; Latitudo maxima $\frac{3}{4}$ erat: altitudo pinnæ dorſalis $\frac{16}{1}$; pinnæ retro anum $\frac{1}{8}$.

C A P. X.

Tænia prima Rondeletii; *ichthyopolis Romanis* Cepole *dicta*.

Longitudo. Color. Piſciculus iſthic in longiſſimam & tenuiſſimam caudam extenditur. Eſt autem *colore* incarnato quem vocant dilutiore, cum tinctura quadam cærulei. Caro per totum pellucida eſt, adeo ut vertebræ tranſpareant, & facile poſſint numerari. Squamarum prorſus expers eſt. Non procul à capite in medio utriuſque lateris maculis argenteis in recta linea poſitis inſignitur. *Os, Dentes, Oculi. Pinnæ.* *Os* huic amplum. *Dentium* acutorum in maxillis ordo unus. *Oculi* mediocres, pupillis parvis, iridibus argenteis. Aperturæ branchiarum ampliſſimæ. *Pinnarum* unum duntaxat habet par ad branchias, quarum radii præ exiguitate ægre numerabiles. In medio dorſo pinnam habet, digiti diſtantia à capite inchoatam, & ad caudam extremam pertinentem, ubi concurrit ſeu continuatur cum pinna quæ in medio ventre ab ano incipit; quemadmodum in Anguilla fit. Eſt autem huic piſci peculiare, quod pinna ventris plus triplo altior ſit quam dorſi, ejuſque initium roſtro proximius; imo adeo prope ad caput accedit, ut vix relinquatur ſpatium pro excrementorum orificio, quod in ipſo fere maxilla interioris angulo ſitum eſt. Inteſtina peritonæo involvuntur argenteo, quod per carnem tranſlucet. Veſicam aeream habet albam & interceptam: Ventriculum longum, Hepar coloris incarnati & pellucidum.

Hanc *Rondeletii* Tæniam primam eſſe minime dubitamus, quamvis deſcriptio ejus minus exacta ſit, & icon peſſima. Piſcis quem vidimus Romæ, *Cepole* piſcatoribus ibi dicebatur: quamvis *Geſnerus* Gryllum marinum Italis hodie *Cepollam* aut *Cepulam* dictum ſcribat. *Rondeletius* Tæniam ſuis. * *Flambo* i.e. Flammam vocari ait, quia colore eſt ruffo ſeu flammeo, vel quia cum natat flammæ modo moveatur & flectatur: à quibuſdam *Spaſe* id eſt enſem nominari à figura. *Rondeletius* hanc ſpeciem carne dura & glutinoſa eſſe ſcribit. De ſapore carnis & quo in pretio ſit nobis non conſtat, verum qualiſcunque ſit ob piſcis parvitatem non magni fieri exiſtimamus. Piſcis quem hujus generis ſolum vidimus, vix digitum tranſverſum latus erat, corpore admodum tenui, quamvis longitudine pedem ſuperaret.

* *Hoc nomen priori ſpeciei potius convenit, quæ flammeo colore eſt.*

C A P.

CAP. XI.

Tænia tertia, Falx Venetorum Bellonio.

MOllis est (in quo & ad Asellorum genera accedit) & glaber, atque oblongus: ita tamen cartilagineus ut perfrixus vel assus in quoddam veluti glutinum resolvatur. Unde ab omnibus fere mensis explosus, nullum præterquam formæ (qua rusticam falcem aliquo pacto imitari videtur) nomen vulgo Italico retinuit. Nostro autem litori plane invisus est: ac quanquam aliis à Veneto litoribus (præsertim Italicis) reperiatur, tamen aut propter ejus vilitatem, aut capitis turpitudinem, (unde Marmotum plerique vocant) certum nomen sibi adipisci nunquam potuit. Quamobrem apud Tenedum audivi vulgum Græce falso anthiam nominare: alios in Italia Colpiscem; alios sicut libuit.

Cæterum in ulnæ longitudine palmi latitudinem non excedit: mollis Polypi modo, coloris argentei. Unicam in tergore pinnam eamque continuam, duas sub branchiis, & totidem sub sterno ostendit. Totus in gyrum quibusdam velut crenis serratus est, atque in lateribus lineam habet asperam. Subrubra est ejus tergoris pinna, grandes oculi, deforme caput, ut Simiam esse dicas [*quod Marmoti vocabulo vulgus indicat*] *Nobis piscem hunc Venetiis dum ibi essemus videre non contigit, nec plura habemus quæ de eo dicamus.*

CAP. XII.

Tænia rubra: Genuæ, ubi frequens est, Cavagiro *&* Freggia *dicta. an Tænia altera* Rondeletii?

COrpore est tenuiore & ad latera magis compresso quam Anguilla, à capite caudam versus continue gracilescens, tandemque in tenuissimam caudam desinens. *Figura.* Imus venter albet: dorsum, latera & cauda tota pallide rubent Gurnardi rubri instar. *Color.* Squamæ ei aut nullæ aut perexiguæ: *Os* amplum sursum spectans: *Os.* *Dentium* longiusculorum, exilium, acutorum valde ordo unicus: lingua acuta. *Dentes.* Juxta oris aperturam officulum utrinque triangulare, hac figura △, & paulo supra rictus angulos, juxta Mandibulam superiorem, macula utrinque nigra. Oculi grandes, ori vicini, laxa membrana tecti; irides argenteæ. *Pinna* in dorso continua ab occipite ad caudam decurrit radiorum 69. *Pinnæ.* cui opponitur alia in ventre, ab ano ad caudam pariter extensa, radiorum 60. *Cauda.* *Cauda* ipsa 12 radiis cartilagineis firmatur. Mediæ pinnarum aristæ reliquis multo sunt longiores. Pinnæ hæ in piscibus majoribus in imo pulchre flavent, summo margine purpureo aut rubello, quinetiam circa radios speciem quandam purpuræ ostendunt. Extimi caudæ radii purpurei, medii lutei; longissimus trium circiter digitorum erat, & in acutum desinebat. Pinnarum duo habet paria, alterum ad branchias, radiorum in singulis 16, alterum in ima corporis carina, eadem fere à summo rostro distantia, aut ei aliquanto proximius quam superius, radiorum 6, quorum extremitates purpureæ.

Peritonæum album: *Intestina* longa: Appendices oblongæ 7 aut 8. *Viscera & intestina.* vesica aerea unica, ultra anum producta, costis adhærescens. *Mensuræ* ita se habebant. *Mensura.* Longitudo totius 10 erat digitorum. Distantia

 summi

summi rostri & initii pinnæ dorsalis $\frac{3}{4}$ unius digiti, ejusdem & primi pinnarum paris, 2 digitorum; secundi paris seu pinnarum ventralium, 1 dig. podicis $1\frac{1}{2}$; initii pinnæ ad anum, $1\frac{3}{4}$; oculorum, $\frac{1}{8}$;

Tænia altera Rondeletii. A *Tænia altera Rondeletii* differt 1, *magnitudine*. Cum enim illa, referente *Rondeletio*, ad duum triumve cubitorum longitudinem accrescat, nostra vix cubitum unum longitudine excedit: certe quas Genuæ vidimus omnes cubito breviores erant: verum forte alibi majores reperiuntur: potuit etiam accidere, minusculas tantum captas fuisse dum nos Genuæ essemus, nec enim diu ibi substitimus. 2. Maculis, quas habet in prona parte, numero quinque, purpureas, rotundas, certo spatio à sese distantes, quales fere in Solea oculata. Verum & hæ forte in majoribus tantum piscibus inveniuntur; siquidem & alii nonnulli pisces juvenes à majoribus maculis differunt ut v. g. clupeæ, Lupi: vel in aliis hujus speciei inveniuntur, in aliis minime; quomodo torpedines alii maculosi sunt, alii maculis carent. 3. Colore argenteo.

Tæniæ ταινίαι fasciæ sunt & cingula quibus mulieres utuntur: aliquando fascias seu vittas significant quibus comam religabant, à quarum similitudine dictus est hic piscis.

CAP. XIII.

Serpens rubescens Rondeletii, *Myrus alter seu Serpens rubescens* Rondeletii Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 28. *Tæniæ potius species censenda.*

CORporis specie Serpentibus terrenis similis est: colore rubro vel phœniceo, lineis obliquis & sinuosis à dorso ad ventrem ductis, eam lineam quæ à capite ad caudam protensa est secantibus. Scissura oris non admodum magna; dentes habet acutos, serratos; branchias osseo operculo intectas squamosorum piscium instar: In dorso à capite ad caudam fere velut capillamenta tenuia à sese disjuncta, in ventre similia. Cauda in pinnam unicam definit.

An piscis hic ullas in ventre vel ad branchias pinnas habet *Rondeletius* non meminit, proinde an idoneum ei locum assignaverim nescio: verum Tæniæ nostræ rubræ ideo subjunxi, quia branchiæ, ut in illo, osseo operculo tectæ sunt, squamosorum piscium instar. Forte non differt specie à Tænia nostra rubra.

CAP. XIV.

Misgurn *seu* Fisgurn, *piscis Lampetriformis*, Norimbergæ *&* Ratisbonæ.

Figura. Color. LAtior est magisque compressus quam Anguilla; ejusdem fere ubique latitudinis à capite ad caudam usque. Lineæ seu areolæ nigræ quinque, una in summo dorso, duæ latiores in lateribus mediis, duæ in imis angustiores, à capite ad caudam ductæ, eum distinguunt. Spatia intermedia & venter imus ex albo obscure cærulescunt, punctis nigris resperſa. Pinnæ quoque omnes, sed præcipue caudæ & dorsi, maculis nigris inficiuntur.

Os, barbulæ. *Os* parvum, rotundum, Lampetræ ori perquam simile; *Barbulis* circumdatum,

cundatum, quarum ſex maxillæ ſuperiori, quatuor inferiori innaſcuntur: illæ autem his longiores ſunt. Juxta nares quoque utrinque barbulæ duæ admodum exiguæ. *Oculi* parvi, cute diaphana tecti. *Branchiæ* utrinque quaternæ. Inter branchias ſub gula parvum videtur eſſe foramen. *Oculi. Branchiæ.*

Pinna in dorſo unica, ſeptinervia; in piſce decem digitos longo, quincunciali à ſummo roſtro diſtantia. Cauda rotunda, nervis cartilagineis ſexdecim donata. Pinnæ ad branchias nervos ſeu radios 11 ſingulæ obtinent; quæ in ventre exiſtunt quinque, quæ ab ano eſt ſex ſeptemve. Veſica natatoria nulla. Inteſtinum grande, non reflexum. *Pinnæ.*

In piſce autem quem deſcripſimus, decem ut diximus, digitos longo, primum pinnarum par, h. e. quæ ad branchias ſunt à ſummo noſtro diſtabant digit. $1\frac{1}{4}$; ſecundum par, ſeu quæ in ventre ſunt, $5\frac{1}{4}$; orificium excrementorum $6\frac{1}{4}$ pinna retro anum $6\frac{1}{2}$; oculi $\frac{1}{8}$; nares $\frac{1}{2}$; latitudo maxima digiti erat $1\frac{1}{8}$. *Menſuræ.*

A Lampetris differt pinnis in ventre & ad branchias, quibus illæ carent; itemque branchiis, pro quibus Lampetris foramina ſunt.

Norimbergæ primo vidimus, poſtea *Ratisbonæ*: in *Germanica Geſneri* editione poſt Pungitium depingitur. *Locus.*

Pariunt menſe Martio, eſui aptiſſimi ſunt Januario & Februario cum ovis prægnantes ſunt, ſicut plerique alii piſces gaudent & plerunque capiuntur in quietis & limoſis aquis. Cum nudi jacent aqua deſtituti ſonum ſibilum edunt. è Manuſ. L. *Baltneri.*

CAP. XV.

Iperuquiba & Piraquiba *Braſilienſibus*, *Luſitanis* Piexe Pogador *&* piexe pioltho, *Belgis* Suyger. *Remora* Imperati *&* Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 22. *Anglis* Sucking-fiſh.

Digitos 18 longus eſt, fere teres, quatuor digitos craſſus ubi craſſiſſimus, in poſtica parte attenuatur. Os habet triangulare, cujus pars ſuperior brevior inferiori, etiam linguam. Caput ſuperius ad dorſum uſque duos digitos longum circiter, planum, & figuratum ut palatum alicujus piſcis ſtriis tranſverſis: hac parte Tiburoni firmiter hæret in ventre, & capto illo ſimul capitur. Oculi parvi, flavi, pupilla nigra, circulo flavo. Dentes nulli, ſed eorum loco multæ minutiſſimæ prominentiæ. Poſt branchias utrobique pinnam obtinet triangulatam, $2\frac{1}{2}$ dig. longam; ſubter in ventre duas junctas: à medietate corporis tam ſuperius quam inferius etiam pinna extenditur anguſta uſque ad caudam, quæ conſtat pinna ſeſquidigitum longa. Cute tegitur per totum corpus cinerei coloris. Deſcriptio eſt *Marggravii.*

Hujus piſcis meminit D. Terrey *Anglus in relatione itineris ſui ad Indiam orientalem, quem Ricini in modum Cani carchariæ adhærere ſcribit.*

CAP.

CAP. XVI.

De Muſtelis piſcibus.

§. I. Lumpen Antverpiæ *dicta, Muſtelæ ſpecies, an altera vulgaris* Rondeletii? Geſn. *p.* 105.

Dimenſio. QUem deſcripſimus 8. digitos longus erat. A ſummo roſtro ad
initium pinnæ dorſalis digitus erat unus cum quadrante; ad ocu-
Figura. los $\frac{3}{8}$; ad branchias extremas $1\frac{1}{4}$; ad ani foramen $3\frac{1}{4}$. *Figura* corporis
teretiuſcula eſt minus tamen quam Anguillæ; verſus caudam graci-
Color. leſcit. *Color* ex viridi flavicans, areolis per dorſum tranſverſis nigris.
Caudæ extremum rubeſcit nonnihil. Maculæ ſeu puncta obſcuriora u-
bique per corpus diſſeminantur. Pro linea ſulcus quidam à capite ad
caudam productus media lat ra dividit, ſub quo maculæ nullæ. Squa-
Os. mæ aut nullæ aut perexiguæ. *Os* magnum, rotundum, unico in utra-
Dentes. vis maxilla *denticulorum* ordine, numero circiter 24. Lingua lata, ro-
tunda, mollis, ſine dentibus. Labium tenue in ſuperiore maxilla ſur-
Oculi. ſum reflectitur. *Oculi* membrana tecti. Pupillas circulus flaveſcens
Branchiæ. cingit. Cirri ſeu barbulæ nullæ. Nares rotundæ, parvæ. *Branchia-*
Pinna. *rum* aperturæ minores quam in pleriſque piſcibus. *Pinna* in dorſo uni-
ca & indiviſa, non procul à capite initio ſumpto, caudam in gyrum
ambiens, ad anum deſinit. Poſt radium octogeſimum ſtatim deprimi-
tur pinna & velut inciſa humilior evadit: hinc ad caudam extremam
20. ſuperſunt ariſtæ; in imo ventre ab ano ad caudam extremam radii
numerantur 80. Pinnæ ad branchias ſingulæ circiter 18. radios obti-
nent: inferiores in media gula ſiti, cirri potius eſſe videntur quam pin-
næ, verum attentius intuenti in duos radios dividi cernuntur. Juxta
anum meatus eſt alius, è quo, ventre compreſſo, humor aqueus effluxit.
Hepar in duos lobos diviſum. Odor gravis & ingratus.
Locus. *Antverpiæ* in foro piſcatorio vidimus.

§. II. Pacamo *Braſilienſibus*, *Luſitanis* Enxaroco Marggrav.

PIſcis eſt marinus, qui inter ſcopulos capitur. Carne eſt boni ſa-poris, cute & colore ut noſtrates *Aalrupe* [Muſtelæ fluviatiles] Longus eſt totus fere 11 digitos. Corpus autem verſus poſteriora paulum gracileſcit. Caput illi eſt magnum, latum ac craſſum, inſtar orbis Ranæ rictu: os lunatum amplum, & in eo in utraque maxilla unus ordo dentium, non acutorum quidem ſed ſolidorum; in inferiori vero maxilla, antica oris parte, ordo eſt duplex. Oculos habet haud magnos, nigros non longe ab invicem diſtantes, prominentes, & ſupra quemlibet oculum eminentiam quandam cutaceam, quemadmodum & in qualibet gena, & circa os inferius quatuor. Poſt branchias (quas carnoſas habet & molles anguſtaſque) pinnam obtinet mollem, cutaceam in quolibet latere, duos digitos longam & plus una latam: in ventre etiam ſubter has duas pinnas cutaceas, anguſtas, ſeſquidigitum fere longas, figura inſtar lumbrici conſpicuas. Pinnæ ab ano & à medietate dorſi ad caudam deſinentes vix prominent, ſuntque cutaceæ ac molles. Cauda pinnam habet plus uno digito longam, cutaceam item & mollem. Cutis eſt glabra, & in utroque latere à branchiis ad caudam quadruplicem habet ordinem punctulorum alborum. Cutis illi facile detrahi poteſt. Aſſatus melior eſt quam coctus.

§. III.

§. III. *Muſtela vulgaris* Rondeletii *de Aquatilibus p.* 103. Geſn. *Galea Venetorum, ſeu Aſellorum altera ſpecies* Bellon. Sorge *marina & Donzellina Venetiis.* A Sea Loche *Ceſtriæ.* Whiſtle-fiſh *in Cornubia.*

Anguillam & *figura* & *colore* & lubricitate ſua refert, pro magni- *Figura & Color.*
tudine tamen plus duplo brevior eſt, paulo magis compreſſa, ven-
tre turgidiore & paulum prominente; atque etiam maculis albicanti-
bus per latera ſparſis varia. Harum unus ordo lineam punctatam no-
bis dictam à capite ad caudam ductam efficit. [Hæc nota non eſt con-
ſtans in omnibus hujus generis piſcibus, nonnulli enim maculis omnino
carent; alii maculis majuſculis ex rubro nigricantibus pinguntur, ut in-
ferius oſtendemus.] Squamas habet ſed minutiſſimas. *Os* ei ſatis *Os.*
amplum: maxillæ *denticulis* aſperæ. Supremum quoque palatum are- *Dentes.*
olam triangulam habet denticillis ejuſmodi ſcabram; ▷. Sub palato
quoque duo ſunt denticulorum pulvilli. Ad angulum maxillæ inferioris
barbulam unicam, in ſuperiore maxilla ſupra nares duas obtinet. [In aliis *Barbula.*
hujus generis piſcibus 4. in ſuperiore maxilla cirros obſervavimus, duos ad
nares, duos intra nares ad ipſum roſtri angulum; in nonnullis cirri omnino
deerant.] *Nares* rotundæ, parvæ, duplices. Iis qui 4 cirros obtinent, ſu- *Nares.*
perius par ſuper naribus inferioribus ſunt. *Oculi* parvi: irides albent, *Oculi.*
interdum dilute purpuraſcunt. Duo *pinnarum* paria, ad branchias alte- *Pinnæ.*
rum, alterum in ventre, ſitu tamen anteriore, (quod paucis contingit.)
Ventrales pinnæ altæ quidem ſeu longæ ſed anguſtæ, ſex ſeptemve ra-
diis firmatæ, quorum anterior reliquos longitudine excedit. Medio
dorſo non procul à capite foſſula quædam ſeu cavitas inſculpta eſt, in
qua latet pinnula, ſeu potius membranula humilis, pilis ſeu filamentis
quibuſdam tenuibus, brevibus, mollibus velut fimbriata, quorum ſecun-
dum reliquis majus eſt & longius. [Membranula niſi in piſcibus ma-
joribus & recentibus ægre cernitur, ſed filamenta è foſſula ſeparatim ex-
ire videntur, cumque ſecundum reliquis longius plerunque & conſpe-
ctius ſit, forte id ſolum animadvertens *Rondeletius* ſcripſit, in cervice
cirrum unicum eſſe, velut parvæ pinnæ initium.] Pone foſſulam in
medio dorſo incipit pinna longiſſima, rad. 56. Infra etiam ab Ano ini-
tium ſumit pinna prælonga, radiorum circiter 47. Utraque hæc pinna
ad caudam proxime protenditur, cum ea tamen minime continua eſt.
Cauda ſubrotunda eſt, radiis cartilagineis circiter 25. corroborata.

Hepar magnum, albicans, in duos longiſſimos lobos diviſum, Ventri- *Viſcera & inteſtina.*
culus amplus, reflexus, cancellis & ſquillis refertus. Appendiculæ ad pylo-
rum octo, unde inteſtinum recta ad anum tendit. Cyſtis fellea modica,
rotunda, felle intus flavo. [Color fellis variat, nam in quodam hujus
generis piſce intenſe cæruleum obſervavi.] Veſica area diaphragma-
te intercepta, foramine pervio: inferior pars pellucida, ſuperior opaca,
craſſa, alba.

In piſce digitos $7\frac{3}{4}$ longo pinna dorſalis anterior à ſummo roſtro di-
ſtabat unc. $1\frac{1}{4}$; poſterior $2\frac{5}{8}$; pinnæ branchiales $1\frac{1}{4}$; ventrales $1\frac{1}{8}$; excre-
mentorum orificium $3\frac{1}{4}$; oculi $\frac{3}{8}$.

Hujus generis piſcem *Ceſtriæ* vidi anno 1671, Ichthyopolæ *a Sea-* *Muſtela*
Loche vocabant, in nonnullis accidentibus à deſcripto diverſum. Lon- *varietas.*
gitudine erat dodrantali, capite depreſſo ſeu plano. In ſuperiore ma-
xilla binas tantum barbulas habebat, ad nares hinc inde unam; in in-
ferioris angulo unam. Oculi ab extremo roſtro non longe remoti, iridi-
bus argenteis. Maculoſus erat maculis majuſculis ex rubro nigrican-
tibus, in capite & medio dorſo crebrioribus, in lateribus & prope caudam

Q rario-

rarioribus, colore alias flavicante. Interiora abdominis concava cuticula nigra obducuntur.

Huic eundem esse quem *Gesnerus* pingit pag. 104 vel nomen *Sorge* arguit, quo *Venetiis* eum vocari scribit. Descriptio quoque quam adhibet p. 112. per omnia pisci nostro convenit. Icon vitiosa est, quod pinnas dorsi & ventris caudæ continuas repræsentet, quodque pinnas ventrales quasi cirros quosdam rotundos faciat: at mustelæ primæ *Lumpen Antverpiæ* dictæ optime respondet. *Bellonius* quoque, si de nostro pisce agit, minus recte pinnas in ventre binos velut cirrulos referre scripsit.

Mustelæ vulgaris differentiæ. Figura *Aldrovandi* lib. 3. cap. 8. ad hunc piscem proxime accedit. Respectu coloris tres sunt hujus piscis differentiæ. 1. non maculatus tincæ colore. 2. maculatus maculis albicantibus. 3. maculatus maculis ex rubro nigricantibus. Respectu barbularum quoque tres sunt differentiæ. 1. imberbis. 2. barbatus duobus cirris: 3. barbatus 4. cirris in superiore maxilla; nam qui barbula sub mento carebat non vidi.

§. IV. *Mustela vivipara* Schonfeldii.

E. Schonfeldio. HÆc species marina proprie dicta est, quod salsis aquis nunquam egrediatur, Balthicis sinubus & litoribus frequentissima, ubi *Aelquappe* & *Aelpute* vocatur. *Hilliglandi* vel terræ sanctæ incolæ, apud quos nonnunquam capitur, à vivo fœtu *Aalmoder* vernaculo idiomate, Alemann. *Aelmutter* appellant.

Piscis hic pedalis est aut paulo major; cutis illi glabra, color capitis & dorsi ex fusco flavescens, nigris lituris sugillatus, qui versus latera dilutior fit, ventre paulatim obscure albescente: podex vel umbilicus albicat. Branchias habet utrinque quaternas, caput quam in aliis speciebus minus, figura ut in Anguillis terete. Pinnas habet ad branchias latiores duas; sub gutture foris croceo totidem, cirrorum instar perexiguas. A cervicis initio dorsi pinna incipit, coloris ex flavo cinerei (dorso similis) nigris lituris per intervalla ex dorso ascendentibus conspicua, continuoque ductu versus caudam excurrit, à qua dimidii digiti spatio finitur. Ab umbilico pinna subflava in caudam brevem mucronatam gracilescentem ac paulatim rubescentem definit.

Dentium loco Mustela hæc maxillas asperas nonnihil habet. Cor inter branchias positum est, diaphragmate membranoso ab inferiore ventre distinctum; Sub hoc epar ex rubro pallidum, in duos lobos (inter quos vesicula fellis instar pisi majoris nigricans) divisum, ventriculo albo incumbens, à quo intestinum jejunum & reliqua una atque altera revolutione in podicem desinentia. Ventriculi fundo lien adhæret saturate rubens.

Hinc uteri positus est, ligamentis suis ventriculo, intestinis & spinæ dorsi adhærentis, in gravidis tenuissimæ membranæ in morem pellucidi, pisciculis minutis & humore aquoso distenti, cujus lateribus nihilominus ova passim minutula, milii granis similia adhærent, quæ pressa cum sono rumpuntur, & humorem album, hinc in maturioribus flavum eructant, ex quibus fœtus originem trahunt. Utriculo ad podicem subjacet vesicula aqua plena, humorem forte & nutrimentum fœtui suppeditans, quæ sub podice alium meatum habet, pro vulva haud dubie factum, atque utero & vesiculæ communem. [*Vesicula hæc proculdubio vesica urinaria est, qua nullum fere genus piscium caret.*) Quod specillum immissum demonstrat.

Mares fundo ventriculi & spinæ dorsi adhærentes habent testiculos duos oblongos (aut analogum quid glandularum albarum instar, quos venula distinguit albicans, intus cava, & in decursu versus umbilicum augescens

augescens, sub quo ultra testiculos excurrens in carnem desinit: huic si deorsum specillum inseras, apicula sub umbilico se exerit cutanea; mentulæ figuram referens, alias præter umbilicum aut podicem foramen nullum habent. Venulæ dictæ ubi ultra testiculos in carnem finitur folliculus subjacet ruber, vacuus, cui usui incertum est.

Ab æquinoctio verno concipere fœmellæ videntur, ut plurimum; eo enim tempore ova in utriculo conglobata, (ut fere in aliis piscibus) admodum tamen exilia instar lendium & subalbida cernuntur, ante id utriculum fœtibus præsertim vacuum & collapsum habent. Post festum Pentecostes ova paulatim ruborem & incrementum sumunt, donec granum sinapis æquantia, mollescere incipiant, recentia enim & minora duriora sunt. Mollita temporis tractu, ideoque sequacia, & ad expansionem aptiora, figuram oblongam sortiuntur, & in summo sui eaque parte qua sursum matris dorsum spectant, puncta duo nigricantia capitis & oculorum rudimenta ostendunt, hinc venter proxime, umbilico conspicuus, quasi lactea & pellucida membrana circundatus, ut intestina transparere videantur; tandem cauda filo tenuissimo non crassior, & in extremitate sinuata sequitur.

Auctis ovis vel fœtibus utriculus & abdomen matris magis magisque non turgescit solum, sed à multo illoque denso & cœnoso humore subalbido, nonnihil etiam sanguinolento, insipido, illius capacitate contento, membranisque infarto distenditur, qui plurimis fibris permixtus, elegantissimo ordine fœtus (ne mutuo attritu lædantur tenella corpora) tuentur, & carminati gossipii instar, substerniculum præbent, in quo delitescentes sine injuria formari ac succrescere possint.

Ne autem huic naturæ studio alimentum desit, filamenta non obscura occurrunt, quæ venularum umbilicalium in morem ex utriculi materni lateribus vel tunicis, quibus adhærent, fœtuum corpora ingrediuntur, per quæ illos nutrimentum haurire verisimile est. Utrum autem fila tenuissima in umbilicos penetrent, an vero in aliam particulam desinant, non facile est ob exilitatem partium asseverare.

Cœnosum humorem quem in utero gravidi animalis contentum immaturis adhuc fœtibus densum & coagulatum esse dixi, iis grandescentibus paulatim imminuitur, donec perfectis & justam magnitudinem adeptis parum omnino, tandem nihil illius reliquum sit, præter humorem purum, sublentum, cœnosa materia proculdubio in nutrimentum numerosæ sobolis absumpta.

Ut autem paulatim adolescunt fœtus, ita cauda sinuata in rectum exporrigitur, qua uti parte acutiore præeunte in utriculo ob distensionem tenuissimo & pellucido, continue de loco in locum libere serpunt non solum, sed foras produturi per peculiarem meatum, cujus memini, quasi prætentata via egressum moliuntur & parant.

Exsecti ex utriculo fœtus vivi vegetique instar anguillarum se contorquent, saliunt & aliquot horas vivunt, os & branchias movent, matrem pro mole quam proxime referentes, duorum transversorum digitorum longitudine.

Numerus illorum certus non est. Ego spectante rem cum voluptate & admiratione Illustrissimo meo principe ac domino *Joanne Adolpho Slesvici*, *Holsatiæ* &c. Duce, à dissectione ad trecentos fœtus & ultra in unica Mustela inventos numeravi, in aliis longe pauciores. Quamobrem coqui, evisceraturi fæmellam gravidam, ne fœtus numerosi cultris ac digitis hæreant, matrem capite prehensam per manum stringunt, fœtusque per vulvam exprimunt, quos in aquam delapsos statim motitare caudam ac natare videas. Alias carnis duræ & insuavis est mustela, pauperiorum ut plurimum obsonium, præsertim uterum ferens; à partu gratior sit.

Parit autem post brumam communiter: hinc utriculus vesicæ in

morem vacuæ dorsum versus deorsumque contrahitur. Cæterum contracto collapsoque abdomine, eadem illis quæ maribus facies fere est, nisi quod hi fœmellis minores, coloratiores & magis flavi sint, illæ obscurioris coloris perpetuo & subcinericei.

Ante solstitium æstivum Mustelæ viviparæ se subducunt, & vel ex sinubus in mare, vel à littoribus in profundum migrant, peculiares recessus & latibula seligentes, ubi communiter & ut plurimum capiuntur, licet nonnunquam ulterius nidis his progrediantur.

An Mustela hæc vivipara specie diversa sit a pisce quem Cestriæ *visum descripsi, quem piscatores ejus loci* The Sea Loche *nominant, nescio*; ei certe persimilis est.

§. V. *Mustela fossilis* Gesneri, *Germanis* Peissker *seu* Beissker *dicta*.

PIsces fossiles (ut *Georgius Fabricius* ad *Gesnerum* scripsit) sunt longitudine palmi, crassitudine digiti: quanquam majores etiam multo reperiantur. Dorsum coloris cinerei cum punctis multis maculisque transversis partim nigris, partim cæruleis. In lateribus linea utrinque nigra & alba. Venter flavus cum maculis albis & punctis rubris ac nigris, ita parvis ac si acu factæ essent. Ab ore carneæ particulæ eminent quas nando extendunt, extra aquam contrahunt. In *Mesena* trans *Albim* duobus locis, quod scio, fodiuntur, Ad *Polnitium* amnem prope *Ortrantum*, & ad *Dobram* rivum prope *Hanam* oppidum. Item in pratis ad *Rederam* fluvium copiose effodiuntur, si flumen inundet. Ex terræ cavernis ingrediuntur etiam lacus & paludes. Cum aquæ extra ripas excrescunt è terra prodeunt: aquis autem residentibus in pratis campisve relinquuntur, & ubi greges sunt, relicti vorantur à suibus. Sordes amant & in cloacas, quæ alia purgari ratione nequeunt injecti omnia consumunt. Cum in rivis paludibusve capiuntur recentes, solent à tenuioribus etiam mensis adhiberi. Serviunt inprimis fraudi Agyrtarum, qui eos ostentant pro serpentibus, quia forma à parvo serpente non multum differunt. Vitro inclusi ore angusto crescunt, & suo quodam succo vivunt usque ad semestre, *(imo aqua sola ut alii pisces.)* Ex fluminibus quæ currunt in locis paludosis egressi (ut recte *Georgius Agricola*) per riparum venas longius penetrant in terram. Forte hic piscis *Misgurn* seu *Fisgurn* superius descripto idem est.

Hi videntur esse quos *Schonfeldius* Pœcilias vocat, qui Mustelis fluviatilibus & marinis viviparis capite & reliqua corporis forma respondent, sed pinnis & colore differunt. Pœciliæ enim duas infra branchias pinnas habent, totidem sub medio ventre, unam in dorso brevem, inferioribus ex adverso respondentem; à podice unam caudam majorem rotundam. Longitudo est duorum plus minus palmorum; crassitudo pollicis, dorsum coloris cinerei cum punctis multis maculisque transversis.

Ex *Billa* vel *Billena*, inquit, & *Albi* prope *Hamburgum* frequenter capiuntur, sed terram illic subire indeque effodi apud nos inauditum. De piscibus fossilibus qui plura velit, *Gesnerum* consulat.

§. VI.

§. VI. *Mustela fluviatilis, nostratibus* Eelpout *nomine à Belgis mutuato, &* Burbot *Gallico vocabulo dicta. Quibusdam locis Germaniæ* Treischen *&* Rutten *audit.*

Quam descripsimus *Roterodami Putael* dicta 14. pollices longa erat. A summo rostro ad anteriorem dorsi pinnam 5. digiti erant; ad posteriorem 6; ad exitum excrementorum pariter 6; ad pinnas branchiales 3; ad pinnas ventrales (quæ in hoc pisce in pectore sitæ sunt) $2\frac{1}{2}$; ad oculos 1; ad nares $\frac{3}{4}$: *Magnitudinis mensuræ.*

Corpus læve, molle, lubricum est, ut in Anguillis, sed ventre magis; squamis aut nullis, aut perexiguis; *colore* nigricante & tincis simili. *Caput* nonnihil compressum; nares parvæ, rotundæ. Utraque maxilla limæ instar denticellis aspera; in palato quoque macula semicircularis asperitatibus scabra: *Oculi* membrana tecti. *Pinnæ* in dorso duæ, anterior 12. nervis seu radiis firmata; posterior ei contigua & ad caudam usque producta, 70. Caudam 38. nervi extendunt; est autem circumscriptione extrema circularis. Pinna in ventre ab ano ad caudam extensa 60. radios obtinet; branchiales pinnæ radios 16; Ventrales 6. quorum secundus in nonnullis, dimidio plus digito contiguis longior. Ab extremo mandibulæ inferioris cirrus seu *barbula*, dimidium fere digitum longa, dependebat: inter nares & rostrum quoque par unum, cirrorum breviorum. *Branchiæ* septem. Membrana operculorum branchialium nervos connectens dimidium fere os pectoris tegit. *Lubricitas. Color. Caput. Dentes. Oculi. Pinnæ. Barbulæ. Branchiæ.*

Color nigricans facile detergitur, tuncque colores albi & lutei cum nigrore varie mixti apparent. *Color.*

Intestina tenuia sunt, semel tantum reflexa: Vesica aerea versus caput bifida. Appendices ad pylorum numeravimus 26. Bottatrissa quam *Mediolani* vidimus pinnarum numero & situ aliisque accidentibus cum descripta convenit; numero radiorum in pinnis dorsi & ani, aliisque minoris momenti rebus differt; adeo ut specie haud differre existimemus. *Intestina.*

Hæc est, ut puto, quæ in Trenta fluvio capitur & *Burbot* nomine cum *Gallis* communi dicitur: alibi Anglice *an Eelpout* nomine *Belgico* vocatur; nam *Flandri* & *Frisii*, teste *Gesnero*, eam *Aelputt*, Hollandi *Puitael* inversa voce appellant. *Puit* autem seu *Pudd* ranam significat, *ael* anguillam. Decembri mense fætificant, quamvis uteri his minores sunt; ex uno tamen pisce exemimus ovorum granula 128000, quorum unumquodque loco commodo exceptum & maris lacte asperso fæcundatum vivum piscem edere aptum est. E Manus. *L. Baltneri.* *Nomina. Locus.*

§. VII. *Lota* Rondeletii.

A Descripta differt, 1. Quod nulli in superiore maxilla pili eminent. *In nostris* (inquit *Gesnerus*) *puto etiam supra duo pili sunt, sed in mortuis fere latent, ut in maxima observavi.*] 2. Quod cauda mucroni gladii figura similis sit; cum nostræ rotunda fuerit. 3. Quod parvulis squamis corpus tegatur quæ vel nostræ defuerunt, vel nonnisi radendo apparebant. An vero notæ hæ ad speciei diversitatem probandam sufficiant Lectores judicent: mihi certe non videntur.

Barbota *Rondeletii* primæ quoque, ut nobis videtur, *Mustelæ* fluviatili specie eadem. Lotam corporis specie refert, nisi quod rostro sit acutiore, item cauda tenuiore & magis in acutum desinente, ventre prominentiore, aliis omnibus similis. Hanc esse speciem quam nostrates *Burbot* vocant nominis convenientia argumento est.

D. Joh. Muraltus exhibuit examen anatomicum *Mustelæ fluviatilis* in Ephem. German. *Decur.* 2. *An.* 1. *Obs.* 46. quod consulat lector.

§. VIII. *De Mustela fluviatili & lacustri* è Gesnero.

Fluviatilis descriptio.

G*Esnerus* hoc genus pisces *Trissias* dictos in fluviatiles & lacustres divisit. *Fluviatiles*, inquit, minores sunt, colore nigricant, carne albiore, solidioreque, in cibis lautiores; duabus per dorsum pinnis. Fæminam aliquando his verbis descripsi. Piscis est forma & flexibus serpentem fere referens: capite lato, caudam versus valde attenuatur. *Branchiæ* ei quaternæ. Pinna ad latera branchiarum utrinque una nigricat, & aliæ duæ paulo inferius in pectore parvæ albicant. A podice exorta una oblonga, paulo citra caudam definit: item in dorso oblongior alia ultra medium dorsum continua tendit [*& alia ante eam minor caput versus est, si bene memini.*] Pinnæ omnes molles sunt spinis. Caruncula sub mente pili instar prominet. Cauda non bifurca sed circularis: nusquam omnino divisa, sed sibi ubique instar membranæ continua: colore vario è fusco & nigro. Dorsum tenerum albicat: latera juxta dorsum minimis punctis nigris in colore subalbido distincta sunt. Os aperitur hiatu rotundo. Totus piscis sine squamis & viscosus est. Maxillæ minimis denticulis serratæ. Color subalbus [*linea subalba nimirum*] à capite incipiens oblique per latera caudam versus procedit: nam cauda in colore nigricante variat. Membranea vero caudæ extremitas partim nigricat, partim subflava est, &c.

Lacustres sunt vel majores, vel minores. *Majorum duas proponit descriptiones, quæ simul junctæ unam plenam efficiunt.* Trissica mas in Gryffio lacu capta hujusmodi erat. Longa dodrantes duos cum palmo: filum ambiens ventrem trium palmorum. Denticuli minimi, frequentes ut serpentium. Superior pars oris duos ordines dentium habet, unum scilicet interius in medio, cui infra nullus respondet. Sunt & in intimo oris recessu duo denticulorum ordines ceu in maculis duabus. *Branchiæ* quaternæ. Squamulæ rotundæ minimæ, quæ dum pellis cultro raditur apparent [in parvis generibus, tum fluviatili, tum lacustri luteo minore nullæ prorsus.] Per cutim passim seu foramina, seu puncta cava rotunda conspiciuntur: quæ si quis caput versus valide radat albissima videntur. sin iterum caudam versus, rursus obscurantur. In ventre meatus duo, unus excrementi, alter genituræ, qui compressus lacteo succo manabat. *Alia* ex eodem lacu, hujusmodi: Subflava, punctis nigris: barbula à mento demissa albicans. Ante initium pinnarum in dorso, carnosa particula mollis, teres, intusque cava prominet. Inde mox sequitur pinna brevis, longitudine pollicis; deinde continua 8. vel 9. digitos longa: Ab ea nudum pinnis dorsum est per 3. fere digitos: tum sequuntur aliæ duæ parvæ, triangulares fere, inter quas digiti propemodum spatium intercedit: ex quibus infima & ultima minor & caudæ conjuncta est. Fel subviride; vesicula ejus tum jecori, tum intestinis affixa. In ventriculo pisces duo integri erant, uterque digitos 7. longus, 3. latus; nec aliud quicquam. Pondus totius unciæ 50. Coctæ pellis subviridi & deformi colore erat. Caro albissima, bona & satis solida. Jecur album, non ut in minoribus subruffum, grande, suavissimum.

In alia, inquit, Trissia parva, fluviatili forte, digitos 10. longa pinnæ dorsi sic sunt. Primum caruncula illa brevis non est, sed pinnula digito brevior: & minimo spatio intercedente alia duos digitos longa; deinde post spatium 2. digitorum alia paulo brevior media; & mox cauda.

Rursus ab hac differt alia, cui minus erat flavi in corpore, plus nigri, & ejus splendidioris. Primum enim pinna illa brevis est, deinde una longa continua usque ad initium caudæ.

Ergo

Ergo magna *Trissa* lacustris, præter carunculam illam pinnas in dorso quaternas habet: ex minoribus nigricans binas: luteola vero major ternas, minor binas: si modo species duæ sunt luteolæ, quod accuratius considerandum est. Hactenus *Gesnerus*.

Ego quidem suspicor tres hasce quas recenset minorum varietates non differre specie. Quamvis si verum sit dari quæ tres pinnas in dorso habeat, & Gesnerus *vel pisce mutilo vel monstroso non fuerit deceptus, (quod tamen vix verisimile est in observatore adeo cauto & curioso,) saltem duas esse omnino specie distinctas fatendum est. Mirum equidem nullum ex iis quas nobis variis in locis videre & describere contigit, plures duabus in dorso pinnas habuisse; & tamen* Mediolani *vidimus lacustres majores, quas Bottatrissas ibi vocant: confidimus autem in numero pinnarum nos non errasse, præsertim cum* Bellonius *in eo nobiscum consentiat.*

Bellonius duas hujus generis species facit, *Primam Strinsiam* seu *Bottatrissam* dictam, i. e. Mustelam lacustrem majorem; quæ nulla in re, nisi forte colore à nobis initio capitis descripta differt: Dulci, inquit, est carne & palato gratissima: *Secundam Lotam* seu *Barbatam* dictam, quam Clariam fluviatilem nominat. [*Rondeletius Lotam & Barbotam duo nomina in species duas diversas refert.*] Hæc superiore minor est, vilis pretii & nominis, nigricans & unicolor; nec alia in re ab ea differt.

Video omnes consentire duas dari hujus piscis species, nimirum lacustrem & fluviatilem; *hunc minorem & nigricantem, illum majorem & varium.* Lacustrem *Gesnerus (ut vidimus) in tres species dividit. Nobis duæ tantum species cognitæ sunt, fluviatilis & lacustris minor, duabus utraque tantum, non pluribus in dorso pinnis.*

Occæcari *Mustelas* referunt nonnulli; cæcitatem autem iis inferri ab Insectis quibusdam singularibus observavi, quæ Hirudinum more per palatum ad oculos penetrant, ac humores oculorum consumunt, Heparque hyatidibus implent. Cum quodam tempore tres *Mustelæ* cæcæ ad me delatæ essent, quarum pupillæ altæ apparebant, in causam cæcitatis hujus inquirebam, & inveni quod eorum quoque Jecora Vermibus tenuibus, longis albisque repleta, ab iisque perforata ac pene consumpta fuerint. *Wagneri* Histor. Natural. *Helvet.* p. 215.

§. IX. *Clarias Nilotica* Bellonii, Mustelæ *fluviatilis species.*

MEmphi pisces quidam edules circumferuntur; quorum nonnulli sunt insipidi, alii ita viles, ut à pauperibus tantum edantur: quorum ex numero quendam observavi, cujus glabra pellis ut Anguillæ erat, Clariam hoc est Lotam Gallicam referentem: unde Clariam Niloticam vocari posse credidi.

Pedalis est longitudinis brachiique crassitiei. Caput Callionymi (i. e. Uranoscopi) Habet grande, carnosum; magnum inter oculos spatium, sesquidigiti mensura. Oculos emittit grandes, eodem fere modo quo in Callionymo sitos: quorum pupilla ex nigro fulva est, iris albet. Merlangum colore quodammodo refert: cirros duos semipedem longos ac molles gerit: unde Barbatulam plerique in Ægypto vocant. Superius labrum parvos admodum dentes duobus ordinibus dispositos habet: interna autem maxilla tantum exasperata est. Linguam vix habet conspicuam: caudam latam & bifurcam: in qua forinsecus duæ sunt appendices corneæ, rotundæ, palmum longæ, quæ in nullo alio pisce cernuntur. *Branchias* ostendit utrinque 4, sub quibus pinnas videas utrinque oblongas, singulari aculeo serrato munitas. Pinnas iterum alias sub ventre duas, ac rursus unicam continuam in tergo carnosam, uno tantum aculeo munitam: podicem longe à cauda: hepar in multos lobos

bos partitum: stomachum oblongum: intestina paucis anfractibus reflexa. Cœno, spurcitiis & pisciculis vescitur. Folliculum, qui piscibus datur ad natandum, favi in modum, crebris foraminibus pertusum habet, ut corpus quoddam spongiosum videatur. Ova edit parva. Memini me unum hujus speciei in litore projectum circa *Busirin* vidisse, qui cubiti longitudinem excessisset.

CAP. XVII.

Silurus Rondeletii, Gesneri *p.* 1047. *Glanis Salviani & lib.* 5. *cap.* 5. Aldrovandi. Shaid & Shaiden *Germanis*, Sum *Polonis*. The Sheat-fish.

Magnitudo. AD ingentem *magnitudinem* excrescit, adeo ut ad libras 80. 16. unciarum interdum accedat. *Joan. Kentmannus* maximas in Albi libras circiter 120. appendere *literis ad Gesnerum* ait. Capitur in *Vistula* fluvio aliquando longitudinis 16. pedum, latitudinis trium dodrantum. *Ant. Schnebergerus in epist. ad Gesnerum.* In lacu *Peiso Hungariæ*, vulgo *Newsilderjee*, captum audivi 8. aut amplius cubitos longum, pondere 156. librarum communium, 16. unciarum. *Gesner.* Nos quoque non multo magnitudine inferiores *Viennæ Austriæ* vidimus.

Color. *Colore* Anguillam refert, ventre tamen & lateribus, nigricantibus areolis seu lituris, & albidioribus variis. Corpus lubricum est & muco obductum. Squamæ nullæ. Caput valde depressum, resimum & latum. Rictus oris amplissimus, & ad capitis fere latitudinem patulus. Corpus ad anum usque crassum & teretiusculum, imo tamen ventre plano. [*Kentmannus* ventrem magnum & deformem, Benedictus *Martinus* laxum ei attribuit.] Inde ad caudam pro magnitudine latius est & compressius. Oculi membranis tecti, [eminentiores reliqua cute, rotundi, parvi, *Ben. Martinus.*] In maxilla superiore ante oculos antennæ seu *Cirri.* *cirri* duo prælongi, [duri, quos ante se extendit ceu ad explorandum, *Idem.*] A labio inferiore dependent barbulæ quaternæ, tenues, breviores, [*Petrus Stuibius* in descriptione ad *Gesnerum* missa cujusdam hujus generis piscis in Rheno capti, & à cive quodam Argentinensi in stagno suo enutriti asserit, Cornua quæ supra & infra os habet quotannis decidere, & rursus nova succrescere sicut cervis.] *Lingua* à fundo *Lingua. Dentes.* oris minime distincta aut separata. *Denticulorum* in maxilla superiore areolæ duæ, in inferiore unica. Prope os ventriculi in imo palato tubercula seu pulvilli duo denticellis consiti, quibus respondent alii duo inferius in fundo oris oppositi, sed minores. [*Kentmannus* & *Gesnerus* asperitates hasce dentium nomine non dignantur: quocirca Silurum dentibus carere aiunt, verum labia ei supra infraque limæ instar aspe- *Branchiæ.* ra esse, quibus prædam retineat.] *Branchiæ* utrinque quatuor, quarum duæ anteriores unicum tantum ordinem dentium seu pectinum radiosorum obtinent ex parte anteriore, reliquæ duæ binos.

Pinnæ. In dorso *pinna* unica est, eaque exigua, nervorum trium, ut recte Benedictus *Martinus*. Cauda non forcipata, nervis cartilagineis 17. instructa: inferiores nervi superioribus nonnihil breviores sunt. Ab ano ad medium caudæ extenditur pinna longissima radiorum 90. Cauda à medio ubi pinna illa ei jungitur crassior est, & ex nigro purpurascit. [Quid velit D. *Willughby* hoc in loco per *medium caudæ*, & per verba illa *caudæ jungi*, me non satis assequi fateor. Pinnam vero hanc caudæ minime continuam esse (quod *Gesnerus* inquirendum proponit) disertis verbis affirmat.] A branchiis statim duæ pinnæ sunt, pari utrinque 16. radio-

16. radiorum numero, quorum primus validus, posterius serratus ut in dorso Cyprinorum. *Kentmannus* utrique inquit ad branchias pinnæ adjunctus est aculeus quidam durus, osseus, quibus infestos sibi pisces arcet. Aliud in imo ventre pinnarum par, quarum utraque nervis undecim fulcitur.

Gutturi contiguus est ventriculus extensus, & satis capax. Is cum inflarem eum calamo (inquit Benedictus *Martinus*) in pisce sesquipedali æquabat renem porci magni, undique discursantibus venis rubris. Hunc tegit hepar, in duos divisum lobos, quorum sinister longior. Inter lobos cystis fellea. A latere ventriculi intestinum longum prominet, prope pylorum crassius, inferius tenuius, intortum nonnihil, minime tamen reflexum. Substantia ventriculi & intestinorum solidior est, qualis in Quadrupedibus. *Vesica* aerea figuræ est insolitæ, duplici scilicet membrana constat, aliaque insuper costis affixa involvitur; [Est autem ea candidissima, nigra superinducta membrana, quæ commode potest detrahi, ut vesicula tanquam ex culeo nigro candicans ipsa educatur. Cohæret hæc spinæ dorsi inter branchias. *Benedict. Martinus.*] Non transversim ut in aliis piscibus, sed secundum longitudinem crassa intus membrana in duos torulos dividitur, crena exterius tum supra tum subtus impressa. Ante duo tubera mammarum instar, vel quales sunt vertebræ, rotunda. Posterior pars in acumen sensim definit, ut tota vesicula non male Lyram videatur exprimere. *Vesica natatoria.*

In pisce sesquipedali nobis descripto à summo rostro ad oculos unus digitus erat; ad dorsi pinnam 5; ad pinnas branchiales $3\frac{1}{4}$; ad ventrales 6; ad podicem $6\frac{3}{4}$; ad pinnam infra anum $7\frac{1}{2}$. Latitudo caudæ ubi pinna desinit $1\frac{1}{4}$; Distantia pinnarum primi paris $3\frac{1}{2}$; secundi paris $1\frac{1}{8}$; antennarum $1\frac{3}{4}$. *Mensuræ.*

Caro à plerisque in cibis laudatur; & ad mensam apparari dicitur eodem modo quo Anguillæ. *Caro.*

Piscem admodum voracem esse & eo nomine ubicunque invenitur damnosum omnes consentiunt.

Invenitur autem in *Albi*, *Vistula* & *Danubio* fluminibus, rarius in *Rheno*; in lacubus nonnullis in *Helvetia*, *Bavaria*, *Hungaria*, &c. præsertim in minoribus & cœnosis, inquit *Gesnerus*, amant enim aquas turbulentas. Videtur certe in fundo præcipue versari; nam piscis nobis descripti venter attritus fuit. *Locus.*

Gesnerus tres hujus piscis *species* facit. Primam à nobis jam descriptam; *secundam* cujus iconem & descriptionem *Benedictus Martinus Bernensis* ei communicavit; [Hujus descriptio perquam accurata & plena per omnia cum nostra convenit.] Videtur autem (inquit *Gesnerus*) species hæc Siluri diversa esse à superiore, quoniam & color variat; & pars ad caudam latior est proportione quam in cæteris quas habeo hujus piscis imaginibus. Verum hæc non sufficiunt ad probandum diversam esse speciem, nam color in multis piscibus pro ætate, sexu, aut loco varius est. Quod vero ad latitudinem attinet, forte ejus proportio vel in hoc pisce vel in superius positis à pictoribus non fuit observata. Siluri *species secunda* Gesneri.

Tertiam speciem Gesnerus ponit, cujus & supra meminimus, in piscina civis cujusdam Argentinensis enutritam; cujus iconem *Petrus Stuibius* ad eum misit. Speciem hanc à superioribus esse diversam, coloris, inquit, barbularum, & caudæ diversitas loquuntur. Erat autem color ex viridi & flavo mixtus cum maculis diversi coloris: barbulæ non longæ, è crassiusculis paulatim attenuatæ, binæ in superiore labro, ternæ in inferiore; nullam, quod mireris, caudæ pinnam habet. Verum nec hunc à superiore specie diversum esse mihi facile persuaserit. Nam & colores pisci per omnia non respondere *Stuibius* scribit: cumque barbulæ quotannis decidant, non mirum breviores fuisse cum piscis depingeretur. Sin caudæ pinnam revera non habuerat, piscem hac parte mutilum fuisse confido. Siluri *species tertia* Gesn.

CAP. XVIII.

Lupus marinus nostras & Schonfeldii. The VVoolf-fish Sea-wolf or Woof.

Descrip. Schonf. *Locus.* *Nomen.* *Caput.* *Color.* *Voracitas.* *Dentes.*

APud insulam terræ sanctæ vel *Hilliglandiam* non procul ab Albis ostio piscis capitur quem incolæ *Wolff*, quasi Lupum appellant, à Labrace tamen veterum discrepantem. *Caput* is Galeo vel cane majus & magis orbiculare habet,*coloris*, ut & dorsum, latera, pinnas, cærulei; circa ventrem albescit. Pellis tota lævis est & glabra. Mire *vorax* mordaxque animal est, & dentibus suis terribilis; ancoram enim si prehendat mordicus, sonum edit & strepitum, ac vestigia conspicua relinquit. Nam in acie mandibulæ inferioris *dentes* acutos & rotundos gemino ordine dispositos decem habet: hos molares utrinque duodeni, duplicata serie collocati sequuntur. Superior mandibula sub rostro dentibus duodecim rotundis & acutis munita est; in medio palato molarium ordines tres, duplicati tamen, ex quibus medius reliquos dentium numero non superat, sed duodecim majoribus quam humani sunt, paulo profundius ad fauces descendit. In ipsis faucibus superioribus ossa aspera duo sunt, quibus linguæ circa radicem asperitas occurrit, brevibus & acutis dentibus constans.

Pinnæ. *Pinnam* post branchias utrinque habet, alarum parvarum in modum, duobus palmis mediocribus non minorem. Dorsi pinna à cervicis origine ad caudam usque quatuor, imo quinque latorum digitorum altitudinem extenditur, quarta à podice in caudam terminatur, quæ Lengi vel Turturis instar quadrata est.

Anarrhichas Gesnero. Klipfish *quis sit.* Piscis hic sine dubio *Anarrhichas* est *Gesneri*, Paralipom. pag. 1261. Balthicis populis (inquit *Georgius Fabricius*, qui ejus iconem & descriptionem ad *Gesnerum* misit) suo nomine Σκόπελος [*Klipfish*] dicitur. *Klip* enim ipsorum lingua scopulum significat. Unde *Klipfish* dictus, vel quod scopulos ascendat, id enim facere dicitur; vel quod in scopulis latitet. *Schonfeldius* Fabricium falsum fuisse docet in hujus piscis appellatione, siquidem *Klipfish* Septentrionalium Aselli siccati species est, sic dicta, quia in scopulis siccatur.

Descriptio D. Johnson. *Longitudo.* *Color.* *Caput.* *Dentes.* *Oculi.* *Pinnæ.* *Branchiæ.* *Squammis caret.* *Viscera & intestina.*

D. Johnson Eboracensis Lupi marini prope *Hartlepool* agri Dunelmensis oppidum maritimum capti descriptionem à se adornatam nobis communicavit in hæc verba. *Longus* erat uncias 18. [adultiores duplo longiores sunt.] Totum corpus ex cœsio fuscum, nigricantibus umbris latera transversa decorantibus. [Harum in descriptione *Schonfeldiana* mentio nulla.] *Caput* grande, supra oculos compressum & quasi mucronatum: genæ valde tumidæ. Os patulum, 14. minimum magnis & validis *dentibus* (quales in catulo semestri) instructum, septem scilicet in utravis maxilla præter maxillares: *Oculi* ampli, superius justo positi, colore avellaneo, pupilla nigra. *Pinna* mollibus radiis instructa à capite ad caudam per dorsum extenditur, nec minus ab ano ad caudam sub ventre. *Branchiæ* utrinque quaternæ, ad quas pinnæ duæ amplæ & subrotundæ, eodem quo in Anguillis situ. Corpus non squamosum sed lubricum & plane anguilliforme: Caro alba.

Cor fere trigonum, proportione piscis parvum, vix fabam magnitudine æquans, cui auricula albicans dimidiæ molis adnexa. Hepar majusculum, pallide rubrum, è duobus lobis triuncialibus compositum, quibus in medio adhærebat cystis fellea capacissima, nuci moschatæ fere

æqualis.

æqualis. Ovaria bina, pallide lutea, ſpinæ prope anum (qui adeo capax fuit ut humanum digitum facile admitteret) adhærebant. Inteſtinum unum & amplum, parum aut nihil reflexum, piſciculis cruſtaceis opple-tum, cui infra ventriculum adhærebat ſplen amplus & convexus intenſe rubens.

D. *Merret* in Pinace rerum naturalium Britanniæ *lapides Bufonios* dictos, & pro Gemmis habitos nihil aliud eſſe quam Dentes molares hujus piſcis oſtendit. *Lapides bufonii hujus piſcis molares ſunt.*

D. *M. Liſter* in tribus grandioribus hujus generis piſcibus, quos *Scarburgi* vidit in mari vicino captos, dentes omnes vel fractos vel attritos, ut ne unus quidem ſanus aut integer ſupereſſet, obſervavit & miratus eſt. In junioribus enim dentes integros læves & orbiculares antea viderat.

In dentibus deſcribendis Autores non conveniunt. Vide ſi placet deſcriptionem *D. Grew*, in *Muſeo Societatis Regiæ*. Piſcem ipſum nobis nondum videre contigit.

CAP. XIX.

Blennus Salviani & fortaſſe etiam Bellonii Geſn. *p.* 147. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 26. The Butterfly-fiſh.

EXocœtum primum *Bellonii figura* corporis refert, eſtque eadem fere magnitudine; ad caput craſſior, verſus caudam tenuis. Quem menſi ſumus à ſummo roſtro ad extremam caudam ſeptem plus digitorum erat: quam longitudinem haud multum exceſſerunt quotquot nobis viſi ſunt. *Color* dilute cæruleus aut cinereus, ductibus olivaceis aut ſordide viridibus varius. *Oculi* ſatis grandes, cute tecti, [irides croceæ aut rubræ] in ſummitate capitis juxta ſe poſiti. Interjacet oculos foſſula quædam ſeu convallis. *Supra utrumque oculum pinnula*, ut in Scorpæna & Exocœto; quibus tamen nonnulli piſces carent. [*Rondeletius* & *Bellonius* ſupra oculos duas cutaceas appendices ei appingunt.] Ab oculis ad os facies admodum declivis eſt & pene perpendicularis. *Os* ei non amplum: maxillæ vehementer diduci poſſunt, adeoque os magno hiatu aperiri, quadrupedum quam piſcium ſimiliore. *Dentes* primores longi, teretes, juxta ſe proxime ſiti, velut pectinum denticuli, pulchro & æquali ordine, eatenus Quadrupedum inciſoribus ſimiles. Hos ſequuntur duo, quadrupedum caninis quoad ſitum reſpondentes, in utraque maxilla, acuti & recurvi. In medio palato *cutis tranſverſa* eſt, aliaque in inferiore maxilla juxta linguam, quæ impediunt ne cibus invito effluat ex ore. *Lingua* mollis, rotunda, carnoſa. *Pinna* in dorſo unica ad ſeſquidigitalem à ſummo roſtro diſtantiam initium ſumit & ad caudam uſque protenditur; nervoſque circiter 25. obtinet flexiles: Horum primus ſupra membranam ad dimidium plus digitum eminet, velut ſeta aut pilus: Secundus quoque & tertius ſupra membranæ marginem aſſurgunt. Poſt quintum radium prope ſummitatem pinnæ incipit pulcherrima *macula*, oculum imitata, medio nigra, annulo albo cincta, ad radium octavum deſinens: qua nota piſcis hic ab aliis quibuſcunque facile diſtinguitur. Eſt autem pinna hæc initio altiſſima: ad radium undecimum humillima fit, poſt quem denuo aſſurgit in altitudinem; unde negligentius intuentibus gemina videtur. Tota pinna varia eſt, nimirum ſordide viridis aut olivacea, maculis cæruleis, fuſcis, albidis, nullo ordine diſpoſitis punctata. Cauda rotundiuſcula, nervis circiter 12. firmata, obſcuris virentibuſque maculis interſtincta, quemadmodum & reli-

Figura. Menſura. Color. Oculi. Pinnulæ ſupra oculos. Os. Dentes. Cutis tranſverſa in ore. Lingua. Pinnæ. Macula in pinna dorſali.

quæ pinnæ. A branchiis pinnæ duæ amplæ, rad. 12. hærent: in pectore aliæ duæ, anterius sitæ, prope ipsum angulum operculorum branchiarum, singulæ radiis duobus tantum instructæ. Quæ infra anum est radios obtinet 17, & ab ipso podice (qui circa medium longitudinis situs est) ad caudam usque excurrit. *Squamis omnino caret,* ni multum fallimur; unde *Blennus Bellonii* esse non potest, si modo is recte descriptus sit, nam ille squamis integitur levi contactu decidentibus. Linea punctata in lateribus à supremo branchiarum angulo incipit, & postquam cavitatem abdominis transit incurvatur. *Venter* ei vastus est prominulus: *intestina* quadrupedum similia. *Bellonius* vel alium (quod magis credo) hoc nomine piscem describit, vel in eo errat, quod dentes ei usque adeo tenues attribuat, ut ejus maxillæ potius exasperatæ quam denticulatæ esse videantur.

Squamis caret.

Venter, intestina.

Caro mollis est. Romæ *Mesoro* dicitur. Venetiis mense *Octobri* frequens inter alios pisciculos venum exponitur; & forte etiam per totam hyemem. An forte *Rondeletio* Scorpioides?

C A P. XX.

§. 1. Gattorugine *Venetiis*; *Alaudis* Rondeletio *dictis affinis*: Exocœto *primo* Bellonii *similis si non idem*: *an Piscis gutturosus* Gesn.

Squamis caret. Figura. Color.

PIsciculus est non squamosus, lubricus, ad caput crassior, versus caudam sensim tenuior, ad latera compressus. *Color* ei varius areolis seu fasciis dimidiatis, obscure olivaceis & xerampelinis alternis. Hasce areolas lineæ pallide cæruleæ dissepiunt. Inferior etiam piscis medietas infra lineas laterales areolis alternis pariter variatur. Verum & colores dilutiores sunt, & superioribus contrario modo dispositi; obscurior scilicet è regione dilutioris, & dilutior è regione obscurioris. Colores hi in diversis piscibus nonnihil variant.

Magnitudo. Pinnarum situs, figura, radii.

Sex septemve unciarum longitudinem raro excedunt. In pisce 5. digitos longo Dorsi *pinna* (quam unicam habet) ad digiti à summo rostro distantiam incipit, & ad caudam usque extenditur, radiis 31. donata, versus initium in nonnullis macula nigra insignis. *Radii* supra membranam connectentem albis apiculis eminent: primi autem decem aut duodecim rigidiusculi & acuti sunt. Pinnæ quoque quæ retro anum est radii, 23. numero, supra membranam eminent, apicibus recurvis albis. *Cauda* non bifurca, sed cum expanditur in rectam fere desinens, reliquo corpore rubicundior, nervis plus minus 12. instructa: Pinnæ ad branchias satis amplæ, nervis 14. singulæ. Alterius paris pinnæ anterius in thorace sitæ, ad ipsum prope angulum quem efficiunt opercula branchiarum coeuntia duobus singulæ nervis constant, ut barbulæ potius videantur quam pinnæ. Oculi extantes & fere contigui, cute tecti, in summitate capitis siti. Supra, aut etiam inter ipsos oculos pinnulæ seu *cirruli* duo, semidigitali altitudine, in imo crassi, in acutum desinentes, utroque latere pilosi; interdum in 4. radios sparsi. Ab oculis ad os *caput* valde declive est, ut in *Blenno. Os* mediocre; *dentes* in utraque maxilla, eodem modo dispositi quo in *Blenno*: labiis pariter quæ adduci & abduci possunt tecti. *Lingua* lata & brevis. *Vesica* aerea nulla, urinaria autem longa. Hepar magnum, album: fel cæruleum. Intestina in hunc modum reflexa ∽ Appendices nullæ. Exitus excrementorum capiti quam caudæ aliquanto vicinior.

Cauda.

Cirri in fronte.

Caput, Os, Dentes, Lingua. Viscera & intestina.

Nominis ratio.

Venetis *Gattoruggine* à coloe, ut puto, dicitur, quasi cattus rubiginosus.

nosus. Gutturosi piscis icon apud *Gesnerum* excepta crista seu lobo carneo in capite, & coloribus, huic bene convenit. *Venetiis* (inquit) *Gotorosalam* vocant, à prominente opinor sub faucibus tumore. *Gotorosala* certe vox ad *Gattorugine*, seu *Gottorugine* accedit. (Nam & *Gottorugine* & *Gotto di mare* dictus est.) Fortasse nos peregrini & innassueti non recte assecuti sumus Piscatorum pronunciationem. Itali hac de re consulendi sunt.

§. II. *Exocœtus cristatus* Bellonii.

A Superius proxime descripto pisce vix alia in re differt quam pinna in summo capite Galli cristam prorsus referente.

§. III. Gattorugine *viridis maculosus an Scorpioides* Rondeletii?

Ejusdem cum superiore figuræ est, colore tantum differt: est enim dilute viridis, ranæ colore maculis nigris varie & nullo ordine aspersus. Præterea pinnulis illis supra oculos vel caret omnino, vel parvulas eas habet & pene inconspicuas. Habet etiam inter primos duos radios pinnæ dorsalis maculam nigram.

Intestina in hoc & præcedente quadrupedum similia sunt, pariter magno mesenterio adnexa; in quibus Lactucam marinam invenimus.

CAP. XXI.

De Alaudis.

§. I. *Alauda non cristata* Rondeletii Galeetto *Livorni.* Mulgranoc. & Bulcard. *Cornubiæ.*

Pisciculus hic cum præcedente in plurimis convenit. Color in nonnullis ex sordide viridi flavicans seu olivaceus: in aliis lineæ transversæ dilute cæruleæ tum latera, tum Dorsum, tum etiam Dorsi pinnam eleganter pingunt: in dorso spatia inter lineas cæruleas media xerampelina sunt. In nonnullis secundum totam dorsi longitudinem decurrunt lineæ duæ xerampelinæ cum olivacea intermedia; in capite ab oculo utroque ad verticem areolæ duæ spadiceæ tribus cæruleis disseptæ & inclusæ. Verum color in aliis piscibus multum variat. Caput circumscriptione circulare, ad latera compressum: opercula branchiarum tumida. Summum caput velut in aciem assurgit. Oculi parvi, cute tecti, irides albæ, nonnihil ostendunt ruboris. Pone verticem nonnihil depressior est, ac si cervicem haberet. Os & dentes omnino se habent ut in præcedenti & Blenno. Superior maxilla longius prominet quam inferior. Pinnulis illis supra oculos in *Gattorugine* conspicuis caret. Squamis omnino destituitur: est autem vivacissimus & multas horas extra aquas durat. Pinnarum numero & situ cum *Gattorugine* convenit: Radiorum quoque in singulis fere (pisci *Livorni* descripto in pinna dorsi 36. radi erant, in pinna ani 28. verum in his natura ludit nec eundem semper numerum observat) par numerus. Cauda expansa circularis est. Branchiæ utrinque quatuor, quarum opercu-

la connectuntur & componunt unam continuam membranam ceu amiculum quoddam. Veficulam felleam habet, felle pellucido, pulcherrime viridi, [colorem tamen minime constantem esse puto.] Appendices nullas: inteftina bis reflexa ut in priore; Hepar albidum; Lienem rubicundum. Vefica aerea dorso adhærefcit.

In petrarum interftitiis & cavernulis degit. piscantium manus mordet, verum morfu innoxio.

Longitudo piscis nobis *Livorni* descripti femipedalis erat aut major. Exitus excrementorum quarta fere totius longitudinis parte à fummo roftro diftabat.

Saxatilis eft & littoralis, tam in mari mediterraneo quam in Oceano frequens.

§. II. *Alauda criftata five Galerita* Rondel. Gefn. *p.* 20.

NOn criftatæ cætera perfimilis eft, verum in capite infignem criftam tranfverfam gerit, quam pro libitu erigit. Eft autem crifta lobus quidam carneus inter oculos in fummo vertice retrorfum capiti incumbens, figura triangulari, circa margines rubra. Superioris maxillæ anguli in latam membranam velut pinnulam quandam ad angulos oris terminantur.

Alaudæ nomen *Rondeletius* huic pifci à crifta impofuit. Eadem cum priore loca frequentat.

§. III. Punaru *Brafilienfium* Marggrav. *quæ Alaudæ fpecies effe videtur.*

PIfciculus eft 4 dig. longus; corpore oblongo; capite craffiufculo & anterius obtufo. Os habet parvum; in maxilla inferiore duos folummodo denticulos oblongos, acutos inftar acicularum: oculos fuperius & in fronte pofitos, pupilla nigra circello aureo & fupra hos duo rubra fila brevia, prominula; branchias amplas, utpote quæ una ei eft è duabus conflata: Pinnas poftbranchiales duas oblongas, & fub his duas plane anguftas. Paulo poft occiput incipit pinna quæ ad caudam ufque producitur, fpinulis prominulis fuffulta. In medio ventre incipit fimilis, ferme ad caudam ufque pertingens. Cauda autem longiufcula & parallelogramma. Tegitur cute fufca, & pinnæ funt ejufdem coloris.

Reperitur hic & alia *Punaru* fpecies figura corporis priori fimilis; fed mandibulas habens roftratas, quafi è minimis denticulis compofitas. A fummitate capitis pinna latiufcula extenditur ufque ad exortum caudæ, quæ mollibus texitur fpinis non prominulis. Poftbranchiales habet fere ut prior, ut & in ventre & cauda. Color ut prioris, fed variegatus eft in lateribus lineis curvis obfcure purpureis. Utraque fpecies inter fcopulos vivit, & intrat etiam teftaceorum domicilia.

CAP.

CAP. XXII.

Exocœtus sive Adonis Rondeletii Gesn. *p.* 15.

EXocœtus dicitur quod sæpe extra aquam quiescat, sive quod in siccum somni causa exeat, ut scribit *Plinius*. E Rondel.

Piscis est semipedali magnitudine, forma terete, ὑπόπυξος secundum Athenæum, ξανθὸς seundum Oppianum, id est, colore aureo, partibus quibusdam virescente, aliis magis rubescente. A branchiis ad caudam lineam candidam continuam habet. Corpore similis est Mænis jam fœtis aut Gobionibus. Parvas habet branchias: qua de causa *Plinium* dixisse crediderim, circa Clitorium vocalem tradi & sine branchiis, quod fieri non potest, sed qui branchias breves, imperfectas nec valde manifestas habent iis carere existimantur, veluti Hippocampo propter parvitatem & situm deesse videntur.

Hunc *Rondeletius* se in saxis stertentem aliquando vidisse asserit.

Ex brevi hac descriptione an idem sit piscis isthic Exocœto Bellonii, *gutturoso nobis dicto, an diversus nobisque hactenus incognitus, non liquet:* Lectores judicent.

CAP. XXIII.

Pholis Rondeletii: Bavosa *Provincialibus.*

PAulo major est Alauda: dorso fusco, ventre pallido, cute lævi & sine squamis, sed maculosa: pinnis aliisque partibus à superioribus non dissidens. Mollissima est carne & glutinosa. Squamarum loco provida rerum natura muco involvit, veluti multos alios non squamosos lubricos effecit, ut lubricitas natationem adjuvet. E Rondel.

Piscem hunc a reliquis Alaudis specie diversum esse non puto, siquidem colore solum differat.

CAP. XXIV.

Liparis Rondeletii Gesn.

PIscis hic, quem Liparim vocamus, capite terrestrem cuniculum refert: ore est parvo sine dentibus, sed maxillis asperis. Virgam habet satis latam à capite ad caudam: Squamis parvis tegitur. Pinnas ad branchias & in ventre binas habet, aliam à podice ad caudam, aliam à cervicis loco ad caudam continuam, sine aculeis. Cauda in duas definit. Adeo pinguis est, ut non ventri intestinisque solum infarcta sit pinguedo, veluti in mugilibus & lupis, sed etiam sub cute carnis loco nihil aliud videatur esse quam pinguedo, ut liparis sive λιπαρὸς optimo jure nuncupetur. Prius dixerat, hunc piscem, cum aliquandiu servare vellet, totum in oleum abiisse. E Rondel.

Succo est molli, pingui, insipido, quo ventriculus evertitur, alvusque cietur.

Corporis specie ad Alaudas dictas nobis accedere videtur.

CAP. XXV.

Dracunculus Rondeletii Gesn. *p.* 92. *lib.* 2. *cap.* 52. Aldrov. *Exocœti tertium genus* Bellonio Gesn. *de Aquatil. p.* 16.

Magnitudo. PIscis est marinus dodrantali *magnitudine*, inquit *Rondeletius*; *Bellonius* raro 6. digitorum longitudinem & duorum pollicum crassitudinem excedere scribit. Quos nos *Genuæ* vidimus vix semipedales erant maximi. Corpore est oblongo, tereti. [*D. Willughby* figuram *Color.* depressiusculam & fere quadratam ei attribuit.] *Color* in dorso olivaceus, seu ex viridi flavicans: venter albet. Latera utrinque maculis exiguis cærulo-argenteis pinguntur. Supra oculos in summo vertice macula triangularis purpurascens. *Oculi.* *Oculi* grandes, iridibus argenteis, *Os.* officulo tantum tenui dissepti. *Os* amplum, in acutum angulum desi- *Dentes.* nens: maxillæ dentibus admodum exiguis munitæ, superior paulo longior inferiore. [*Rondeletius* os parvum sine dentibus ei attribuit, sed *Branchiæ.* male.] *Branchiæ* membrana clausæ, nec aliæ aperturæ sunt quam duo exigua foramina rotunda juxta occiput sursum spectantia, quibus aqua *Pinnæ.* ore admissa excluditur. *Pinnæ* branchiales nervis circiter 12. radiatæ sunt; ventrales (seu thoracicæ potius, nam anteriorem situm obtinent) nervis sex donatæ, punctulis argenteis pulchre depictæ. Pinnæ in dorso duæ, anterior radios 4 obtinet, qui supra membranus connectentes altius assurgunt; præsertim primus: posterior anteriori contigua radiis 10. suffulta, altissima est & pulcherrima, maculis albis minoribus, nigris majoribus eleganter depicta. Pinnæ hæ in fossula seu sulco medio dorso à capite ad caudam usque insculpto seu excavato consistunt. *Cauda.* *Cauda* pro magnitudinis ratione longissima, non forcipata, *nervis* 11. intertexta. Quæ pone exitum excrementorum pinna est, radios 9. obtinet summitate nigra; Par ei quæ in Dorso cavitas seu fossula ab ano ad caudam in ima corporis carina extenditur. Dorsi pinna ad unciam *Spina ad branchias.* unam cis caudam desinit. Ad extremum branchiarum angulum *Spina* adunca, tricuspis, sursum reflexa. Juxta branchiarum foramen lineæ utroque in latere vestigium cernitur, quod vix ad caudam producitur. *Squamis caret.* *Squamis* omnino caret.

Dimensio. Cæterum in pisce digitos $4\frac{1}{2}$ longo, dorsi pinna anterior à summo rostro aberat digitum 1; posterior $1\frac{1}{2}$; primum pinnarum par $1\frac{1}{8}$; secundum par $\frac{3}{4}$; anus $1\frac{1}{2}$; pinna retro anum $1\frac{5}{8}$;

Notæ characteristicæ. *Notæ characteristicæ* quibus ab aliis omnibus piscibus facile distinguitur sunt, 1. Maculæ cæruleæ: 2. Oculorum vicinitas: 3. Foramina branchiarum rotunda. 4. Spinæ tricuspides. Est autem Gobionibus si- *Locus.* milis tum corporis figura, tum carnis substantia. *Genuæ* & *Romæ* inter alios pisciculos venalem vidimus: *Bellonius* circa *Byzantium*, ut videtur; nam à *Byzantinis* piscatoribus non alio quam *Glini* nomine pernosci ait. Exocœtus autem cristatus (à quo hunc non distinguunt) *Glinus* illis vocatur. Minus exacte à *Bellonio* describitur hic piscis, unde *Gesnerus* pro specie à Dracunculo *Rondeletii* diversa eum habet. *Rondeletii* quoque descriptio in pinnis dorsi à scopo aberrat.

Carnis substantia Gobionibus parvis similis est, iisdemque alimentis vesci traditur. *Rondel.* In Agathensi litore capitur, alioqui rarus est. *Idem.* At nos *Genuæ* & *Romæ* sæpius vidimus.

CAP. XXVI.

§. I. *Gobio fluviatilis capitatus de Aquatil. p.* 477. Gesn. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 27. *Cottus* Rondeletii. A Bull-head *or* Millers thumb.

Pisciculus est quatuor aut quinque digitos longus, raro semipedem æquat; *Capite* magno, lato & depresso, circumscriptione sua subrotundo. *Squamis caret.* Dorsum ei flavicat, tribus vel quatuor areolis transversis nigris. *Oculi* in medio capite parvi, non tamen situ supino ita positi ut sursum spectent, sed ita ut ad latus, iridibus aureis. Labium superius sursum reflexum. *Os* magnum rotundum, denticulis asperum [*Gesnerus* pro dentibus labia limæ instar aspera eum habere ait.] *Pinnæ* ad branchias binæ, singulæ nervis circiter tredecim radiatæ, [rotundæ & ambitu pulchre crenatæ.] Duæ aliæ inferius, in medio summi ventris, parvæ, longiusculæ, albicantes, nervis quatuor, quorum primus maximus, sed secundo brevior. Alia ab ano ad caudam, radiis 12. In dorso quoque geminæ; Altera brevior, quæ capiti propior, nervis quinque instructa, nigro plerunque colore infecta, supremo margine russo. Pinnæ huic contigua fere altera longior, caudam versus (quam tamen non attingit) radiis septendecim. Operculo branchiarum utrinque *Spinula* adunca, sursum reflexa innascitur. Sunt autem opercula branchiarum proxima, concava & velut inflata, sex nervis insignioribus donata, quæ iis firmandis & extendendis inserviunt. *Cauda* rotunda, nervis undecim aut duodecim ramosis donata. Reliquorum omnium pinnarum radii simplices. Fæmina *ovis* immodice turget, quæ in pectore in globos collecta geminas veluti mammillas præ se ferunt, & membrana nigerrima includuntur. *Magnitudo. Caput. Squamis caret. Color. Oculi. Os. Pinnæ. Spinula in branchiis. Cauda. Ova.*

Hepar albidum; *Ventriculus* magnus, sub quo appendices quatuor sursum reflexi. In rivulis & fluviis saxosis reperitur, in quibus prope fundum plerunque versatur & sub saxis latitat. Phryganeis aliisque insectis aquaticis vescitur. *Hepar, Ventriculus. Locus. Victus.*

§. II. *Gobius capitatus lacustris* Gesneri.

In lacu nostro Tigurino (inquit *Gesnerus*) capitati Gobii non solum magnitudine inferiores sunt fluviatilibus, raro enim ultra digiti medii longitudinem excrescunt; sed specie etiam differunt, etsi vulgus forte non discernat. Nempe colore magis albicant, cum illi nigriores sint (corpus varium est, partimque albicantibus, partim fuscis punctis, & maculis etiam nigricantibus transversis distinguitur) spinulis circa branchias pluribus & acutioribus, brevissimis tamen illis, & visum pene latentibus horrent, quibus digiti etiam si retro ducas configuntur. Pupilla oculorum aliqua ex parte pulchre virescit & gemmæ instar resplendet, præsertim ad solem. E lacu in fluvium non migrant, ut neque fluviatiles in lacum. Gustus etiam suavitate fluviatilibus longe sunt deteriores.

§. III. *Blennis vel Belennus* Rondeletii Geſn. 146.

Ei, inquit, qui à Gaza Cothus nominatur tam ſimilis eſt, ut idem plane videatur. Pelagius eſt & rariſſimus. Corporis ſpecie Ranam piſcatricem refert: colore & carnis ſubſtantia Aphyam Cobiten. Eſt igitur capite magno, roſtro acuto, ore parvo. Pinnam in cervice Uranoſcopi modo habet nigram, qua caret cothus fluviatilis [*Cothus noſter fluviatilis eam obtinet*] duas alias inferiores ori proximas. Squamis caret. Ventre eſt candido, reliquo corpore fuſco. Cauda non omnino rotunda, nam utrinque depreſſa eſt.

Piſcis hic à *Rondeletio* deſcriptus Cotho fluviatili, ut ipſemet fatetur, adeo ſimilis eſt, ut vix eum à Cotho diſcernat, niſi qui noverit hunc in fluviis, illum in alto mari degere.

Ex Epicharmi verbis, quæ refert *Athenæus* apparet vilem fuiſſe piſciculum nec immerito. Eſt enim humida carne plane inſipida, corpore valde brevi: quippe cum caput toto reliquo corpore majus ſit. Βαίων etiam dictus eſt à parvitate ſua, βαιὸς enim minutus eſt.

CAP. XXVII.

Scorpænæ Bellonii *p.* 201. *edit. Gallicæ ſimilis*; Potſhoeft *Belgis. Pueris* Cornubienſibus *ludicro nomine* Father-Laſher *dictus.*

Longitudo. Longitudine eſt ſemipedali & interdum dodrantali *figura* Gobioni ca-
Figura. pitato ſimilis, capite & anteriore corporis parte admodum grandi,
poſteriore caudam verſus gracileſcente. Venter ei latus, planus, ſeſſi-
Squamis caret. lis. *Squamis caret.* Linea ſubaſpera media latera dividit. Caput ſu-
pinum nigricat. Dorſum ſupra lineas laterales areæ latæ tranſverſæ ni-
Color. gricantes tres vel quatuor diſtingunt, ſpatiis intermediis pallidioribus.
Latera infra lineas aliquouſque flaveſcunt: venter albet. Inferior ma-
xilla & opercula branchiarum punctis albis, rubentibus & ſubluteis per-
Caput. belle pinguntur. *Caput* ſpinis & aſperitatibus horret. A roſtro ad oc-
ciput inter oculos cavitas ſeu foſſula capiti medio inſculpta producitur,
verſus occiput latior ſed minus profunda, in hujus marginibus ad ocu-
Spinæ. los *Spinæ* duæ obtuſiores ſurſum ſpectantes; ultra oculos duæ acutiores:
extremis duæ aliæ retrorſum vergentes, dorſo appreſſæ. In operculis
branchiarum ſpinæ plurimæ, duæ tamen cæteris inſigniores, longæ, acu-
tæ, pellucidæ, ſurſum ſpectantes, thecis incluſæ: ad aperturæ etiam angu-
Branchiarum los utrinque ſpina deorſum inclinata. *Opercula branchiarum* non ampla
opercula. apertura hiant, ſibique mutuo inferius connexa aut continua, velut a-
miculo quodam ſternum ſuperinduunt. Hæc, membranacea cum ſint,
piſcis, præſertim aquis extractus, nervorum quibus intertexta ſunt ope
ita plerunque extendit, ut prætumidæ & veſicæ in modum inflatæ vi-
Nares, Os, deantur. *Nares* exiguæ; *Os* amplum. Maxillæ variis denticellorum
Dentes. ordinibus ſcabræ. Palato medio ineſt denticellorum cuneus; imo duo
pulvinata tubercula aſpera, totidemque illis ſubſtrata ſeu inferius appo-
Lingua. ſita. *Lingua* lata, magna glabra. *Oculi* laxis membranis diaphanis ob-
Oculi. ducti; pupillæ minores, circulo rubeſcente cinctæ. *Pinnæ* in dorſo duæ;
Pinnæ. anterior radios 8 aut 9 continet, qui in piſce adultiore rigidiuſculi ſunt
& nonnihil ſpinoſi: poſterior huic contigua radios 12 aut plures flexi-
Cauda. les, altos. *Caudæ* diductæ circumferentia ſubrotunda. Pinnæ ad bran-
chias

chias amplæ, singulæ radiis 15 aut 16 instructæ. Omnes hæ pinnæ lineis transversis obscurioribus & pallidioribus alternis variegantur. Medii ventris pinnæ singulæ radios non plures tribus obtinent. Quæ ab ano est radiis novem instruitur, quorum apiculi supra membranam connectentem eminent, quod & radiis primi pinnarum paris commune est.

In ventriculo dissecto squillas, pulices marinos, ossa pisciculorum invenimus. Hepar amplum pallidum, in tres lobos divisum, unum in sinistro hypochondrio amplissimum, & minores duos. Cystis fellea longa, juxta ventriculum dependens. Lien subrotundus. Appendices ad pylorum decem aut duodecim. Intestinum quoque bis reflectitur. Vesica urinaria ampla. Uteri cutis crassa. Diutissime extra aquam vivit. *Victus.* *Viscera & testina.*

In mari *Flandriam* & *Bataviam* alluente frequens capitur. Vidimus etiam in *Cornubia* ad oppidum *S. Ives.* *Locus.*

CAP. XXVIII.

Bagre *piscis barbati & aculeati variæ species* Marggr.

B*Agre* piscis oblongo corpore, initio dorsi paulum elevato; capite acuminato seu conico, quod dura testa est tectum ad initium elevationis dorsi: pedalis *Longitudinis.* *Barbam* habet 6 cirris constantem, quorum 4. inferiores sesquidigitum longi; duo superiores longitudinem totius piscis æquant. *Pinnas* obtinet 7, 8^{vam}. pro cauda: nimirum duas post branchiales, loco inferiori positas, & ante quamlibet fortem *aculeum* dentatum, osseum: unam in summitate dorsi elevatam, & ante illum item aculeum fortem, æqualis cum pinna longitudinis: duas junctas in medio fere infimi ventris, magis tamen versus anteriora, unam membranaceam sine spinis versus caudam, & huic oppositam mediocrem mollibus spinis suffultam. *Cauda* constat pinna furcata. *Caret squamis*, sed tegitur cute per totum argentei splendoris. Pinnæ omnes argentei sunt *coloris*, ut & barba & caput. Per medium utriusque lateris tendit linea argentea ad caudam usque, constitutum ex 77 protuberantiis. *Oculi* nigri, fatis ampli: *os* parvum, edentulum, labiis elevatis. Piscis est edulis. Si quis ab eo læsus fuerit difficulter sanatur & magnos patitur dolores. *Figura.* *Longitudo.* *Barba.* *Pinnæ 7.* *Aculei.* *Cauda.* *Caret squamis.* *Color.* *Oculi, Os.*

Alia *Bagre* species [quam describo *longitudinem* habebat 2 pedum & 3 digit.] corpore est oblongo, *capite* compresso & plano; *ore* inferius parabolicæ figuræ, obtuso, edentulo. Caput ei 8 dig. longum, testa dura punctulata tectum. *Oculi* parvi, rotundi, crystallini, 4 fere digitos ab invicem distantes. *Barbam* habet 6 cirris constantem, quorum exteriores longiores 4 dig. reliqui breviores. Septem illi *pinnæ*, 8va. pro cauda: una nimirum in summitate dorsi, firma spina anterius munita: erecta, 3 dig. longa, totidem lata: duæ, postbranchiales, itidem firma spina munitæ, 4 dig. longæ, 2 latæ: interstitio 6½. digit. post branchiales in infimo ventre (qui paulum extuberat) duæ junctæ, 3 dig. longæ, 2 latæ, in ambitu circinatæ. 7 digit. intervallo à dorsali, alia in extremo dorso carnosa, sesquidigitum longa, unum lata, in extremitate mollibus spinis munita: & sub hac in infimo ventre alia paulo major. Cauda sequitur 3 dig. intervallo, in duo cornua diducta, crassa sed molli membrana constans 2½. dig. longa, in quolibet cornu, duos lata. Totum caput superius & ad latera, dorsum totum & latera, ad protuberantiam ventris usque candidi cum diluto flavo & aureo mixti est coloris: in testa capitis etiam aliquid viridis transplendet. Pinnæ omnes *Longitudo.* *Caput.* *Os.* *Oculi.* *Barba.* *Pinnæ 7.* *Aculei.*

& cauda gryseæ sunt. Venter & laterum inferior pars, & caput inferius (quod planum est) albi coloris. Caret squamis, sed vestitur cute. Bona satis est carne, meliore quam *Camarupi*, cujus magnitudinem fere æquat.

Bagre 3^tia^. figura & magnitudine est ut præcedens, sed barbam habet 4 tantum cirris constantem, duobus nimirum 8 dig. longis & latiusculis instar ligulæ, duobus admodum brevibus: Ad pinnam dorsalem similis ligula 9 dig. longa, & ad post-branchiales pinnas eodem modo. Cætera similis præcedenti; nam & ventrem ita protuberantem habet.

Bagre 4^ta^. species, *Belgis* vulgo *Clip*-bagre, 10 digit. longitudinem habet; corpore oblongo; capite lato & compresso: ore parabolico, edentulo. Barba constat 6 cirris, quorum 4 inferiores unum digitum, superiores duos longi. Oculos habet parvulos, cærulescentes 4 digit. interstitio ab ore. In summitate dorsi tegitur testa dura, ossea: & post-branchias in quolibet latere pyramidalis testa angusta tegit latera. Pinnas habet 7, & 8^va^ pro cauda: nimirum unam in summitate dorsi, elevatam, mollem, sesquidigitum altam, plus uno latam, anterius spina ossea crassa, dupliciter serrata, 2½. dig. lata sustentatam; in medio ventre infimo duas parvas: in fine pene dorsi carnosam, parvulam, angustam; & è regione hujus inferius aliam parvulis spinis suffultam. Cauda divisa in duo cornua sesquidigitum longa. Tegitur cute: ac in capite, initio dorsi & lateribus, ubi testaceus est, umbræ est coloris, per reliquum totum dorsum & latera umbræ dilutioris, & fuscis maculis mediocris magnitudinis variegatur. In ventre albicat. A testæ latiore fine ad caudam usque in quolibet latere per lineam rectam tendit ordo denticulorum acutorum posterius versorum, qui clypeo duro serrato in medio insunt: nam anguli obtusi figura positi sunt usque ad caudam. Edulis est, sed pauca carne, quæ non magni fit.

Bagre 5^ta^. species præcedenti similis est, & maculis nummi Misnici magnitudine variegatus. Verum caret denticulis illis in lateribus: lineam solummodo habet, & sex cirros, & duos longiores quam alter. Hæc species habet carnem bonam & pinguissimam.

CAP. XXIX.

Nhamdia *brasiliensibus*, Bagre de Rio *Lusitanis* Marggrav.

Figura. *Os, Dentes.* *Longitudo.* *Oculi.* *Barbæ.* *Cirri 6.*

CORpore est oblongo, obeso; ventre molli, versus posteriora angustiore: capite compresso, & *ore* parabolicæ figuræ, *denticulis* minimis prædito. Est autem corpus duodecim aut quatuordecim digitos *longum*, 2½ altum ubi altissimum. *Oculi* parvuli, paululum protuberantes, rotundi pupilla nigra, circulo ex auro & umbra mixto. Branchiæ satis amplæ; & *barba* sex filis constans, duobus supra, & quatuor infra os. Eorum quæ supra os versus latus stant, quodlibet crassitiem habet fili quo literæ obsignantur, quinque digitos longum, & post cujusque exortum fovea est oblonga, in quam barbæ initium incumbit, vertendo illam postica parte, ut semper facit. Inferiorum quatuor quodlibet exterius 2½. digit. longum, interius sesquidigitum; suntque inferiora fila barbæ non ita crassa ut superiora.

Pinnæ. *Pinnas* habet septem, & octava est pro cauda; nimirum post quamlibet branchiam unam, oblongam, firmissima & acuta spina munitam (quemadmodum & in exortu ipsius post branchiam os durum est triangulare.) Ad medietatem corporis ante anum duas junctas oblongas, in extremitate circinatas: versus caudam

dam in inferiore ventre unam fere quadratam, & in extremitate circinatam: in summitate dorsi magnam quadratam multis spinis suffultam, & post illam unam longam, angustam, cute carnosa constantem, qua & corpus est tectum. *Cauda* bisecta est, & quælibet pars in exitu circinata. Cute tegitur, non squamis. Caput dura testa tectum, osque superius totum umbræ *coloris:* dorsum & latera cinerei cum pauxillo cæruleo mixti. Pinna dorsalis prior prope exortum ejusdem coloris, cætera in totum nigri, spinis cinereis: posterior ejusdem coloris cum dorso & lateribus: pinnæ branchiales totæ nigræ: barba nigra, uti & pinnæ ventris & cauda, licet in exortu paululum ruffæ. A summitate branchiarum per quodlibet latus tendit in medio linea rubra, usque ad caudæ initium. *Cauda.* *Color.*

Capitur in fluviis, & est optimi saporis, vulgoque comeditur. *Locus.*

LIBER QUARTUS
SECTIO III.
DE
PISCIBUS
Corpore contractiore vel ſaltem non admodum lubrico, qui pinnis ventralibus carent.

Hujus generis piſces unico tantum pinnarum pari donantur. Eorum plerique inſolentis figuræ ſunt, corpore vel ſubrotundo & globoſo, ut Orbes *dicti, qui corpora ſua utris more inflare poſſunt, autore* Marggravio, *cute dura tecti & plerique ſpinoſi; vel triangulari, ut* Guaimaiacu Marggrav. *vel circulari fere cauda velut abſciſſa, ut* Mola Salviani. *Hi præter caudam quatuor duntaxat pinnas obtinent, nimirum ad branchias duas, unam retro podicem, quartam huic adverſam in dorſo poſteriore. Huc etiam retulimus* Gladium *piſcem quem alii cetaceis annumerant, & merito ſi ad magnitudinem ſolam reſpicias, verum neque pulmone reſpirat, neque vivos fœtus parit, quemadmodum cetacei proprie dicti: Poſſet hic cartilagineis minus proprie dictis accenſeri.*

CAP. I.
De Orbe Piſce.

§. I. *Orbis primus* Rondeletii Geſn. *p.* 744. *Orbis Ægyptiacus* Salviani.

ORbiculatos piſces vel Orbes ſic appello, quod in orbem & rotundam figuram circumacti ſunt.

Hic in *Nili* oſtiis capitur: figura eſt ſphærica, ſi caudam excipias: prorſus à ſquamis nudus. Cute dura admodum contegitur; quam aſperam efficiunt aculei parvi, quibus tota conſperſa eſt. Ore eſt parvo, dentibus 4 latis munito. Unicum utrinque foramen & pinnam unicam habet ad branchias, *Capriſci* modo: pinnulam aliam in prona parte prope caudam: aliam huic fere reſpondentem in ſupina,

na. Cauda in unicam & latam desinit.

Piscis hic esculentus non est, totus enim capite vel potius ventre constat: quare exiccatus & tomento vel alga oppletus inter templorum anathemata, vel cubiculorum ornamenta suspenditur.

Piscem hunc *Plinii* Orbem vel Orchin esse asserit. Verba *Plinii* hæc sunt; *Durissimum esse piscem constat, qui Orbis* [alii Orchis legunt] *vocetur; rotundus est & sine squamis, totusque capite constat.* E mari *Nilum* subire creditur.

Hic piscis suspensus cœli partem, à qua flat ventus, rostro ad eam converso, indicat; unde à quibusdam *Germanis Gallus marinus* vocatur; quod verum esse experimento comperi in parvulo meo Orbe. *Wormius.*

§. II. *Orbis cauda productiore, dorso lævi, ventre spinoso.*

PIscis hic, cujus pellem suffultam habemus, orbis primi *Rondeletiani* iconi similis est, nisi quod cauda sit paulo productiore, nec toto corpore spinulis aspero ut ille, sed ventre tantum, dorso & cauda lævibus.

D. Grew in Museo Societatis Regiæ piscem hunc describit sub titulo *Orbis Lagocephali.*

§. III. *Orbis scutatus* Rondeletii Gesn. *p.* 745.

COrpore est terete, mucoso; capite magis exerto quam superior: oris scissura majore. Dentes in eo sunt plures & minores; oculi parvi & exquisite rotundi. Branchiarum rimam multo majorem habet; infra has pinnas duas. Subest pro sterno os illud, quod vide paulo infra, nam nos ordinem verborum *Rondeletii* mutavimus. Scuti specie esse diximus. Neque prona, neque supina parte pinnas habet: cauda in unicam latam desinit. A capite ad caudam usque ossa ovi figura disposita sunt, inter quorum intervalla aculei interjacent. Piscis est rarus & non edulis.

Orbem scutatum vocamus, ob os illud scuti forma, quod ea in parte in qua terrenis animantibus pectus est, sterni vicem habet.

§. IV. *Orbis echinatus seu muricatus* Rondeletii Gesn. *p.* 745.

TErtium orbis genus muricatis aculeis totum riget, ut manu tollere non possis, nisi cauda extrema apprehensa. Capite est multo minus exerto quam proxime descriptus: corpore magis rotundato & majore, in quo nullæ sunt pinnæ præterquam in cauda, quæ in unicam desinit. Sunt qui histricem ab aculeis non inepte appellent. Possit etiam nonnullis videri *Æliani Sagittarius*, quem Rubri maris piscem esse scribit. *Sagittarius in eo mari procreatur, & quoniam herinacei speciem & similitudinem habet firmis & bene longis armatur aculeis.* Sed de hac re judicent ii, quibus rubri maris pisces cogniti sunt, nihil temere de rebus parum compertis affirmare volo. Hactenus *Rondeletius.*

Orbis muricatus Clusii. Orbem suum muricatum, quem huic valde similem ait, *Clusius Exot.* lib. 6. cap. 23. sic describit.

Habebat hic piscis ab ore ad caudam sex unciarum cum semisse longitudinem, decem pene unciarum corporis ambitum, squamis prorsus carebat, sed dura cute tectus erat, aculeis adeo crebris, firmis & muricatis quaquaversum obsita, ut vix sine noxa apprehendi posset: erant vero illi aculei in dorso & lateribus longiores & crassiores, in ventre breviores

viores & minores. Breve & latum caput habebat: dorsum etiam latum, supercilia elata, & muricatis similiter aculeis munita. Oris hiatus non magnus, binis albis ossibus, sive osseis labris erat præditus, iisque crassis & firmis, ad prædam commodius retinendam: introrsum versus palatum binos crassos dentes habebat, hominis molaribus non dissimiles, & totidem iis pares inferne versus gulam. Longe frequentioribus aculeis mihi stipatus videbatur eo quem *Rondeletius* exhibet, iisque etiam muricatis, quorum unicus eminebat triangularis & acutus, tres alii in ipsa cute paribus distantiis impressi, non exerti, ut in *Rondeletiano*. Deinde in eo differebat, quod illius Orbis nullas habet pinnas, præter eam quæ in extrema cauda est: hic vero quatuor aliis erat præditus, una in singulis lateribus satis lata, distante ab oculis unciæ unius interstitio, & ante eam longa rimula pro branchiis: deinde tertia in extremo dorso, paulo supra caudam, quarta in extremo ventre inter podicem & caudam: quinta oblongiuscula extremam caudam occupabat, quæ brevior & contractior reddita videbatur, dum cutem funiculorum fragmentis farciebant nautæ.

In quo mari captus esset hic piscis nemo certi quidpiam pronunciare poterat &c. *Clusius*.

Ego hunc piscem cum Rondeletiano *eundem suspicor. Erat enim procul-dubio mutilus is quem descripsit* Rondeletius, *cum impossibile fere sit, piscem natare, aut se in aquis librare, deque loco in locum promovere sine ullis omnino pinnis præter caudam; saltem nisi oblongus sit & anguilliformis.*

§. V. *Orbis Ranæ rictu* Clusii Exotic. lib. 6. cap. 25.

HAbebat hic piscis 16. pæne unciarum longitudinem, ab ore ad extremam caudam; corporis vero ambitus 20. unciarum mensuram superabat. Ejus totum corpus fuscum albicantibus maculis conspersum: caput satis crassum elataque supercilia: os latiusculum & fissum, *Ranæ* os valde exprimens, præter aliorum orbiculatorum piscium formam: in dorso unicam pinnam inæqualem, à cervice ad extremum fere dorsum porrectam, fuscam ac albis maculis perinde notatam ac reliquum corpus: in singulis lateribus binos tuberum ordines habebat, ranicum spinæ rubi æmulorum, à vertice ad caudam usque porrectos, unum videlicet medio fere corpore, alterum paulo supra ventrem: post oculos binas alias pinnas satis longas & latas; in extremo præterea dorso unam, & alteram sub podice, utramque fuscam & albicantibus maculis conspersam, qualis etiam ea quæ extremam caudam occupabat. Piscis hujus iconem sed minus accurate delineatam *Gesnerus* exhibet *p.* 747. qui hoc genus Germanis *Snottolf* quasi myxinos aut mucones dictos scribit.

Orbis hujus Anatomiam exhibuit *T. Bartholinus Centur. Obs.* 2. *Histor.* 1.

§. VI. *Orbis muricatus* Ranæ *rictu*, Guamaiacu Atinga Marggravii lib. 4. cap. 14.

SEptem digitorum longitudinem habebat, & corpore erat oblongo. Os ei *Ranæ* simile, & loco dentium tam superius quam inferius, os durum: oculi magni, rotundi, protuberantes, pupilla crystallina, circulo flavo. *Branchiarum* loco foramen in utroque latere digitum admittens, & pone hoc pinnam trapezii figura, unum digitum longam, duos latam; in extremitate dorsi etiam versus caudam pinnam oblongam habet, haud amplam & è regione hujus similem in infimi ventris extremitate. Cauda constat pinna sesquidigitum longa, unum lata.

Totum corpus tegitur cute spinosa, quæ in capite in duram testam abit. Spinæ illæ constant duris ossibus & acutis: in infimo tamen ventre caret spinis, sed mollis est instar ranæ. Totum corpus & caput superius ex gryseo & fusco est maculatum: magis tamen fuscescit: inferius totum ex albo subflavescit, ut & spinæ totius corporis. Pinnæ omnes flavescunt. Post utramque pinnam postbranchialem maculam habet nigerrimam *Stuferi* magnitudine; & supra hanc utrobique, paulum tamen magis versus anteriora, aliam minorem nigerrimam: ad utrumque latus exortus pinnæ dorsalis etiam similem habet: parvulas item sub oculis & ore. Utris modo se inflare potest. Non est edulis: capitur in mari. Historia hujus piscis largius extat in *Pisone Nat. Histor.* lib. 5. cap. 16. ubi differitur de visceribus, veneno, & antidoto.

§. VII. *Orbis spinosus Clusii Exot. lib. 6. cap. 22.*

PRæcedenti non admodum dissimilis est, quem sic describit. Ab extremo ore (quod hians habebat & binis ossibus dentium loco præditum) ad caudæ pinnam usque septem uncias cum semisse longus erat; decem vero cum semisse crassus, id est $10\frac{1}{2}$ unciarum erat totius corporis ambitus: & dorsum fusci coloris, venter albi: toto autem corpore brevibus sed firmis aculeis erat obsitus. Latum caput habebat, elata supercilia, quæ tribus aculeis munita, & magnos oculos: quatuor porro pinnis præter eam quæ extremam caudam occupabat, erat præditus, utroque videlicet in latere post oculos una; tertia paulo supra extimam caudam, quarta inter podicem & caudam. Medium corpus utrinque post pinnas nigra macula insignitum, atque pinna supra caudam nigram etiam sedem habebat. *Longitudine septunciali, oculis magnis, capite lato, præcipue vero maculis nigris ad pinnas branchiales & dorsalem cum præcedente convenit; unde nobis idem specie esse videtur.*

§. VIII. *Histrix piscis* Clusii Exot. lib. 6. cap. 21. *Orbibus annumeranda.*

Magnitudo. OMnium (inquit *Clusius*) quos unquam hujus generis viderim *maximus* erat, ab extremo ore ad caudæ initium 20. uncias longus, me-
Cutis. dio corporis ambitu 29. crassus, squamis carens, & *cute* seu corio albe-
Spinæ. scente tantum tectus, undiquaque firmis & acutis *spinis* obsitus, quarum
Os. basis in binas alias breves & sub cute latentes desinebat. *Oris* aperti diameter trium unciarum erat, & aliquantulum prominebat: labra rugosa, binaque ossa pro *dentibus* habebat, superne unum, inferne alterum,
Dentes. utrumque fornicatum, & anteriore parte nonnihil, ut oris rictus, prominulum, ut prædam facilius apprehendere & retinere posset. *Oculos*
Oculi. satis grandes habebat, *supercilia* elata, & quatuor spinis horrida. Pone
Supercilia. oculos utrinque in lateribus, *pinna* tres uncias longa, & cum expansa
Pinnæ. pene 5. lata, inæqualiter finiente, præditus erat, binis etiam aliis ejusdem prope longitudinis, minus tamen latis, quarum una in extremo fere dorso supra caudam, altera sub podice. Caudæ pinna 4. uncias longa erat: breviores *spinæ* unciam longæ; longissimæ triunciales; me-
Spinarum mensuræ. diæ duarum unciarum. Longissimæ latera muniebant; reliquæ totum corpus, servata quadam serie; frequentiores quidem toto corpore spar-
Cutis color. sæ, circa caudam vero rariores, sed aliis multo crassiores. Ventris *cutis* alba, dorsi fusca, multisque nigris maculis distincta, veluti etiam latera à pinnis lateralibus ad caudam usque: Os magis adhuc fuscum: atque inter illud & oculos parvum foramen utrinque conspiciebatur, per quod, ut arbitror, respirabat. Spinæ supra caput erectæ, at quæ versus os vergebant,

gebant, in anteriorem partem conversæ. De internis partibus nihil pronunciare queo, quandoquidem à recens capto fuerunt exemptæ & abjectæ, & corium duntaxat à nautis funiculorum fragmentis suffarcinatum, ut commodius reficcarent & conservarent, mihi fuit conspectum. *Hæc omnia Clusius.*

§. IX. *Orbis muricatus alter* Exot. lib. 6. cap. 24. Clusii.

PIscem hunc *Clusius* non vidit, sed ejus iconem tantum coloribus expressam, à *Jac. Plateau* transmissam. Ab extremo rostro ad extimam caudam pæne 11. digitos longus; ejus vero ambitus multo major, ut qui 16. digitorum longitudinem expleret; per universum corpus muricatis spinis munitus; coloris in dorso fusci, & multis nigris maculis conspersi, in ventre autem cineracei. Supercilia elata erant; os aliquantulum prominulum, & duobus albis ossibus præditum: an vero dentes etiam introrsum habuerit, me latet. Binas pinnas in lateribus habebat, non valde magnas; alias item binas, quarum una in extremo dorso paulo supra caudam, altera post podicem, fusci coloris & nigris maculis notati, quemadmodum & illa quæ extremam caudam finiebat. Hic orbis idem esse videtur cum orbe *Batrachoide Mus. Soc. Reg.*

§. X. Guamaiacu Guara *Brasiliensibus*, *Lusitanis* Peixe Porco *&* Diabe, *Histrici* Clusii *idem esse videtur*.

ORbis est species. Longitudo ejus ab initio oris ad pinnæ exortum in cauda 14. digitorum. Pinnæ caudæ longitudo plus duorum digitorum. Rotundo est corpore, & crassities ejus 22. digitorum. Caret squamis; tegitur cute per totum corpus ex fusco ochræ coloris pallidi, in ventre albi. Totum corpus aculeis munitum est, qui in lateribus longiores, in reliquis partibus breviores (longiores autem sunt duorum digitorum) teretes, in extremitate valde acuti, & singuli tribus insertionibus quasi triquetris cuti infixi. Inter aculeos cutis ubique maculis nigris scatet, excepto ventre. Oculos habet magnos, eminentes: Os parvum, obrotundum, edentulum: pinnas tantum quatuor, duas in lateribus $2\frac{1}{2}$ digitos longas, unam in dorso versus caudam ejusdem magnitudinis, & minorem sub ano.

In vivis, quos postea nactus sum minores, cutis è fusco virescebat, in ventre nigricabat: aculei ut prioris, & similis plane figura corporis. Prope quamlibet pinnam macula erat nigra, & utrinque ad latera prope os. Pinnarum color erat flavus: oculorum pupilla nigricans, circulo luteo. Supra utrumque oculum cornu exile, satis longum, molle, cutacea substantia constans, quod præ se fert natans, quando autem extra aquam est flavescit. Inflare se potest & iterum considere. Si velis ut se inflet, trahe pinnam quæ in dorso est. *Hic piscis tribus illis aculeorum singulorum in cute insertionibus ab Histrice* Clusii *differre videtur.*

§. XI. *Orbis oblongus Testudinis capite* Clusii Exot. lib. 6. cap. 26.

AB extremo ore ad pinnam, quæ in extrema cauda, plusquam pedalem habebat longitudinem, quantum quidem ex pictura conjicere licebat: ejus autem crassitudo inæqualis: nam medio corpore à summo dorso ad infimum ventrem 4. uncias altus erat, circa collum & binas pinnas quæ in extremo fere corpore minus latus: quanquam ipsius

piſcis longitudinem majorem fuiſſe facile mihi perſuaſerim, atque etiam craſſitudinem, ut è Orbe muricato altero & Orbe Ranæ rictu binis præcedentibus conjecturam facio: quandoquidem ex eorum menſura ad me miſſa comperiebam longiores & craſſiores fuiſſe quam ex pictura adnotaveram: itaque ſuſpicor ejus longitudinem minorem non fuiſſe decem & ſeptem unciarum, corporis vero ambitum, ubi maxima craſſitudo, ſedecim unciarum aut paulo majorem. Corium quo totum ejus corpus tectum, fuſci coloris, & teſſellis inæqualibus varie diſtinctum, modo fere orbicularibus, modo rhomboide figura, modo quadrangula, iiſque omnibus maculas albas varie ſparſas habentibus, eleganti ſpectaculo: collum ipſius, præter aliorum piſcium orbiculatorum naturam oblongum; caput etiam magis prominulo roſtro præditum, teſtudinis caput quodammodo referebat, bina oſſa alba pro dentibus habens, ut Orbes muricati. In ſingulis lateribus juxta collum pinnam habebat ex fuſco rubeſcentis coloris; ſimiles erant binæ illæ, quarum una in extremo dorſo ſupra caudam, altera in ſupina parte poſt podicem: ſimilis etiam quæ extremam caudam (non minus longam quam in Hiſtrice) occupabat, latiuſculaque erat. *Hactenus* Cluſius *ex intuitu iconis pictæ.*

C A P. II.

Oſtracion Nili, quem Bellonius *Holoſteum appellat.* Geſn. 757.

VIdimus quoque (inquit *Bellonius*) alterius piſcis Nilotici ſceleton holoſteon à circulatoribus circumferri, cujus forma ad pentagonum accederet, pedalis interdum longitudinis, quem cum nacti eſſent incolæ, curabant ab interaneis prorſus emundari, deinde vero teſtam illam duram qua contegitur, multos annos incorruptam ſervabant, ut inde lucrum conſequerentur, qnod à negotiatoribus externis novitatis gratia hujuſmodi piſcis emi ſit ſolitus. Cæterum dum vivus eſt, penicillum in cauda habet, & pinnas ſupra & infra caudam: rurſus pinnam aliam utrinque; oculos albos, os parvum. Color ejus lacteſcit & velut in pallidum languet. Cæterum ejus nomen me hucuſque latuit. Hæc ex *Bellonii* libro.

Ego, inquit *Geſnerus*, Oſtracionem hunc piſcem nominandum conjicio, nam & teſtam Oſtracei inſtar duram habet, & Ὀστακίων piſcis inter *Niloos* à *Strabone* numeratur. In noſtris quidem *Strabonis* codicibus impreſſis στακίων ſcribitur, ſed interpres Latinus Ὀστακίων legiſſe videtur: vertit enim ex teſtaceis imperite: & in Epitome legitur Ὀστακίων.

C A P. III.

Oſtracion prior Aldrovand. *an piſcis quadrangularis* Wormii? *An Piſcis quadrangularis Muſei Soc. Reg. qui nobis Oſtracionis ſpecies videtur?*

AB Indiis orientalibus tranſmiſſus, quindecim circiter digitos longus eſt, quatuor altus ſeu latus, media parte 3½ craſſus. Frons quadrata, ob ſupercilia eminentia aliquantulum concava, 2½ digitos lata; Oculi unciali prope diametro ſunt. Roſtrum obtuſum, non admodum declive,

declive, ſeſcunciam longum. Narium loco duo parva foramina. Os minimum vix digitum latum: Dentes quoque minutiſſimi: Branchiæ rectæ, $1\frac{1}{4}$ dig. longæ; Dorſum paululum convexum, verſus caudam & ad latera, obtuſangulum, pariter & venter, verum planus & verſus caudam aſſurgens. Quinque duntaxat pinnas habet: branchiales in longum duas uncias extenduntur, & totidem in latum patent, ſitu nonnihil obliquo. His ſimiles paulo ante caudam duæ, altera ſupra, altera infra. Caudæ pinna tres digitos longa, $3\frac{1}{2}$ alta ſeu lata. Maxillarum & caudæ pars aliqua cute duntaxat integuntur: reliquum corpus cruſta quadam, minus dura quam in cruſtaceis dictis exanguibus. Cruſta hæc innumeris undique ſubrotundis tuberculis exornatur, quæ in figuras plerunque hexagonas diſponuntur, in triangula æquilatera ſubdiviſas.

Quam diximus cruſtam qua piſcis hic integitur, proprie loquendo nec cutis eſt, nec cruſta, ſed medium quiddam inter utrumque, ſeu cruſta cuti innata.

Datur & alius hujus generis maculis nigris varius.

CAP. IV.

Piſcis triangularis Exot. *lib.* 6. *cap.* 27. Cluſii, Guamajacu ape Marggravii: *Species utraque.*

Cornutus *Marggravio* deſcriptus ab ore ad initium caudæ 7 digitos longus erat (ſunt autem majores) à ventre ad dorſi ſummitatem 3 digitos latus ſeu altus: venter vix 2 digitos latitudine complevit. Cauda unum digitum lata erat, definens in pinnam duos digitos longam & totidem latam [menſuræ nonnihil variant in piſce paris longitudinis Cluſio deſcripto, nam venter 3 digitos latus erat] os ipſi parvulum, & piſi tantum capax, duodenis dentibus firmis, ſerratis & contiguis in ſuperiore maxilla præditum; in inferiore autem 8 majoribus & ſerratis. [*Marggravius* (quod mirum) in duobus quos deſcribit hujus generis piſcibus 5 tantum dentes in inferiore maxilla obſervavit, *Cluſius* in duobus 8] Caput ab ore ad cornua uſque in gibbum aſſurgit, convexitate ſeſquidigiti; dorſum autem ad eundem modum in gibbum arcuatur, & unicam tantum habet pinnam in poſteriore parte verſus caudam & quidem exilem. Oculos habet ſatis amplos, diametro trientis, ſuperne in capite in fronte poſitos, prope cornua, ab ore circiter ſeſquidigiti intervallo: & ante ſingulos oculos foraminulum unum. Pinnas in univerſum obtinet 5; unam in extremo dorſo, ut jam dixi, & in quolibet latere unam, longe infra oculos, verſus poſticam corporis partem paulum vergentes, unum digitum longas; & prope utramque rimam unam, plus ſemidigito longam branchiarum loco: unam denique pinnam inferius in ventris extremitate prope exortum caudæ unum pene digitum longam; quinta facit caudam. Cornua duo ante ſe protenſa in fronte gerit prope oculos, magnitudine calcaris Galli gallinacei; duo itidem æqualis magnitudinis in infimo ventre verſus quartam pinnam. Caret ſquamis ſed tegitur cute denſa, in ventre quidem alba, reliquo corpore fuſca, atque in ventre & lateribus uſque ad altitudinem oculorum figuris trigonis, tetragonis, pentagonis, hexagoniſque mire diſtincta & notata. Ubique autem (excepto infimo ventre) eadem cutis variis maculis nigricantibus eſt inſignita.

Cornibus carens ventre eſt latiore, & cauda paulo longiore, & eſt per totum corpus ſexangularibus figuris inſignitus, cum innumeris tuberculis minimis. Color ventris ſubflavus, reliquo corpore ex flavo cinereus & ſubfuſcus. Os anguſtum: denticuli oblongi, lateſcentes, inferius quin-

que, superius undecim. Oculi ampli rotundi, magnitudine grossi Misnici; pupilla crystallina, cætera coloris umbræ cum argenteo mixti. Cauda duos & semis digitos longa, teres, extra testam prodiens, molli cute vestita, habens pinnam duos digitos longam & totidem latam, quasi quadratam, sed in lateribus lunatam. Quodlibet latus versus posteriora desinebat in pinnam.

Caret fere carne, ac cavus est, solam spinam secundum longitudinem habens, cui per membranas intestina adhærent. In ventriculo multum inveni arenæ.

Pisciculus Cornutus seu *Ican Setang. Jacobi Bontii.* lib. 5. cap. 26. an idem cum cornuto *Marggravii?*

Capitur hic pisciculus inter rupes plerumque littoribus *Javæ* vicinas, non majoris magnitudinis, quam qua ad vivum depictus est; armatur duobus præacutis & duris cornibus in parte anteriore frontis; gerit præterea duo cornua circa podicem, quibus se ab injuria majorum piscium egregie defendit; alacer valde est & mobilis instar porcelli piscis. *Lupo* marino & huic pisciculo (ut à piscatoribus *Chinensibus* accepi) summæ inter se inimicitiæ sunt; nam ut omnia devorare cupit lupus marinus, si prehenderit hunc pisciculum, ille suis cornibus tantum molestiæ exhibet in ventre, ut nisi prompte ipsum evomat, certissimam mortem incurrat. Ictus ejus virulentus est, ut diximus de *dracone* marino. Caput valde simile est bubalino, cum prægrandibus oculis, squamis undiq; tam duris obsitus est, ut avelli sine cute non possint; propterea *Chinenses* & *Mauri*, qui eo vescuntur, non secus ac ranas, excoriant; sed certe carnis est durissimæ, & minus salubris, non secus ac *Orbes, Sepiæ, Loligines,* & *Polypi.*

CAP. V.

Pira aca *Brasiliensibus: Monoceros piscis* Clusii Exot. *lib. 6. cap.* 28.

AB initio oris ad exortum caudæ plus 3. dig. longus erat; 2. latus ubi latissimus: corpore plano & compresso, lateribus latitudinem facientibus, non ventre aut dorso. Os plane exiguum, figuræ porcinæ (unde & *Peixe Porco* Lusitanis dicitur) & anterius in inferiore mandibula duos habet dentes latiusculos, ut Orbes habere solent, in superiore plane parvulos: oculos satis amplos flavescentes, pupilla nigra. Supra oculos in dorso, paulum versus posteriora corniculum erectum fert, paulum versus posticam partem corporis incurvatum, minus uno digito longum, rotundum, crassitie mediocris fili, & duplicem ordinem habens denticulorum seu spinarum acutarum, cuspidibus versus dorsum vergentibus, per membranulam quandam tenuem quasi sustentatur, quæ transversim dorso annectitur. Non potest autem corniculum deponere, ut *Clusius* putat. Ab ore superius versus in altum assurgit caput usque ad corniculum, quod quasi colliculo insidet, dein recto tramite deorsum fertur, & iterum in collem Cameli similem assurgit, ibique pinna tenuis, angusta sumit initium, quæ paulo plus unius digiti spatio extenditur in dorso, quod ibi descendit versus caudam. In opposita parte corporis inferioris similis pinna est. Porro ab oris quoque inferiori parte descendit corpus, ac primo sub utroque oculo in quolibet latere rimulam habet branchiarum loco, & sub rimula parvam pinnulam parallelogrammi pene figura: corpus autem ipsum inferius extenditur in crassam & plusquam sesquidigitum latam, & unum longam pinnam, quæ firma spina in ipsa cute latitante sustentatur, &

hæc

hæc versus extremitatem habet etiam corniculum parvum spinosum. Caudæ exortus quadratum refert, habens pinnam tribus lateribus quadratam, extremitate arcuatam, $\frac{3}{5}$ digiti longam & unum fere latam. Cutem habet ad tactum scabram, ut cutis est *Panapanæ*, coloris obscure flavi seu umbræ, uti & pinna & cornicula & cauda. Pinnis tamen aliquid aurei admixtum: ut & ipsi cuti versus dorsum, ut plerunque habere solent omnes Orbis species: nam Orbis speciem eum deputo, quum, ventrem aliquo modo possit inflare.

CAP. VI.

Adrov. *lib.* 3. *cap.* 45. *p.* 410. *Mola* Salviani, *Orthragoriscus* Rondeletii; The Sun-fish.

Corpore est lato, brevi: posterior pars pinna circulari cingitur, quæ ei pro cauda est: adeo ut videatur esse caput piscis, aut piscis dimidiatus, cui cauda seu posterior medietas abscissa est, non piscis integer. Ad 100. libras interdum *pondere* accedere dicitur. Quem descripsimus duos pedes longitudine superabat. Squamosus non est, verum cute dura, crassa & aspera integitur. *Color* in dorso nigricans, in ventre argenteus; Latera de utroque participant. Tum medium dorsum, tum imus venter in acumen desinunt. *Os* imo minimum pro piscis magnitudine, parvum, cum hiat subrotundum. *Maxillæ* duræ, interius cultri instar acutæ, anterius asperæ velut transversis dentium ordinibus. Caput anterius non prominet. *Nares* parvæ duplices, inter oculos & os sitæ; præter nares quatuor alia in *capite* majora *foramina* sunt: anteriora duo ab extremitate rostri digitum $1\frac{1}{2}$ remota, in superiore capitis parte ad acuminis latera utrinque, rotunda: posteriora in ipso vertice, 4 digitorum ab extremo rostro distantia, anterioribus majora. Quatuor hæc foramina in angulis Parallelogrammi rectanguli consistunt. Quis horum foraminum usus sit nobis non certo constat. Superiora fortasse meatus sunt auditorii; inferiora aquæ excipiendæ, quam per branchias iterum emittant, inserviunt. *Oculi* digitos $3\frac{1}{4}$ à summo rostro distant, suntque pro piscis mole exigui. Pupillam circulus argenteus ambit, reliquum iridis fuscum. Unum duntaxat habet par *pinnarum* ad branchias, quæ radiis duodecim constabant. Sunt autem pinnæ hæ exiguæ, subrotundæ, à summo rostro digitis $7\frac{1}{3}$, ab ima ventris carina 8 remotæ. Ad radices seu initia harum pinnarum magnum utrinque *foramen*, figuræ ellipticæ, valvula sua seu operculo donatum, pro aperturis branchiarum. Versus extremam corporis partem duæ magnæ & præaltæ pinnæ, sibi mutuo directe ex adverso, una in summa dorsi acie, altera in ima ventris carina, æqualis circiter tum altitudinis tum latitudinis. In descripto pisce Spithamam & amplius altæ erant. Corpus extremum pinna quadam semicirculari cingitur, quæ pro *cauda* est. Radiis cartilagineis rarioribus intus fulcitur, qui in vivo pisce ob pinnæ crassitiem non apparent, in exiccato facile cernuntur. Ubi corpus in caudam tenuari incipit, cutis velut transversa fascia exterius apparet. Branchiæ quatuor sunt, quarum cartilago fulciens infra se propendentem habet membranam ultra radios suos cartilagineos.

Figura. Magnitudo. Pondus. Color. Os. Maxillæ. Nares. Foramina in capite. Oculi. Pinna. Foramina Branchiarum. Cauda.

Quod ad interiores partes attinet, *Hepar* magnum, crassum, subrotundum, albicans, non divisum in lobos, in sinistro latere situm; cui adhæret *cystis fellea* perampla, cujus meatus in ipsum ventriculum non procul à superiore ejus orificio inseritur, quod huic pisci soli ex omnibus quæ hactenus dissecui animalibus proprium. *Lien* parvus admodum, mollis,

Hepar. Cystis fellea. Lien.

mollis, nigricans, in dextro hypochondrio ventriculo incumbens. Renes amplissimi, versus superiorem cavitatis abdominis partem siti, ab occipitio pone oculos incipientes, & ubi costæ sub abdomine spinæ dorsi articulantur desinentes, geminis ureteribus instructi, qui tandem in unum truncum coeunt, & in Vesicam urinariam amplissimam, longam, versus ejus fundum intrant. Urethra non in anum terminatur, sed foramine sibi peculiari paulo infra anum abdomine egreditur. Intestina crassa sunt, ut in Quadrupedibus, variis anfractibus convoluta. Vasa seminalia, (seu uteri seu testes) exigua, longa, prope anum sita. Pericardium validum & aqua plenum. Aorta in 4. hinc inde ramos tota distribuitur. Singuli rami ad singulas branchias tendunt, quas circa medium subintrant, & in ramos hinc inde versus extrema abeuntes divaricantur, secus quam in aliis piscibus fit, quarum branchias in extremis ingrediuntur. Vasa pariter reductricia, ex singulis branchiis singula, sanguinem reportant, quæ in unum ex utroque latere truncum concurrunt, non omnes in unum utrique lateri communem, ut in aliis piscibus.

Caro valde mollis est; ossa omnia cartilaginea, & mollia; super ventrem costæ nullæ, sed infra abdomen solum. Cutis arcte adhæret carni, & difficulter separatur.

Nominis ratio. *Rondeletius* piscem hunc suis [*Monspeliensibus*] Lunam dici scribit, vel quoniam extrema corporis parte, quæ pinnis subest, Lunæ crescentis figuram aptissime referat, vel quia demptis pinnis toto corpore rotundo est, Lunæ plenæ instar: ob quam rationem nostratibus *the Sun-fish* i. e. Sol dicitur, vel denique quod noctu splendeat, ita ut ex partibus ejus nonnullis ignis, vel aliquod illustrissimum lumen, emicare videatur, ita ut servus aliquando meus (inquit ille) cum noctu in locum in quo erat incidisset, territus inde fugerit. Verum noctu lucere huic pisci proprium non est, sed aliis multis commune. Nos *Genuæ* Pagrum piscem noctu fulgentem totum instar prunæ ardentis non sine admiratione primum conspeximus; Rhombum quoque grandem non ita pridem hic *Middletoni* in tenebris lucentem cum tota familia vidimus.

In pisce 23 pollices longo à summo Rostro ad nares digiti erant $2\frac{1}{2}$; ad oculos $3\frac{3}{4}$; ad branchiarum angulos $6\frac{1}{2}$; ad pinnas branchiales $7\frac{1}{2}$; ad pinnam dorsi 15; ad exitum excrementorum $15\frac{1}{2}$. ad pinnam retro anum $16\frac{1}{2}$. Latitudo maxima 16 erat digitorum: distantia pinnarum branchialium ab imo ventre 8: Pinna dorsi & eidem ex adverso in ventre à cauda pariter, (5 scil. digitos utraque) distabant.

Capitur in mari Mediterraneo; atque etiam in Oceano. Nos in Repositorio Societatis Regiæ pellem Molæ suffultam; *Pensantiæ Cornubiæ* piscem ipsum in vicino mari captum vidimus & descripsimus.

CAP. VII.

Capriscus Rondeletii Gesn. 214. *Capriscus Pesce Balestra* Salviani *p.* 207.

Oculi. Os. Dentes. CAper (molæ piscis instar) caput utrinque admodum compressum habet *oculos* rotundos atque in superiore capitis parte locatos; *os* parvum & valde denticulatum; utraque enim maxilla octonis *dentibus* validissis, magnis, latis, non serratis; sed continuis atque humanis simillimis, munita est: unde jure dicit *Ælianus*, marini Mures & si non magno sint corpore, inexpugnabili tamen septi sunt robore atque muniti

niti, quippe qui ad propugnandum duplici confidunt armaturæ, præduræ nimirum pelli & dentium robori, cum valentibus enim piscibus & rei piscatoriæ peritissimis hominibus pugnant. *Branchias* utrinque quaternas non osseo & dearticulato (reliquorum squamatorum instar) operculo, sed cute contectas; nec lata sed modicula scissura (molæ piscis more) pervias habet. *Branchiæ.* Utrinque una tantum *pinna* parva & rotunda ad branchias conspicitur, nam illis, quæ in piscibus aliis utrinque in ventre sunt conspicuæ, prorsus caret. *Pinnæ.* In dorso fere medio tres membrana inter se juncti reperiuntur aculei robustissimi & magni, quorum prior reliquorum duorum triplus est, quosque omnes non solum ubi vult deprimit; sed in sulcum etiam osseum, in dorso ob id sculptum, recondit. Depressi autem & reconditi uti quam facillime omnis simul eriguntur, ita eorum unus duntaxat erigi nequit. Et pari ratione erecti omnes deprimi possunt, cum eorum unus solus nequeat; suntque ea arte fabrefacti, ut cum prior major quantumvis impulsus deprimi nullo prorsus pacto possit; postremi tamen depressione; quæ facillima est, statim deprimitur; non secus quam in Arcubalistis vocatis accidit; in quibus parvo ac inferiori ferreo vecte com compresso tensus illico remittitur Arcus, ob cujus similitudinem hic piscis noster Romæ *Pesce balestra* vocatur. Et quod majore dignum est admiratione, si postremus Aculeus non prorsus deprimitur, ficuti prior quoque proportione duntaxat deprimitur; sic ibidem etiam ita rursus consistit atque obfirmatur; ut nullo impulsu ulterius deprimi possit, nisi iterata postremi depressione. Hos ternos aculeos pinna sequitur ad caudam usque deducta. Osse autem valido lato & recurvo, ex cordis loco ad eam ventris partem, quæ è branchiarum regione est primum reflexo, deinde per Ventrem sub cute usque fere ad podicem extenso, ibidemque postremò in acutissimum & conspicuum aculeum desinente tota anterior Ventris regio roboratur atque munitur. Quæ vero inter prædictum aculeum & podicem Ventris portiuncula relinquitur, plerisque aliis longe minoribus sed satis robustis atque serratis aculeis armatur. A podice per ventrem reliquum ad *Caudam* usque alia singularis pinna deducitur. *Cauda* (quæ non sensim ut reliquorum piscium, sed repente extenuatur) in unicam & latam pinnam degenerat. *Cauda.* Ventriculum habet amplum & Crassum; *intestina* lata & valde reflexa; hepar subalbidum cui fellis hæret Vesica. *Intestina.* Corio tegitur squamoso, cujus tamen *squamæ* serpentis potius quam piscis videntur; nam præterquam quod eo ordine sunt commissæ, ut lineas cancellatim sese intersecantes constituant; firme etiam & valide adeo hærent; ut desquamari nequeant, unde ita durum & asperum efficitur ejus corium, ut vix dissecari queat, atque lignum & ebora eo poliri possint. *Squamæ.* Quod ad *colorem* attinet, ex livido viret nonnullis parvulis notis cæruleis conspersus; dorsi vero & ventris pinnæ nigricantes cæruleis & rubentibus maculis quamplurimis insigniuntur. *Color.* Estque totius piscis figura valde compressa & lata atque fere orbicularis; ad multam magnitudinem non excrescit, duas enim libras raro excedit.

Piscis hic Καπρίσκος à Græcis dicitur, & μῦς, & à *Strabone* lib. 17. Χοῖρος, qui à nostris (inquit *Rondeletius*) & Siculis *Porco*. *Ratio nominis.* Ob nominis identitatem (ut vocant) & quoniam aculeis in dorso armetur validis, asperis, acutis, *Gesnerus* quærendum proponit, an sit *Plinii* porcus, de quo scribit; *Inter venena sunt piscium Porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorum: remedium est limus e reliquo piscium istorum corpore.* Quomodo *Rondeletius* piscem hunc μῦν *Oppiani* & *Athenæi* esse probat; & καπρίσκον hujus, *Strabonis* autem Χοῖρον, apud ipsum vide.

Capitur in Mediterraneo mari, sed rarius, ut puto; nos enim nec Romæ, neque alibi in Ialia eum in Foro piscatorio invenimus; vidimus autem sæpius exiccatum, in museis curiosorum suspensum. Quocirca descriptionem *Salviani* plenam sane & accuratissimam, *Rondeletiana*

omissa, ut quæ nihil præterea singulare contineret, mutuati sumus.

Guaperva Brasiliensibus, *Peixe porco* Lusitanis *Marggravio* lib. 4. cap. 12. descriptus ab hoc non videtur specie differre. Ab ore, inquit, ad initium caudæ 15. digitos longus est; in medio, ubi latissimus, octo latus: corpore paulum compresso ac lato, dorso arcuato, ventre adhuc magis curvo: capite porcino: dentibus caninis, albis, longis; octo in quolibet mandibula: duo medii, tam inferius quam superius longiores sunt reliquis: Dentes inferioris mandibulæ aliis quasi brevioribus sustentantur: Os subrotundum, angustum: quatuor fere digitorum interstitio ab ore superius sunt oculi, sesquidigitum à se invicem distantes, majores grosso Misnico (& ante eos quasi vestigium foraminis) pupilla crystallina, circulo aureo maculato cæruleo. *Branchiarum* loco rimam habet duos digitos longam, plus uno latam. In dorso tres pene digitos post oculos duo habet cornua, unum pennam olorinam crassum, tres digitos longum, quod versus posteriora paulum inclinatur, alterum parvum per membranam alteri adnexum: utrumque in rimam recondere potest demissum. Trium & semis digitorum intervallo post hæc pinna est, in initio ferme triangularis, hinc magis magisque angustatur ad caudam fere; quinque digitos longa, initio paulo plus duobus lata: & è regione in infimo ventre talem, initio duos & semis digitos latam, magis magisque arctatam versus caudam. Cauda quadrata figura à corpore extenditur, & pinnam habet 4. digitos latam, duos longam, quæ in duo cornua dilatatur, ut totius longitudo sit quatuor digitorum. In medio inferioris corporis parvam habet pinnam, & ante eam cornu sesquidigitum longum. Pinnæ omnes sustentantur spinis, & sunt cœrulei coloris; Venter albicat. Squamis vestitur elegantibus, in superficie sua punctulis thalassinis cum cœruleo Indico umbratis, in dorso magis cœruleis. Ab oris summitate in utrumque latus ad pinnas postbranchiales, semilunari figura duæ lineæ crassæ cæruleæ, unius digiti intervallo ducuntur. Comeditur assatus, coctus non valet. *Hæc* Marggravius, *cujus integram descriptionem apposuimus, ut Lector eam cum nostra, hoc est Salviani, conferendo ipse judicium ferat. Notæ pleræque conveniunt, nonnullæ a Salviano omissæ sunt; reliquæ quæ diversæ videntur, accidentalem potius quam specificam differentiam arguunt; excepto duntaxat cornuum seu spinarum in dorso numero, in quo vel* Marggravium, *vel eum qui opus* Marggravii *edidit errasse suspicor.*

Secundum figuram *Pisonis* editi An. 1658, cauda *Guaperva* in duo Cornua satis longa dilatatur, ideoque potissimum discrepat à Capriscis, quibus brevis & quadrata existit. *Piso* lib. 3. p. 57.

Duæ adhuc aliæ Caprisci species in Museo Societatis Regiæ *Londini* asservantur, quas in Catalogo & descriptione Musei Soc. Reg. *D. Grew* sic describit.

Prior, (quem *Capriscum longissimum* seu *spinosum* vocat) à *Salviani* pisce in eo præcipue differt, quod squamarum lateralium posteriorum, versus caudam uniuscujusque centro spina innascitur brevis, retrorsum spectans; quodque pro magnitudinis ratione piscis hic longior & depressior sit, rostro breviore minusque declivi, pinna denique caudæ contractiore minusque dilatata quam in illo.

Alter (quem *Capriscum* striatum appellat) à præcedente in eo differt quod squamæ aculeatæ non sunt, sed lineis multis tenuibus striatæ, antrorsum integræ, posteriora [piscis] versus è plurimis tuberculis compositæ.

Considerandum an non *Capriscus* (quemadmodum alii nonnulli pisces) diversis anni temporibus spinulas in squamis acquirat & amittat.

Aper *Bellonii Gesn.* p. 70. Caprisco *Rondeletii* affinis & valde similis, si non idem.

Capros Aristoteli, Plinio Caper, aliis *Aper,* piscis est quem amnis *Achelous*

lous gignit, qui nonnunquam grunnire creditur.

Eum primum apud *Epidaurum*, quam nunc *Ragouſam vecchiam* vocant conſpexi, *Cyprini* magnitudine. Hic aliorum piſcium more branchias non habet detectas, quanquam quaternas intus conditas ferat, ut *Exocœtus* & *Muræna*. Os parvum oſtendit, in quo dentes albi, humanis æmuli, in gyrum ſiti ſunt. Duas fert in tergo pinnas, quarum prior fortibus aculeis obfirmatur, quibus audacter, ſi quos piſces oderit, aggreditur. Pelle integitur dura atque aſpera, qua ligna expoliri poſſunt. Squamis caret. Altera pinna tergoris vicenis nervis conſtat. Corpus habet circinatum & planum. Lineas fert cancellatas in cute. Unam utrinque gerit in lateribus pinnam: Oculos ſurſum in capite ſitos: Pinnam in cauda rotundam. In ſumma piſcis hic aliorum non ſervat normam.

Ex quo hæc conſcripta erant, Clariſſimus Vir D. M. *Liſter* diligenter perluſtravit varias Orbium ſpecies in Muſeis *Londinenſibus*, quoſdam novas ſeu non deſcriptas invenit, varios errores correxit, & ſequentem diviſionem adjecit.

I. Orbes, quibus bini dentes.

Hiſtrix piſcis *Cluſii*. *Guamaiacu Guara Marggrav.* an Orbis Muricatus primus & alter *Cluſ.*

N.B. differt à noſtro Hiſtrice, quod noſtro ſupercilia elata non ſunt; nec caput compreſſum, planum, & exertum; quod hic ex toto maculoſus eſt, noſter non item, &c.

Hiſtrix alter, capite anguſto, ſubrotundo, & admodum ſpinoſo, ſcilicet ſpinis prælongis in ipſo capite & ſcapulis donatus.

Orbis ſpinoſus *Cluſ. Guamaiacu Atinga Marggrav.* attende deſcriptiones *Marggrav.* & confer.

N.B. adde hujus piſcis ſpinas compreſſas eſſe, gladiolorum more, cum eæ ſuperioribus teretes ſunt; item huic quaſi latæ quædam faſciæ ſtriæve fuſcæ ſecundum longitudinem dorſi deducuntur.

Alter *Atinga* minor orbicularis. Orbis ſpinoſus forma ſphærica *Calceolarii.* An orbis *Atinga* ſexus Maſculini *J. Bontii*: vix Ovum majuſculum anſerinum magnitudine explet. Superiori valde ſimilis, niſi differt, quod huic caput rotundum, & minime erectum, ſine ſuperciliis elatis aut ſtriis: item huic ſpinæ in Ventre, ſuperiori non item, huic tamen illæ inſignes, & latæ maculæ nigræ ad pinnas & ad caudam: quæ minime exprimuntur figura *Calceolarii*, quæ tamen alias ab eo optime pingitur.

Orbis muricatus & reticulatus: hic in maximis Orbibus ponendus eſt. Huic admodum breves ſpinæ, ſcilicet quæ parum eminent, compreſſa acie; at earum radices triquetræ adeo turgent & implicantur, ut quaſi reti quodam, ex craſſis maculis tegi videatur: ambæ noſtræ exuviæ capite truncatæ ſunt.

Orbis *Ranæ* rictu *Cluſ.*

Orbis Oblongus Teſtudinis capite *Cluſ.*

II. Orbes, quibus quaterni dentes.

Orbis primus *Rondelet.* Ægyptiacus *Salvian.*

Orbis Aſper maculoſus. N. B. huic per totum corpus denſi & exigui murices. Orbis hirſutus *Wormii.*

Orbis Lagocephalus *Grevii.*

Orbis Scutatus *Rondelet.*

Orbis echinatus ſeu muricatus *Rondelet.* N. B. Superioris capitis omnes Orbes muricati bidentes ſunt, atque adeo hic ab iis differre debet.

III. Orbes, quibus plurimi dentes.

Ostracion prior *Aldrovand.* an Nili *Bellon.* N. B. huic in dorso eminent quatuor parva tubercula in positu quadrangulo.
Ostracion alter gibbosus *Aldrovand.*
Ostracion tertius rostratus; huic desunt superscripta tubercula, at rostrum sive nasus admodum producitur in quendam mucronem.
Piscis triangularis *Clus.* cum cornibus.
Piscis triangularis *Clus.* cornibus carens.
Pisciculus cornutus seu Ican Setang *J. Bontii.*
Orbibus multidentibus accedunt Guaperva *Marggrav.* Caprisci & reliqua sequentia in hoc capite.
Hæc omnia a Clarissimo Viro D. M. Lister.

CAP. VIII.

Stromateus Rondeletii lib. 5. cap. 24. *Callichthys* Bellonii Gesn. p. 1109. Fiatola *Romæ dictus* Aldrov. Licette *Venetiis, Rom*æ Lampuga.

Figura corporis Rhombum piscem imitatur, namque & latus, & tenuis, & quadratus est, tum ventre, tum dorso acuto: erectus tamen natat. Romæ invenimus hujus generis dodrantem longos, pondere sesquilibrali. Color ei in dorso coeruleus dilutior, in imis lateribus & ventre argenteus. In dorso & supra lineas punctatas maculis & ductibus flavis obscurioribus varie & perbelle pingitur; infra lineas maculis ejusmodi flavis seu aureis, quæ tamen in junioribus vix cernuntur. [*D.Willoughby* per latera duas lineas observavit, alteram rectam, alteram in arcum inflexam.] Squamis tegitur minutissima & tenuissima cute, ut difficulter excoriari possit. Cauda admodum forcipata: Rostrum obtusum: Os perexiguum: Lingua lata, obtusa, glabra. Dentium minutissimorum in maxillis ordo unus. In palato duo oblonga officula aspera. Oculi exigui, non longe ab ore, nulla præter tunicas proprias membrana obducti: irides argenteæ. Pinna ad branchias hinc inde una est, radiis numerosissimis, viginti quinque nimirum aut pluribus, instructa. Inferiore pinnarum pari quæ in ventre esse solent prorsus caret, quod singulare est, & præter cetaceos & anguilliformes huic generi proprium. In ventre tamen apparet quoddam quasi rudimentum pinnarum. Pinna dorsi tertia circiter longitudinis totius parte à summo rostro distat, crassior est & utrinque communi cute tecta, ad initium caudæ uno minus digito producta, radiis circiter 46. cartilagineis & flexilibus, quorum primus brevissimus, sequentes sensim longiores ad 4^tum^ aut 5^tum^ usque (qui altissimus est) caudam versus reflexi; reliqui paulatim decrescunt. Quæ retro anum est aliquanto longius à summo capite incipit, & in omnibus cum præcedente convenit excepto radiorum numero, qui in hac non plures sunt triginta quatuor.

Intestinorum respectu diversus est hic piscis ab omnibus quos mihi hactenus videre contigit. Nam primo duos habet ventriculos; primum retro cor, prope ipsum os situm, quem echinum non ab re dixeris: carnosus enim est, & apophysibus longis, asperis, crebris, pellis erinacei fere in modum intus consitus. [Appendices hæ in sex radios divaricantur cylindriace supra centrum stellæ erectæ *D. Will.*] Exterius didymorum aut prostatarum geminarum speciem exhibet. Orificium

ejus

ejus inferius in ipso fundo in secundum ventriculum aperitur. Ventriculus isthic grandis est membranosus, ultra anum ipsum extensus. Ad pylorum varios habet appendicum truncos, qui in plures mox ramos divisi in minutissimos tandem surculos desinunt qui quodam quasi parenchymate albo contexuntur, & placentam uterinam referunt, ut in Pelamide. Intestina longissima, in varios flexus & mæandros intorta & revoluta, succo intus purpureo exundantia, qui excrementa omnia eodem inficit colore, & à podice subinde exiens latera piscis hilari purpura tingit. Infra exitum excrementorum (nam cavitas abdominis ulterius extenditur) duo observavimus corpora longa, flava, tenuia, intus succo, spermatico plena. Hepar tenerum, pallidum, in duos divisum lobos quorum major in sinistro latere situs est. Cystis fellea caret, certe mihi sedulo indaganti nulla comparuit, ut neque folliculus natatorius. Lien exiguus, intestinis appensus.

Piscem hunc tum Venetiis tum Romæ vidimus. Romanis piscatoribus *Lampuga* seu *Lampuca* dictus est, Venetis *Licette*; quorum nominum rationem me non assequi fateor. *Bellonius* Romæ Fiatolam vulgo dictum scribit. Ego *Rondeletii* Stromatea & Fiatolam pro eodem pisce habeo, quamvis icon quam exhibet Fiatolæ lineis inflexis seu undantibus transversis per latera pisci nostro minime respondeat. Verum cum certissimum sit, nobis descriptum *Fiatolam* esse Romæ dictum, suspicamur *Rondeletii* figuram ejusdem piscis esse, sed minus probe delineati.

Piscis etiam *Rondeletio* Seserini nomine descriptus & depictus huic nostro idem omnino videtur, eo maxime argumento quod lineas duas à branchiis ad caudam ductas habuit, superiorem curvam, inferiorem rectam, quod idem in *Licetto* Venetiano *D. Willughby* observavit. Cæterum nequid dissimulemus, in *Licette* dicto lineæ & lituræ in lateribus flavæ æreæve multo obscuriores erant minusque conspicuæ quam in *Fiatola* Romæ descripto; quod tamen ætati imputandum censemus; erant enim quos *Venetiis* nacti sumus minores junioresque quam quos *Romæ*: neque in Lampuga Romana lineas in lateribus duas observavimus; quæ tamen forte ei adfuerunt.

Piscatores Romani nobis nomen sciscitantibus, piscem hunc *Lampugam* appellarunt, quod nomen aliis piscibus deberi (quos Glaucos *Rondeletius* facit) *Gesnerus* scribit. At vero *Cornelius Sittardus* literis ad *Gesnerum*, Lampecam Romanis dici nobiscum consentit; esse autem delicatissimum piscem.

C A P. IX.

Hippocampus Rondeletii *& aliorum.* *Cavallo marino* Italis.

HIppocampus nomen compositum est ex dictione ἵππος, quæ equum significat, (capite enim & juba equum æmulatur hoc animalculum) & κάμπη quæ erucam, quia erucam imitatur non modo corporis flexura in arcum se incurvante, sed etiam circulis, quibus ut insecta distinguitur, & insuper villis. Cæterum καμπὴ oxytonum Græcis flexuram significat; κάμπη vero paroxytonum erucam, quod & ipsum ἀπὸ τὸ κάμπτεσθαι, quod verbum flecti & incurvari significat, dictum est. *Rondel.* & *Gesner.* *Ratio nominis.*

Hippocampus rostro & capite equum, ut diximus, nonnihil refert: toto autem corpore inscisuras habet ut recte *Rondeletius*. Dodrantalem magnitudinem non superat, sæpe minor reperitur. Pollicis est crassitudine, rostro oblongo, tubuli modo cavo sine scissura; ab infe-

riore ejus parte operculum foramini opponitur ad claudendum, vel demittitur ad aperiendum. Rostrum Acus *Aristotelis* simillimum. Oculos habet rotundos sed prominentes; inter oculos tubercula duo altiora. Truncus corporis ad anum usque heptaedricus est cum exochis aculeatis; ultra anum cauda tetraedrica tantum seu quadrilatera est; in acutum autem definit & in spiram plerunque contorquetur. Post oculos, qui in loco in cæteris piscibus branchiæ esse solent, pinnulæ duæ auriculis similes sunt, maxime ob situm, utrinque unica. Branchiæ vero nullæ sunt, neque tectæ, neque detectæ, sed supra dictas pinnulas duo sunt foramina sursum spectantia. Sub ventre rimulas duas habet. Ex una alvi excrementa, ex altera ova foras emittuntur. Toto corpore est aculeato, veluti ex cartilagineis circulis compacto, ex quibus aculei extant, membranis intermediis. Colore est obscure viridi caudam versus magis nigricante; ventre præcipue maculis ex cæruleo albicantibus notato. Medio in dorso pinnam unicam habet nervis circiter 16 radiatam, omnibus altitudine æqualibus, præter normam aliorum piscium, in quibus à primo ad ultimum decrescere solent. Caudam quovis modo inflectas, & qualem vivo figuram tribueris, talem mortuus & exiccatus servat. Ventriculum pro corporis ratione satis magnum habet; hepar rubrum, similiter ova rubra, cor exiguum.

Vidimus Venetiis hujus generis jubatum, nescimus an specie diversum, an ætate aut sexsu tantnm. Plerique enim juba carent, quantumvis *Rondeletius* pilos in capitis vertice erectos omnibus tribuere videatur. Erat autem jubatus ille quem *Venetiis* nacti sumus non jubatis quadruplo fere major. In medio ventris pinnulam seu membranam nigricantem observavimus; ab omnibus in summo capite & cervice majoribus eminentiis angularibus seu aculeis villi seu setæ longæ dependebant jubæ instar, non adeo tenues, (ut scribit *Rondeletius*) ut non in mortuis & exiccatis sed in viventibus tantum appareant, verum crassiusculæ & facile conspicuæ.

Pisciculum isthunc *Venetiis* (ut diximus) è mari recens extractum vidimus, *Baiis* etiam non procul *Neapoli*.

Hippocampi cinerem alopecias replere cum pice liquida aut axungia, seu amaracino unguento illitum ait *Dioscorides*. Ventrem Hippocampi venenatum esse *Ælianus* scribit quem adi. Remedium adversus canis rabidi morsum ex Hippocampo apud eundem *Ælianum* vide.

CAP. X.

§. I. *Acus* Aristotelis *seu Acus secunda species* Rondeletii Gesn. *p.* 11. *Typhle sive Typhline Antiquorum* Bellonii. *Cæcilia* Sittardi Gesnero. *p.* 1225.

HUjus duæ habentur species; majorem sic describit *Rondeletius*. Piscis est longus, tenuis, cubiti longitudine, digiti crassitudine, oculis branchiis Hippocampo plane similis, necnon rostro, quod tubam plane æmulatur, unde à nostris nomen [*Trompette*] impositum. A capite ad podicem hexagonus est piscis, à podice ad caudam quadratus. Podex in medio fere corpore, à quo rima oblonga progreditur, in qua ova reponi certissimum est. Ego cum hujusmodi Acum hyemis initio cultello aliquando dissecarem, in rima ova permulta reperi, fideque dignissimis viris ostendi proximo anno cum non procul ab *Aquis*

mortuis locus in mari turri ædificandæ deſtinatus, undis vacuaretur, illicque maris purgamenta diligentius perluſtrarem, duas acus reperi coloris diverſi; erat enim altera viridis, altera pulla, in quibus cum rimam illam inſpicerem, ova vidi in ea excluſa, multoſque fœtus jam perfectos, quorum alii majores erant ac movebantur, parteſque omnes perfectas habebant: alii minores: alii tam exigui & tenues, ut oculi duntaxat & roſtrum cernerentur. Pinnas duas habet hæc acus exiguas ad branchias. Aliam in medio dorſi vix conſpicias, niſi dum vivit & in aqua movetur. Longitudo corporis cum tenuitate aliarum pinnarum vicem gerit. Cauda in ſimplicem & tenuem pinnam terminatur. Gulam habet qua plurimi piſces carent. Ventriculo eſt parvo oblongo, hepate magno, inteſtinis gracilibus, rectis, non in ſpiras contortis. Non ſquamis, ſed ſerpentum more integitur cortice pulchre cœlato & duro. Ob tenuitatem parum carnis habet, eamque ob cauſam à menſis rejicitur. Sed à pleriſque venuſtatis gratia exiccata ſervatur. Hactenus *Rondeletius*.

Hujus generis plurimos *Venetiis* vidimus, omnes tamen longe minores eo quem *Rondeletius* deſcripſit. Corpore erant hexagono ad finem pinnæ dorſalis, inde ad extremam caudam quadrato. *Cruſta* qua integebantur, à capite ad anum in 18. velut ſquamas diſtinguebatur, ultra anum in 34 aut 35. Dorſum erat *fuſcum*; ad anum uſque tres hedræ albicabant, infra eum una tantum. *Oculi* cute tecti diaphana; *branchiarum* opercula cutanea, non oſſea aut cartilaginea, *Os* inſolitæ figuræ, ſurſum ſpectans in extremitate tubi oblongi, ab oculis, quos interjacet, producti. *Pinna* dorſi radiis 35 aut 36 inſtructa erat; pinnæ branchiales ſingulæ 13 aut 14. Ventralibus pinnis carent. *Cauda* in pinnam deſinebat, 10 circiter radiis ſuſtentatam. *Veſica* natatoria ventriculi fundo adjacebat. *Inteſtinum* ſimplex & minime reflexum. Piſcis hic Venetis piſcatoribus *Biſcia*, id eſt, vipera dicta eſt.

Figura. *Cruſta.* *Color.* *Oculi.* *Branchiæ.* *Os.* *Pinnæ.* *Cauda.* *Veſica.* *Inteſtinum.*

§. II. *Acus* Ariſtotelis *ſpecies altera major.*

HÆc præcedente multo major eſt, à capite ad anum heptagona eſt, inde ad finem pinnæ dorſalis pentagona; infra ad caudam uſque (Caudæ pinnam intellige) quadrata. Puto hanc eſſe cujus ſceleton *Geſnerus* à *Michaele Pariſio* ſibi donatum ſcribit: cui Striæ in parte corporis ſuperiore, quæ ſupra podicem eſt, ſeptem eminebant, inferiore quaternæ tantum. [*Forte minus diligenter & curioſe a Geſnero inſpecta eſt.*] Squamis aut (potius corticibus) quibuſdam eleganter ſtriatis, & undiquaque annexis ut nuſquam dehiſcant, integebatur. Hanc, inquit, ſiquis Typhlen marinam nominare vuluerit, eſto: dummodo veteres nullam ejus mentionem feciſſe conſtet. Ego cum à ſolo *Athenæo* & *Heſychio* Typhlen nominari inveniam non tanquam marinum piſcem, ſed Nili incolam; in fluviis non in mari quærendum dixerim. Et cum in fluviis reperiamus Cæciliæ ſerpenti (ſic enim *Columella* lib. 6. nominat) non diſſimilem, ni fallor piſcem, de genere Muſtelæ ſive Lampredæ vulgo dictæ, quem noſtri *Niinoug*, id eſt, Enneophthalmum appellant; Typhlen aut Typhlinum appellari eundem quid vetat? quem ſi in Nilo etiam degere ſcirem, plane hoc nomine appellandum contenderem. Nos *Geſneri* ſententiæ ſubſcribimus, cum reperiatur etiam Lampetra cæca, Cæciliæ ſerpenti ſimilis, cui nomen hoc optime convenit.

CAP.

CAP. XI.

Acui Aristotelis *congener pisciculus, pueris Cornubiensibus* Sea-Adder *id est Vipera marina dictus. Acus lumbriciformis aut Serpentinus.*

Figura. Color. Rostrum, Os. Oculi. Branchiæ.

CORpore est tereti, nullis squamis induto, Fuci marini polyschidis *colore*, hoc est, ex viridi sordide luteo, aut ruffo. *Rostrum* ei quale Acui *Aristotelis*, sed brevius: *Os* pariter sursum spectans, exiguum. *Oculi* parvi, membrana laxa diaphana tecti, iridibus rubentibus. *Branchiæ* membrana clausæ; verum parvum habent utrinque foramen; sunt autem quatuor utrinque. Corpus ipsum lineis impressis eodem fere modo in annulos dividitur quo Lumbrici terrestres. *Magnitudo* pennæ corvinæ, rarius anserinæ: *Longitudo* eorum quos vidimus maxima digit. 5½. *Cauda* in acutum terminatur, & in pinnam non desinit. Exitus excrementorum una circiter tertia longitudinis parte à summo rostro distat. Unica ei duntaxat *pinna*, eaque in dorso, paulo ante mediam longitudinem, radiis 25. donata. Sub mandibula inferiore tuberculum papilliforme.

Magnitudo. Longitudo. Cauda. Pinnæ.

Viscera & Intestina. Ova.

Hepar rubicundum, cui vesicula fellea adnexa. *Intestinum* ab ore ad podicem recta extenditur, absque ulla reflexione. Vesica aerea parva, in posteriore abdominis parte sita. In fæmina ventri exterius per totam fere longitudinem adhærentia observavimus *ova* pulchre lutea, rotunda, magnitudine seminum Rapistri, bino ordine versus anum, superius magis confuse cohærentia. Venter nonnihil excavatus ad ea recipienda, verum villi nulli quibus sustenentur.

Nomen.

Pisciculus hic pueris Cornubiensibus oppidi *S. Ives*, qui eum è mari expiscantes ad nos attulerunt, *Sea-Adder* hoc est Vipera marinus dictus est. Verum cum perexiguus sit, Ophidion potius lumbriciforme aut Acus lumbriciformis dicendus videtur.

CAP. XII.

Scolopax Rondeletii Aldrov. *p.* 298. Gesn. 1008. *Genuæ* Trombetta *i. e. Tuba*; *Romæ* Soffietta *i. e. Follis ob similitudinem*: The Trumpet *or* Bellows-fish.

Locus. Longitudo & figura. Rostrum.

ROmæ inter alios pisciculos, quos *Frictaras* vocant, plures hujus generis invenimus, maximos à summa proboscide ab extremam caudam vix 4 digitos *longos*; corpore compresso, à dorsi acie ad imam ventris carinam unum circiter digitum lato. Squamosi sunt squamis asperis. *Rostrum* eis longissimum, unum minimum trientem totius totius piscis æquans, angustum, rectum, durum, osse simplici & continuo constans, ad caput latius, versus apicem contractius, cum parva oris apertura in extremitate, operculo suo instructa, inferiori parti adnata, quod sursum attollitur ad claudendum, demittitur ad aperiendum. *Oculi* grandes, iridibus albis dilute miniatis.

Oculi. Pinnæ.

Ad branchias utrinque *pinnam* habet, radiis 14 non ramosis, membrana tenui connexis constantem. Anterior ventris pars in carinam peracutam

peracutam tenuatur. Pinnas in ventre non habet, sed pinnarum quædam imitamenta, in binos osseos velut denticellos effigiata. Paulo inferius, cis podicem, in media ventris carina alter denticulus elatior existit. Retro anum (qui triente fere longitudinis ab extrema cauda distat) pinna exoritur radiis octodecim intertexta. In dorso duas gerit pinnas situ singulari; anterior enim vix quadrante longitudinis à cauda distat, & nihil fere aliud est quam una longissima & robustissima spina, duarum circiter unciarum altitudine, articulo donata, cujus ope aliquousque erigi & deprimi potest; non tamen ad perpendiculum attollitur, sed caudam versus semper inclinat. Aversa sui parte secundum totam longitudinem fossula quædam excavata est, & ad ejus latera utrinque dentium sursum spectantium continua serie vallata. Spinam hanc anteit spinula una minutissima, sequuntur tres radii spinosi, minutissimi pariter & humillimi. An vero spinæ hæ eandem structuram conformationem, motus, & ad se invicem respectum habeant quem Caprisci spinæ, ut pariter erigantur firmentur & deprimantur, (prout opinatur *D. Grew*,) mihi non constat, nec enim id experiri cum piscem præ manibus haberem in mentem venit. Pinna dorsi posterior radiis duodecim constat. *Cauda* aliquantulum forcipata est. *Spinæ dorsales.* *Cauda.*

De visceribus & interaneis nihil observavimus. *Rondeletius carnis* qualitate Pagro similem dicit, quem & colore refert. *Caro qualis.*

Hunc piscem nonnulli pro Remora seu Echineide Antiquorum habent, ob raritatem puto & figuram insolentem.

Aiunt enim à procellis turbido mari præcipue capi quia in profundo versatur.

CAP. XIII.

Xiphias piscis, Latinis Gladius. The Sword-fish.

ROstri ensiformis (inquit *Gesnerus*) in hoc pisce tam evidens est nota, ut ab eadem in diversis linguis nomen ei eadem significatione sit factum. In ingentem excrescit *magnitudinem*, adeo ut centum libras pondere excedat. *Rondeletius* piscem hunc aliquando decem cubitorum longitudinem attingere scribit in mari ad *Narbonensem* provinciam. Paris magnitudinis nos etiam vidimus tum in Anglia, tum in Italia. Corpore est longo, tereti, ad caput crasso, versus caudam sensim tenuiore. *Cutis* ei scabra est, minus tamen quam Mustelo vulgari lævi, admodum tenuis. *Color* in supina parte seu dorso niger, qualis cani carchariæ, in prona seu ventre albus argenteusve. *Os* mediocre, *dentium* expers; *Rondeletius* vice dentium quatuor ossa oblonga in palato ei tribuit, quæ nobis non observata. Superior maxilla in *rostrum* longissimum gladio ancipiti simile procurrit, unde pisci nomen. Rostrum, à mucrone ad oris angulos mensura sumpta, tertiam fere totius longitudinis partem explet. *Maxilla inferior* quadruplo brevior in cuspidem acutissimam desinit, estque tota ab oris angulis effigie exacta peracuti anguli. *Oculi* prominentes, grandes quidem, non tamen pro piscis mole; iridibus albis, virore dilutis seu suffusis. *Pinnam* habet in dorso unicam, à superiore branchiarum angulo inchoatam, & ad caudam prope continuam. Hæc initio altissima est; Radii post septimum ad duodecimum antecedentes sequentibus insigni differentia continue humiliores sunt, proximi 25. anteriores posterioribus gradatim breviores, differentia tamen vix observabili; tandem vero ultimi quatuor radii præcedentibus multo altiores, ut negligentius spectantibus novæ pinnæ speciem exhibeant. *Cauda* falcata crescentis Lunæ in modum, velut

Ratio nominis. *Magnitudo.* *Figura.* *Cutis.* *Color.* *Os, Dentes.* *Rostrum.* *Maxilla inferior.* *Oculi.* *Pinnæ.* *Cauda.*

velut Thynnis. Paulo supra caudam, in medio utriusque lateris eminentia quædam extuberat, trianguli obtusi figura; cutis scilicet velut in pinnam tenuatur quemadmodum in Thynnis. *Pinnarum* unum duntaxat habet par, nimirum ad branchias, nam *ventralibus* caret, quod ei cum Cetaceis commune est: humiliorem istæ situm in ventre obtinent, radiis circiter 17. firmatæ, primis longissimis, ultimis brevissimis, adeo ut tota pinna falcem messoriam qua fænum demetunt repræsentet. Excrementorum exitus una circiter tertia corporis parte à radice caudæ distat: infra quem in ima trunci carina pinnæ duæ, quæ tamen communi membrana connectuntur: Prior radiorum circiter duodecim, quorum anteriores prælongi, sequiores brevissimi: posterior radiorum 3, ex adverso ultimorum quatuor pinnæ dorsalis radiorum, quos pinnæ secundæ speciem præbere diximus. *Branchias* per oblivionem aut incuriam non observavimus. *Rondeletius* branchias octonas, & quidem duplices, habere scribit.

Pinnis ventralibus caret.

Branchiæ.

Ventriculus. *Appendices.* *Ventriculum* habet longum, conoidem, ad podicem fere protensum. Pylorus in summo est juxta orificium superius. Juxta pylorum massa grandissima *appendicum*, quæ quodam quasi parenchymate contextæ, pulmonis imaginem referunt; nam ab ipso intestino duodeno tribus truncis peramplis ortæ, primo in ramos dividuntur, deinde in surculos capillares innumerabiles sparguntur, velut aspera arteria & reliqua vasa in pulmonibus. *Vesicula fellea* collo longissimo juxta intestina dependet; porus vero bilarius brevis est & statim intestinum penetrat. *Intestinum* autem primo recta descendit infra appendices, deinde ultro citroque pluries reflectitur, flexuum intervallis sensim brevioribus, donec tandem à podice non longe in rectum iterum abeat ad exitum; figura elegantiori ei tamen simili quam hic apposuimus: reflectitur autem duodecies aut circiter. *Vesica natatoria* longa, dorso non firmiter adnexa, sed ab eo facile separabilis, membrana tenui, figura utrinque conica, integra & non intercepta. *Hepar* pro piscis magnitudine exiguum, rubrum: *Lien* pariter exiguus, triquetrus, colore sordido. *Cor* pyramidale ex basi quadrata: in ejus apice arteria cum suis valvulis sigmoidibus quales in quadrupedibus cernuntur: versus basin auricula, cujus interior cavitas ipsum cordis ventriculum magnitudine superabat.

Cystis fellea. *Intestina.* *Vesica natatoria.* *Hepar, Lien. Cor.*

Gladii piscis venatio. Gladii pisces iisdem in locis nunc dierum capiuntur, quibus olim; nimirum circa *Scyllæum Calabriæ* tractum & pharum Messanensem, ipsoque freto Siculo; nec ratione multum dispari Nos cum Messanæ essemus, conducta navicula Scyllam profecti sumus, ut eorum piscationi interesse, modumque capiendi observare possemus, qui hujusmodi fuit. In clivis excelsis mari imminentibus speculatores constituuntur, qui locum motumque omnem piscium observent, nautisque qui in scaphis inferius expectant; vel voce vel signis pactis indicent, quo scaphæ agendæ sunt. Quibus obtemperantes remiges, cum jam piscibus appropinquare cæperint, unus aliquis piscandi peritus malum parvum in scapha ad id erectum conscendit, & piscis ejus, quem sibi feriendum destinavit, motum observat, signisque datis remiges monet quo naviculam impellere, quando flectere & circumagere debent; cumque ad piscem proxime accesserit, piscator de malo confestim descendit, arreptaque fuscina seu hasta telo utrinque hamato, ceu cuspide (quæ tamen à ligno facile abscedit) communita in prora stans, vulnus incutit. Reliqua ipsius *Polybii* verbis, à *Strabone* lib. 1. citatis, & à *Gesnero* in hujus piscis historia Latine redditis, exsequar, cum conveniant omnino cum iis quæ nos observavimus. *Tum evulsa sine cuspide de corpore hasta, quod telum sane est hamatum, & cui hastile laxius inseratur idoneum. Ab eadem cuspide alligatus est funiculus longus, quem pisci sauciato relaxant, donec agitatus suffugiensque lassetur. Tunc in terram subducunt, aut intra scapham accipiunt,*

cipiunt, nisi prorsus immensum corpus existat. Quodsi etiam in mare telum exciderit, haud sane perit, est namque e quercu pariter atque abiete compactum, adeo ut querna gravitate demersum, deinde in sublime relatum facile possit apprehendi.

Carne est longe candidiore quam Thynnus, non insuavi, sed concoctu difficili, multum nutriente, *Rondel.* Idem etiam nobis videtur qui eum Messanæ in *Sicilia* degustavimus. A Messanensibus in summis deliciis habetur, apud quos Xiphiæ bonitate & pretio Sturionibus æquales sunt. Singulæ carnis libræ sex circiter denariis nostræ monetæ ibidem plerunque veneunt.

Rostro naves perforare *Plin.* lib. 32. cap. 2. traditur, quod mihi non videtur verisimile, quamvis id admodum durum & acutum esse, & piscem validum non abnuerim: Quod vero inclusus una cum thynnis retia dilaceret, iisque exitum præbeat, facile concesserim.

Capiuntur autem Gladii non solum in mari Mediterraneo, ut diximus, sed & in Oceano.

Hujus piscis Anatomiam exhibuit *T. Bartholinus* centur. 2. Obs. 16. de Nervo Optico hujus piscis ingeniosissime scribit *Malpighius* de Cerebro in Epistola ad *D. Fracassatum.*

CAP. XIV.

Guebucu *Brasiliensibus* Marggrav. *Xiphiæ affinis*: *Lusitanis* Bicuda.

Piscis rostratus, oblongo & ferme tereti est corpore, ut *Dorada* capite porcino, rostrato; cauda in duo cornua diducta ut *Albacara*: Rostrum acutum, osseum, durum: partis superioris longitudo 16. dig. inferioris 10. Crassities totius prope insertionem 7. digit. Utramque autem rostri partem movere potest. Branchias habet amplas; os interius orbicularis figuræ, in medio sui hyperbolico foramine: lingua oblonga alba: dentibus omnino caret. Oculos habet solidi magnitudine, pupilla crystallina, circulo argenteo. A rostri insertione caput in altum assurgit, ut in *Dorada* mare. Est autem caput ab oculis ad occiput longum 7. dig. 9. altum. Corporis longitudo ab occipitio ad caudæ exortum 4. pedum, & altitudo lateris post occiput unius pedis, in medio autem corporis 10. & prope caudam duorum. Cauda in duo cornua extenditur & ampliatur, quodlibet 18. dig. longum; ad cujus exortum in quolibet latere duæ auriculæ membranaceæ. Pinnas habet 6. proxime post quamlibet branchiam unam, directe à latere protensam, dura membrana constantem ut in Tiburone, figura trianguli acuti, 11. digit. longam, & in exortu ubi latissima duos tantum latam. E regione harum in infimo ventre duo bacilliformia corpora juncta habet, ex osse nigro constantia, dura plane ut os Sepiæ, quodlibet 19. dig. longum, utrumque junctum in rima longa profunda recondere potest, quæ à natura secundum longitudinem ventris facta est ad caudam usque. Interstitio duorum pedum à fine hujus fissuræ seu ano in infimo corpore pinnam habet triangulatam 6. dig. longam, latere anteriori firma spina munitam: etiam hanc in rimam quandam recondere & rursus surrigere potest. Octo digitorum interstitio ab hac pinna parvam habet versus caudam, in acutum triangulum versus posticam partem desinentem, & è regione hujus similem & æqualem in superiori corpore. Has duorum digitorum intervallo sequitur cauda. Maxima autem omnium est pinna dorsalis, incipiens à summitate occipitis, quæ protenditur

tenditur

tenditur per dorsum in 3. pedum longitudinem, constans membrana pergameni æmula costis intertexta, hanc quoque totam demittere potest, & in profunda rima condere: lata est sesquipedem ubi latissima, & versus posteriora paulum angustatur. Cute crassa, subaspera vestitur, tota subfusca; spinulis oblongis [⅓ dig.] ut ita solida sit & aspera, cum squamis careat. Venter & caput inferius albicant: latera cinerei & argentei sunt coloris: dorsum ex cinereo argenteo obscure fuscum, ut & caput superius & rostrum; reliqua rostrum cinerascit ex flavo. Pinnæ omnes cum cauda ex cinereo argenteo fuscescunt, ut & dorsalis, quæ præterea maculis orbicularibus nummi Misnici magnitudine insigniter est variegata; illa post anum paulum undata maculis fuscis. Carnem copiosam habet, non spinosam, pinguem non glutinosam, ideo ad comedendum aptiorem quam caro Marsorum. In ventriculo interiore multos integros pisces pedales inveniebam.

LIB.

LIBER QUARTUS

SECTIO IV.

DE PISCIBUS

Spinosis dictis, quibus pinnarum dorsalium radii omnes molles & flexiles sunt.

MEMBRUM I.

Tribus in dorso pinnis donati.

CAP. I.

Asellus major vulgaris, *Belgis* Cabiliau, *Morhua vulgaris* (*maxima Asellorum species*) Bellon. *Molva vel Morhua altera minor* Rondel. Gesn. *p.* 102. Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 6. A Cod-fish, *or* Keeling.

PIscis quem descripsimus duos pedes & dodrantem longus erat: multo autem majores reperiuntur: latus octo dig. corpore crasso, teretiusculo; ventre impense prominente. *Color* in dorso & lateribus sordide olivaceus aut fuscus, maculis flavicantibus varius. Venter albidus. *Linea* lata, alba in utroque latere à superiore branchiarum angulo ad caudam extenditur; quæ quoad abdominis cavitas porrigitur in arcum curvatur, deinde recta per media latera ad caudam pergit, *Squamæ* parvæ, cuti pertinaciter adhærescentes. *Oculi* grandes, laxa & diaphana membrana obducti: irides albæ. Ab angulo mandibulæ inferioris dependet *barbula* seu cirrus unicus, vix digitum longus. *Lingua* lata, rotunda, mollis, *dentibus* carens. Plures in maxillis dentium ordines, quorum unum componunt *dentes* reliquis multo longiores. Inter dentes fixos non pauci mobiles reperiuntur, ut in Lucio. In palato summo, inque imo juxta orificium ventriculi, & inter ultimas branchias denticellorum dense stipatorum velut pulvilli observantur. *Magnitudo.* *Figura.* *Color.* *Linea laterales.* *Squamæ.* *Oculi.* *Barbula.* *Lingua.* *Dentes.*

Pinnæ in dorso tres, anterior radiis 14, media 19, ultima 19 donata. Pinnæ branchiales 18 singulæ radiis gaudent: ventrales seu potius thoracicæ, (nam in hoc genere anterius sitæ sunt quam branchiales) radiis duntaxat 6 singulæ instruuntur. Ab ano pinnæ sunt duæ, ante- *Pinnæ.*

rior radiis 20, posterior 16 donata. Cauda plana fere & minime forcipata: primus radius primæ ab ano pinnæ brevis est & spinosus.

Viscera & intestina. Ventriculus ingens, harengis repletus. Infra pylorum Appendices intestinum in circulum ambiunt, & præterea aliæ ab una parte exeunt ut in Alosa. Appendices in sex truncos divisæ, & quilibet truncus in plures ramos; rami deinde in circulos. Cystis fellea magna, meatus cysticus infra appendices intestinum penetrat. Hepar in tres lobos divisum. Renes per totam dorsi longitudinem & etiam ultra abdomen continuati. *Vesica natatoria.* *Vesica natoria* dorso adnexa, crassa, glutinosa, nostratibus *The Sound* dicta, ultra abdominis cavitatem & excrementorum exitum producta. Multi non indocti palati (inquit *Turnerus*) hunc cæteris omnibus partibus hujus piscis longe præferunt. Cutis mollis est & crassa.

Locus. Carnis qualitas. In mari Britanniam circumfluente valde frequens est. *Caro* præstantissima est tum recens, tum sale condita. Capita majorum hujus generis piscium (quæ valde crassa sunt) ob suavitatem saporis, à gulonibus admodum celebrantur, & inter lautissima fercula divitum mensis inferuntur.

E vesica natatoria hujus piscis (quæ admodum crassa est ad modum tunicæ aortæ & glutinosa) ichthyocollam fieri aiunt.

Infinita propemodum multitudo hoc genus piscium in Oceano præsertim Septentrionali ab Anglis & Batavis quotannis capitur, sale conditur, inque sole siccatur, & per totam Europam magno vendentium emolumento distrahitur.

Nominis ratio. Varro ab Asini colore hunc piscem dictum scribit: quod de Morlucio verum est, non de Asellis dictis, qui ex viridi sordide flavescunt aut nigricant. Græci à segnitie dictos Asinos innuunt: nam *Oppianus Halieut:* lib. 3. ὄνων νωθρὸν δέμας dixit;& Ælianus cum nominasset pisces prægrandes ac pigros qui in latebris maris abdi solent, nec longe ab eis natando recedere, *oves, hepatos, prepontes*: asellum quoque inquit eis adnumerari posse. *Gesner.*

Asellorum copia & emolumenta. Lubet hic adducere quæ *Schonfeldius* de Asellorum copia apud Septentrionales capta & eorum usu eximio disserit. *Quanto* (inquit) *adjumento humanæ vitæ sustentandæ, quanto quæstui mercaturæ communi cedat ditissima Asellorum piscatura, maxima Europæ pars & publica commercia testantur. Elucet hinc inter alia innumera singularis Dei opt. max. providentia & benignitas, cujus unici hoc beneficium est, ut in Septentrioni subjectis regionibus, provinciis, insulis, Dania, Norvegia, Suecia, Islandia, Orcadibus, Hitlandia, Moscoviæ plerisque partibus & aliis locis, quæ præ nimio gelu & cœli inclementia frumenta non ferunt, tanta aquatilium animalium Asellorum cum primis affluant abundantia, si cœlum respondeat faveatque operæ, qua se suosque ichthyophagos fere omnes alant incolæ, recentibus in obsonio, siccatis pro pane utantur non solum, sed & infinitam illorum copiam, supra suarum regionum saturitatem, erogare possint, quos mercatores illic conquisitos in Europam interiorem exportant.*

Nomina cur varient. Piscis hic pro locis ubi capitur, aut modis quibus salitur & induratur aliterve præparatur varia sortitur nomina. Hinc *Green-fish* i. e. Asellus Groenlandicus, *North-sea-cod,* i. e. Oceani Septentrionalis Asellus; *Habberdeen* i. e. Asellus Aberdonensis; *Island-fish*; i. e. Asellus Islandicus; *Stock-fish*, i. e. Piscis fustuarius, qui recens ad eam duritiem in sole siccatur ut nonnisi fustibus verberatus coqui possit; *Poor John* i. e. Pauper Joannes, per errorem ita dictus; *Barrelled Cod* i. e. Asellus doliis conditus, unius ejusdemque speciei nomina sunt ut ab amico quodam harum rerum peritissimo certior factus sum. Juniores horum piscium vocantur *Codlings.*

Notandum est ductuum pancreaticorum (numero sex in hoc pisce) exitus valde esse patentes (etiam in omnibus fere aliis piscibus) ubi contra bilarii exitus valde contracti notantur. Succi pancreatici sapor ac

ac color cum seminis è vesiculis seminalibus Taurorum ac canum prostatis excepti quadantenus convenit, ac in faucibus rancidum saporem excitat, aliquando subamarus est & flavus; *Anatom. Amstelod.* è *Blasius.*

CAP. II.

Asellus Huitingo-Pollachius: *virescens* Schonfeld. A Whiting Pollack.

Asellum mollem, à quo denominatus est hic piscis, *magnitudine* excedit, *figura* corporis imitatur, nisi quod latior sit & minus crassus. Dorsum nigricat, aut obscure & fordide viret. Latera ejus quem descripsi infra lineas punctatas lineolis seu ductibus flavicantibus fordidis varia fuere. Squamosus est squamis perexiguis. *Lineæ laterales* circa primam dorsi pinnam in arcum curvari incipiunt, & versus dorsum assurgunt; circa medium secundæ pinnæ partem ad media latera descendunt, indeque recta ad caudam decurrunt. *Nares* duplices. *Os* amplum: *Maxilla* inferior paulo ultra superiorem procurrit. *Dentes* exigui in utraque maxilla. In summo etiam palato areola angularis dentibus consita; in imo tubercula duo denticellis aspera: *Lingua* acuta non dentata [nobis ad radices linguæ denticilli observati.] *Oculi* grandes, membrana laxa, diaphana tecti: irides argenteæ. *Branchiæ* 4. quarum prima unum habet ordinem dentium pectinatorum; alium tuberculorum asperorum; mediæ duæ, duplicem ejusmodi tuberculorum ordinem; ultima iterum unum tantum. Cranium non pellucidum. *Figura & Magnitudo. Color. Lineæ laterales. Nares, Os, Maxillæ, Dentes. Lingua. Oculi. Branchiæ.*

Pinnæ in dorso tres; anterior, paulo supra centrum gravitatis, è regione podicis & circa latissimam piscis partem sita, nervos obtinet 11. A capite ad pinnam hanc corpus assurgit, & deinde versus caudam deprimitur: unde *dorsi* acies *repanda* est & arcuata. Media pinna, quæ longissima est radios numerat 19: Postrema 16. Hæ autem pinnæ æquis spatiis à se invicem distant; anterior scil. à media, media à posteriore. Observatu dignum est, quod anterior pinna maxime declivis sit (à primo radio ad ultimum intelligo) media minus; postrema omnium minime. Pinnæ ad branchias mediocres pro piscis mole radios 16 aut 17 obtinent. Quæ in ventre aut thorace tantillo anterius sitæ, pro piscis magnitudine perexiguæ, sex tantum radiis donantur. Infra anum pinnæ duæ, anterior longior altiorque, radiis 16 instructa; posterior huic fere contigua radiis 18. Peritonæum in hoc pisce album [in alio nigrum observavimus.] Hepar pallidum, in tres lobos divisum, [*D. Willughby* bifidum, albicans] quorum duo prælongi dexter & finister; in dextro cystis fellea. Lien triangularis & oblongus nigricat. Ventriculi fundus non acutus sed latus. Pylorum innumerabilis appendicum multitudo coronat. Duodenum supra appendices nonnihil assurgit, tum deorsum reflectitur, & descendit infra exitum excrementorum; (qui tum in hoc pisce, tum in sequente medium cavitatis abdominis occupat) ubi in unum vel alterum annulum inflectitur, rursusque ascendit ad superiorem flexuram, deinde tandem deorsum denuo reflectitur, & marsupium ventriculi supergressum in podicem desinit. *Vesica aerea* crassa, costis affixa; ultra cavitatem abdominis producta in foramen sibi excavatum descendit; non intercepta, anteriore parte in duo exigua cornicula desinit ad quæ duo musculi. Ductum manifestum è gula seu ventriculo in vesicam invenire non potui: sed versus superiorem vesicæ partem veluti funiculus quidam nervulorum & venularum vesicam perforat *Pinnæ. Dorsum repandum. Viscera & intestina. Vesica aerea.*

forat, qui in varios ramulos sparsus superficiem ventriculi perreptat. Musculi valde molles sunt. Pisces prædatur. Ventriculus in eo quem dissecuimus Ammodytis piscibus *Sand-eels* dictis repletus erat.

Victus.

Quomodo à Coddo seu Capellano differt.

A *Coddo differt* 1. quod minor sit: quem descripsimus 15 digitos longus erat, latus 4 fere.] 2. Quod capite minore: 3. Quod corpore latiore & minus crasso: 4. Quod barba careat: 5. Quod inferius pinnarum par multo minus sit in hoc quam in illo. Vesicam urinariam habuit hic piscis, quæ revera paucis deest. Ad *Pensantiam* & *S. Ithes* oppida prope extremum Cornubiæ angulum, ubi frequentes capiuntur, vidimus & descripsimus.

Locus.

CAP. III.

Asellus niger, Cole-fish *Septentrionalium Anglorum*; Rawlin-Pollack, *Cornubiensium.*

Figura.

Quomodo à præcedenti differt.

Pinnæ.

VAlde similis est præcedenti, tenuior tamen & paulo longior. Lineæ laterales non curvantur initio in arcus quemadmodum in illo, præterea albæ sunt & latæ; qua nota piscatores ipsi hunc ab illo distinguunt. *Pinna* dorsi anterior radios 14, media 20, posterior 22 obtinet: pinnæ branchiales singulæ 18, ventrales 6. Ab ano anterior 22, posterior 19. Varius non est hic piscis maculis seu ductibus flavicantibus quemadmodum superior. *Color* ei nigrior magisque vividus & splendens. Pinnæ omnes nigro ad cæruleum vergente colore inficiuntur. *Squamæ* minores. Oculi majores & magis protuberantes. [Mihi nec majores nec magis extantes visi sunt.] Cum superior in Coddo maxilla inferiore longior sit, in hoc pisce inferior ultra superiorem extenditur; cumque Coddus barbulam brevem habeat à mento dependentem, piscis hic nullam omnino barbam obtinet Exitus excrementorum paulo longius ab extremo rostro abesse, nec adeo directe pinnæ dorsi anteriori ex adverso esse videtur, *Cauda* paulo magis forcipata. *Intestina* minus alte in abdomen descendunt. Dexter hepatis lobus in hoc longior est sinistro; secus quam in illo: Appendices plures & minores huic esse videntur quam illi, magnitudinis respectu habito. Vesica urinaria longa tam in hoc quam in illo. Ureter supra dextrum latus vesicæ natatoriæ à renibus in urinariam transit in illo, in hoc supra sinistrum; & prope fundum vesicæ ingreditur. Tum intestini, tum uteri, tum vesicæ urinariæ foramina in unam communem cloacam desinunt: & eodem exterius foramine exonerantur omnia hæc vasa. In reliquis, quæ brevitatis causa omittimus, cum præcedente convenit.

Color.

Squamæ.

Cauda.

Viscera & intestina.

Arteriæ magnæ in branchias distributio.

Arteria magna tam in hoc quam in illo versus angulum branchiarum ascendens in 4 hinc inde [in universum 8] ramos spargitur; singuli rami in singulas branchias abeunt, inibique in ramulos minores & capillares sparsi, in radios branchiarum pectiniformes distribuuntur & sanguinem derivant. Inde nova & ab his diversa vasa capillaribus suis extremitatibus sanguinem refluum excipiunt, & ad truncum arteriæ magnæ (quem coeuntia componunt) iterum reportant. Verum in hoc pisce rami ex singulis branchiis in uno latere prius coeunt in unum magnum ramum, quam concurrant cum vasis ex alio latere ad arteriæ truncum restituendum seu redintegrandum.

Colfish Bellonii (si modo recte ab illo descriptus sit, *squamis latioribus quam quivis alius sui generis, & Hujusmodi linea Hadocko propria est, atra linea a capite ad caudam producta*) ab hoc nostro omnino diversus est. Vel ergo *Bellonius* pro *Colefish* Anglorum quem se describere profitetur, alium

alium per errorem nobis incognitum piscem descripsit; vel in ejus descriptione non leviter erravit.

In Oceano *Northumbriam* & *Eboracensem* provinciam alluente capiuntur plurimi, ubi ob colorem dorsi & capitis nigrum, carbonis æmulum, *Cole-fish* appellantur; adultiores intellige, nam juniores *Billards* dicuntur, cujus nominis rationem me nescire fateor. Nos *Pensantiæ* in extrema fere Cornubia vidimus & descripsimus; juniores etiam vocantur *Pollards*, & *Rock Whitings*. *Locus.* *Nominis ratio.*

Caro (inquit *Schonfeldius*) tam recentis quam siccati, saporis ingrati est, ob idque apud incolas neglectior. *Turnerus* tamen testatur sua experientia siccatum omnem saporis gratiam deponere quidem, sed recentem adeo jucundum esse ut cum *Whitingo* vel *Merlango* propemodum certare possit. *Hadocko* pro suo palato multum præfert. *Eboracensibus* & *Northumbris*, apud quos frequens est, *Coddo* multo inferior habetur, adeoque sive recens sive salitus minore pretio quam ille venditur. *Caro qualis.*

CAP. IV.

Bib & Blinds *Cornubiensibus*, *Asellus luscus*.

IN magnitudinem pedalem excrescere aiunt. Est autem corpore non crasso & teretiusculo, sed latiusculo & ad latera compresso. Color in dorso olivaceus dilutior, aut sordide flavicans, in ventre argenteus. Squamæ quam in Asello majore seu Coddo plus duplo majores, cuti tenaciter adhærentes. Os ei mediocre: sub mento sive in angulo maxillæ inferioris barbulæ semuncialis, in adultis etiam digitalis. Dentes in utraque maxilla acuti, longiusculi, recurvi, uno ordine: sunt & alii interius ordines minusculorum introrsum spectantium. Palatum etiam sua denticulorum agmina habet ut in hujus generis reliquis. Nares duplices: Oculi laxa membrana tecti, quam aiunt piscem pro libitu inflare posse vesicæ instar. Lingua mollis, glabra, dentium expers. Pinnæ omnes cute vestiuntur: sunt autem in dorso tres: anterior radiis 12, quorum secundus altissimus, reliqui ordine breviores, donatur; media quæ longissima est & huic fere contigua rad. 23; postrema 20. Pone anum in ima corporis carina pinnæ duæ, anterior rad. 27; posterior rad. 21. Hæ pinnæ sibi invicem fere contiguæ sunt, & in omnibus radii anteriores posterioribus altiores. Pinnæ ad branchias radiis circiter 16; ventrales eodem situ quo in congeneribus 7 aut 8 instruuntur. Radius in his primus in prælongum acumen ceu setam quandam protenditur. Cauda minime forcipata. Orificium excrementorum una circiter longitudinis tertia parte à summo rostro distat. Lineæ in lateribus punctatæ ad finem usque abdominis curvæ sunt, à superiore branchiarum angulo paulatim descendentes versus imum ventrem.

Peritonæum nigrum: intestinum versus anum multo tumidius & plenius. Vesica costis adhærescens; & reliqua ut in Coddo.

Caro tenera & friabilis ut in Whittingo.

Ab Asello maximo seu Coddo differt. 1. Parvitate sua. 2. figura corporis breviore & latiore. 3. Colore dilutiore. 4. magnitudine squamarum. 5. quod spina ad ani pinnam careat. Cum eo convenit barbula sub mento.

Forte hic est Asellus septimus sive nanus *Schonfeldii*, sic dictus, quod ad alios collatus omnes partes cum illis communes breviores & contractiores sint, caput item majus, & cauda sinuata, ac si duobus locis laxata vel fracta fuisset.

CAP. V.

Onos sive Asinus Antiquorum in Epist. ad Gesnerum Tur. *Asellus tertius, seu Æglefinus* Rondeletii Gesn. *p.* 100. *Æglefinus vel Ægrefinus* Bellonii. The Hadock.

Figura, Magnitudo. Color. INter Asellum majorem seu Coddum, & mollem seu *Whiting magnitudine & figura* ambigit. Quem descripsimus è minoribus erat, longitudine pedali. *Colore* est nigricante in dorso; squamis parvis indutus. Linea nigra superiore branchiarum angulo ad caudam producitur. *Maculæ laterales.* In mediis lateribus sub linea paulo infra branchias *macula* utrinque nigra, quas dum indice & pollice piscem teneret, à S. *Petro* impressas aiunt, ut his quasi notis piscem optimi saporis ad se tanquam dominum pertinere significaret, suæque eum mensæ reservaret. Simile quid fabulantur etiam de Fabro pisce, ut suo loco dicemus: Nares duplices: *Oculi.* *Oculi* magni, membranis pellucidis obvelati. *Barbulæ.* Sub maxilla inferiore *barbula,* vix digiti longa. Lingua acuta. *Dentes.* Utraque maxilla *denticulis* armata: quin & in palato denticellorum areolæ habentur ut in Coddo. *Pinnæ.* *Pinnarum* numero & situ cum Coddo convenit: nec numero radiorum in singulis pinnis multum ab ea differt: *Cauda.* Verum *cauda* ei forcipata est.

Appendices. *Appendices* innumeræ infra pylorum intestinum coronæ instar cingunt, ut in Coddo. Caput pro magnitudinis ratione minus est quam in eo. Dorsum à vertice ad primam usque pinnam cultellatum seu in angulum assurgens.

Caro. Nonnulli hunc piscem in cibis reprobant. *Caro* ejus (inquit *Turnerus*) crassior & durior est carne Whitingi; & apud Frisios orientales, ubi mare valde limosum & vadosum est, febres excitare creditur. Verum in mari Northrumbico, quod valde profundum, undosum & clarum est, piscis est satis innocens.

N. *Schonfeldius* lib. de piscibus *Holsat*: & *Sleswic.* maxillas sine dentibus esse scribit, asperas tamen verum quas ille asperitates vocat nos pro denticulis habemus: in reliquis ejus descriptio cum nostra egregie convenit; nimirum cauda leviter fissa, cirro sub mento perexiguo, linea à capite ad caudam nigra, macula utrinque in lateribus nigra; quæ piscis hujus notæ characteristicæ sunt.

CAP. VI.

Asellus mollis major seu albus, an merlanus Rondeletii Gesn. *p.* 99. A Whiting.

Magnitudo. Figura. Squamæ. Color. PArvus est in hoc genere: Longitudine pedem unum non multum excedit, estque pro magnitudinis ratione tenuis gracilisve; præcipue caudam versus, nam ad caput crassior est. Squamæ ei exiguæ. Dorsum dilutius & albidius quam hujus generis reliquis; unde & nomen *Whiting* adeptus est. Venter albus. Pinnæ retro anum maculis nigris velut irrorantur. Ad radicem pinnarum primi paris inter radios *Oculi.* posteriores macula nigra. Barbula in mento nulla. *Oculi* magni, *Maxillæ.* cute laxa, diaphana, non adhærente tecti. *Maxilla* superior inferiore pro-

productior, adeo ut *dentium* longorum aduncorum quibus armatur ſe-ries extra os cum clauditur cadat, interius tamen maxilla hæc denti-cellis exiguis admodum aſpera eſt. Medio mandibulæ inferioris den-ticuli parvi, interius longiores & acuti enaſcuntur. *Dentes.*

Pinnarum numero & ſitu cum Coddo fere convenit. Pinnæ namque in dorſo tres, prima radiis 15; Media (quæ in hac ſpecie longius à præ-cedente quam in aliis diſtat) 18; ultima 20. inſtructa eſt. *Pinnæ.*

Ab ano prior radiis 34; poſterior 20. fulcitur. Branchiales pinnæ ſingulæ radiis 19; ventrales (anterius ſitæ) ſex roborantur.

Hepar album: ſiniſter ejus lobus prælongus ad abdomen extremum por-rigitur. *Ventriculus* magnus, officulis [piſcium puto] refertus. Pylo-rus *appendicum* velut cæſarie circumſeptus. Caro mollis & friabilis. Hunc piſcem inquit *Turnerus* in Epiſt. ad *Geſnerum* omnes gentes & ju-dicant & ſentiunt eſſe ſaluberrimum. *Hepar. Ventriculus. Appendices.*

A congeneribus differt 1. Quod maxilla ſuperior inferiore longior, quodque dentes extra os cadant. 2. Quod pinnæ ventrales ſeu potius thoracicæ in hac ſpecie ori viciniores ſint quam in reliquis. 3. Quod barba careat. 4. Quod pinna ano contigua plures radios obtineat. 5. Quod carne admodum molli ſit & friabili: 6. magnitudine omnibus ce-dit excepto ſequente. *Quid diffe-rat.*

Merlanus *Rondeletii* eſſe videtur, verum non recte pictus eſt cum uni-ca tantum pinna retro anum. *Rondeletius* recte quidem à piſce *molli* Venetis dicto diverſum facit, verum quod *molle* Venetorum à Merlano genere toto diſtare velit, mihi non probatur. Namque *Molli* adeo ſi-milis eſt Merlano ſeu Whitingo, ut nos aliquandiu cum *Bellonio* pro eo-dem habuerimus.

Bellonius videtur confundere piſcem mollem Venetorum cum Whi-tingo, ſeu Merlano (ut putamus) Gallorum.

In Oceano *Britanniam* alluente frequens capitur.

Obſervavi in quibuſdam locis *Angliæ* & *Belgii* hunc piſcem eviſcera-tum exſiccari, & condiri, & ſic præparatum præbere cibum gratiſſi-mum delicatulis palatis. *Germani, Poloni, Belgæ,* aliæque gentes in con-diendis, & præparandis piſcibus utuntur radice *Curcumæ* ad inducendum ſaporem & colorem luteum. hæc à D. *Tancredo Robinſon.* *Locus.*

CAP. VII.

Aſellus mollis minor, ſeu Aſellus omnium minimus. Anthiæ ſecunda ſpecies Rondel. Geſn. 64. *An Merlangus* Bellonii? Mollo *Venetiis,* Capelan *Maſſiliæ.*

Minimus eſt omnium quos novimus in hoc genere. Quem deſcri-pſimus $6\frac{1}{4}$ digitos longus erat. A maxillæ inferioris angulo bar-bula dependet, ut in Coddo. In branchiis & maxillis utrinque puncta novem. Oculi laxa membrana tecti. Dorſum dilute fuſcum; venter ſordide albus. Pinna dorſi prima radiis 12, media 19, ultima 17. do-natur; Retro anum anterior 27, poſterior 17. branchiales ſingulæ 13; ventrales ſex.

Peritonæum nigricat: Appendices ad pylorum multæ. Veſica nata-toria indiviſa. *Rondeletius* lævem omnino eſſe ſcribit & ſine ſquamis. *Bellonius* Marlango ſuo ſquamas ita tenues tribuit ut viſum fugiant. An ſquamoſus ſit, an ſquamis careat *D. Willughby* non meminit. Caro val-de mollis & tenera, bonique ſucci. In Mediterraneo frequentes capi-untur. *Venetiis* & *Maſſiliæ* multos vidimus. Nullos præter hunc hujus

generis pisces in Mari Mediterraneo captos, cum in *Italia* & *Sicilia* peregrinaremur, nobis videre contigit; unde alias omnes species Oceano peculiares esse suspicamur: hanc autem Mediterranei solius incolam in Oceano vel non omnino vel rarius inveniri.

Intestinum cæcum nullum, rectum vastum; Oesophagus fibris rectis præditus. In ventriculo nervorum plexus; cor capiti vicinum, ejus in parte inferiore dextra auricula rubra; vesicula pneumatica una, sub qua renes; umbilicus in medio piscis; pancreas convenit in omnibus fere cum pancreate Aselli maj. Hepatis locus præcipuus in sinistro latere; lien nigricans latere dextro. *Anatom. Amstelod. e Blasio.*

C A P. VIII.

Asellus varius vel striatus Schonfeldii, *German. vulgo* Dorsch, *Borussis* Pamuchlen.

Notissimus & familiarissimus Balthico mari piscis est, Oceano vicinis ignotus vel saltem perrarus. Hic inter reliquos asellos cute est lævi aut glabra (quanquam squamis tenuissimis non destituatur) longitudine pedali ut plurimum & majore. Caput habet Hadoco minus, os in acumen desinens, dentibus in ambitu & anteriore palato exasperatum; rictum patulum, linguam coloris argentei, fauces asperis duobus ossibus horridas post linguam aculeis parvis. Branchiæ utrinque quaternæ. Dorsum subnigrum vel obscure fuscum est, ut & latera, & branchiarum pars superior: interdum color cinereus, sed maculis & lituris nigris passim pictus, præsertim hyeme. Linea subalbida à summis branchiis in caudam porrigitur. Circa ventrem ex obscure fulvo aut cinereo albere incipit. Pinnas in dorso tres contiguas ad caudam quadratam pertingentes habet nigras, spinis non acribus constantes, duas ad branchias, totidem paulo inferius ad fauces, sed minores: post podicem (qui umbilici instar medium abdominis occupat) duas superioribus ex adverso respondentes, cirrum carnosum sub mento exiguum, omnibus fere ornamentis à majori mutuatis. Gula illi & ventriculus capaces, pylorus callosus, infra quem in ambitu intestini apophyses innumeræ: revolutio unica tantum intestinorum: cor inter branchias situm: Epar in duos lobos longos divisum, magnum, album, inter hos vesicula fellis dilute virentis.

In aqua dulci non vivit, quanquam mixtam vel dilutam ingrediatur: præter morem aliorum piscium etiam vivario inclusus alios minores vorat. Carne delicata est recens (sive elixus, sive assus) dulci & friabili, majusculi præsertim, quos *Scheibendorsch* appellant Cimbri, quod in laminas quasi distractis carnibus inter coquendum facile dilabantur, ut in Salmonibus. Non ita dudum piscator hujus generis Asellum 4. pedes longum in sinu minore ad Ekrefordiam urbem cepit, raro spectaculo.

Piscis hic in reliquis ad Asellum Huitingo-Pollachium accedit, cirro sub mento differt.

CAP. IX.

Asellus virescens Schonf. *An Huitingo-pollachius noster? Germanis ad mare Balth.* Kohlmulen, *&* Schwarts Kohlmulen, *ad differentiam sequentis.*

Superiori omnibus fere partibus similis est, nisi quod caput minus, rostrum magis acuminatum, & rictum angustiorem habeat, mentum sine cirro, & pinnas minores omnes, numero tamen pares, quarum quæ sub faucibus sunt albicant, reliquæ omnes, ut & cauda bifida nigricant. Color dorsi ex viridi opacatur, venter albescit, latera inter utrumque ambigunt, quæ linea recta candicans ab extremis branchiis in caudam usque dividit. Dentes manifestos non habet, labrum tantum & palatum superius asperum; ossa in faucibus aspera duo, quibus inferiorum asperitas respondet. Cor illi inter branchias situm est, septo membranoso ab inferiore ventre discretum, unde Epatis albi lobi duo ad ductum & longitudinem abdominis, ultra podicem, qui in hujus fere medio est, descendunt. Inter hos lobos ventriculi positus oblongi, qui ex medio sui pylorum callosum emittit, innumeris appendicibus tanquam in pancreate pallide rubescente connatis, circundatum. Intestinorum revolutio unica est. Vesica dorso incumbit simplex. In receptaculo fel carnium loturæ simile, & Lien saturate rubens inter hepar & ventriculum conspiciuntur. Squamis exiguis, levibus, quæ tamen edentem non offendunt, per totum corpus tectus est, manifestioribus quam in dorso & lateribus præcedentis, quem hic pinnæ à podice proxime longitudine superat, cum is ori aut mento, ut dixi, propior sit quam in Asello striato.

Notis hujus omnibus cum Huitingo-Pollachii nostri diligenter collatis piscem plane eundem esse perspicio.

CAP. X.

Asellus flavescens Schonfeldii Blank *vel* gelbe Kolmulen *Germ.*

Superiori persimilis est, nisi quod pinnæ minores sint, quarum quæ sub mento flavescunt, reliquæ omnes ut & dorsum & latera ex flavo opacantur, crebrisque lituris croceis pictæ sunt, qui color facit ut obscuritas in hoc pisce dilutior sit splendorque major. Venter argentei nitoris est: linea à branchiis in caudam desinens flavescit, & circa abdomen nonnihil arcuatur, magis quam in Præcedente. Interanea omnia etiam minora sunt, ut & hepar quod in hoc ex rubro pallet. Uterque apud terræ sanctæ insulam vel *Hilliglandiam* capitur, sed raro; ubi *Kollen* vel *Kolmunder* appellant.

A præcedente vix alia in re quam colore differt, unde non est cur specie distinctum faceret.

LIB. IV.

SECTIO. IV.

MEMBRUM. II.

Non aculeati quibus duæ in dorso pinnæ eriguntur.

CAP. I.

Asellus primus Rondeletii *sive Merlucius*, *item* Bellonii Aldrov. 97. *Asellus alter sive Merlucius* Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 2. The Hake.

Magnitudo. Figura. Nomen. PIscis est pelagius, cubitali magnitudine & aliquando majore: Lucio vulgari figura similis, corpore scilicet tereti & oblongo. Hinc Galli & Itali eum Merlucium, id est Maris Lucium appellant. *D. Willughby* Whitingo eum comparat, pisci in Anglia notissimo, quem *Color.* sane tum figura, tum *colore* refert. Dorsum enim cinereum ad canitiem quodammodo accedens, qui cum Asinorum color sit, ab eo piscis *Squamæ. Caput.* hic Asellus dictus est. Venter sordide albet. *Squamæ* parvæ ad modum Lucii aut Whitingi. *Caput* latum & depressum: *Oris* scissura magna, ut in Lucio. Utraque maxilla dentibus longiusculis acutis armata, præ*Os, Dentes,* cipue inferior. *Dentibus* majoribus & longioribus minores brevioresque intermiscentur. Palatum quoque ut in Asellis dentatum: Lingua gla*Oculi.* bra. *Oculi* grandes, cute obducti, irides aureo [saltem in nonnullis] co*Pinnæ.* lore relucent. *Pinnæ* in dorso duæ; anterior non longe à capite incipit, radiis instructa novem: posterior huic proxima, longissima est & ad ipsam fere caudam protenditur, radiosque obtinet 40. posteriores prioribus ordine breviores usque ad 22^{dum}; sequentibus multo altioribus, adeo ut geminæ pinnæ speciem exhibeant, quod idem pinnæ quæ ab ano est accidit post radium 23^{tium}. pinna autem hæc radios 39 nu*Cauda.* merat. *Cauda* non bifurca, radiis omnibus æqualiter productis seu in rectam lineam terminatis. Pinnæ ad branchias angustæ, radiis circiter 12. instructæ: Pinnæ ventrales anterius sitæ, 7. singulæ cartilaginibus radiatæ. Foramen ani una fere quarta longitudinis parte capiti propius est quam caudæ extremæ.

Partes internæ. Hepar magnum, album, indivisum, cum cysti fellea adnexa. Ventriculus longus: intestinum semel tantum reflectitur, nec appendices ad pylorum ullæ. Cor pericardio valido includitur. Vesica aerea crassa, utrinque costis affixa, nec aliud esse videtur quam membrana transversa intus carne rubra glandulosa obducta. Costæ in hoc pisce præcipue notabiles sunt, latæ, breves, obtusæ, cartilagineæ, exterius convexæ, interius cavæ. Renes amplos, longos & vesicam urinariam in hoc pisce observavimus. In fæmina uteri contorti, & membranæ cuidam ceu mesenterio adnexi. Peritonæum intus nigro quodam fuco ob*Caro.* linitur. Pisces prædatur. *Caro* ejus mollis & tenera.

Locus. Magna copia circa *Pensans* oppidum maritimum in extrema prope *Cornubia* capiuntur: imo ubique fere in Oceano Britannico & Germanico

nico dicto; inque mari Mediterraneo frequentes sunt: verum in Oceano in magnitudinem magis proficiunt.

CAP. II.

Asellus longus, Ling *Anglis dictus, à longitudine ut puto.*

Corpore est tereti, quam Merlucius longiore: *Squamis* etiam minoribus, arcte adhærentibus. Dorsum & latera nonnullis olivacea, aliis grisea aut cinerea, [glauca D. *Willughby*] Venter albidus. In universum piscis hic & figura & colore Merlucium refert. *Caput* ei pariter planum & depressum: Rostrum nonnihil longius quam Merlucii: *Mandibula* superior inferiore productior: utraque pluribus *dentium* brevium dense stipatorum ordinibus aspera: in inferiore majorum & longiorum ordo unus: in palato etiam series dentium maxillaribus parallelorum, perexiguorum, quibus intermisti sunt ad intervalla quinque aut plures, magni, longi, validi. Rictus oris amplus. *Lingua* magna, alba, non admodum obtusa. *Nares* duplices; *oculi* cute laxa, diaphana obducti, iridibus argenteis. Ab angulo mandibulæ inferioris unica dependet *barbula*, duos circiter digitos longa. *Pinnæ* in dorso duæ; anterior non longe à capite nervis 15 radiata: posterior huic fere contigua, & ad caudam proxime producta, radiis 65. Versus caudam pinna hæc altius assurgit, ut in Merlucio. Radio hujus pinnæ octavo è regione opponitur anus; infra quem pinna ad caudam fere procurrens, radiis 62 donata. Pinnæ branchiales singulæ cartilaginibus 15 radiatæ; ventrales (paulo anterius sitæ) sex, quarum tres anteriores supra membranas connectentes eminent, prima brevior, secunda altior, tertia altissima. Cauda in pinnam rotundiusculam definit. *Branchiæ* utrinque quatuor, pectines radiosos, carneos ex una parte obtinent, non tamen cartilagineos ex altera, ut Merlucius; neque opercula branchiarum nigro intus colore inficiuntur, ut in illo.

Figura. *Squamæ.* *Color.* *Caput.* *Mandibulæ.* *Dentes.* *Lingua.* *Nares, Oculi.* *Barba.* *Pinnæ.* *Branchiæ.*

Numerosas habet ad pylorum appendices, easque satis grandes. Intestinum bis reflectitur. Hepar in lobos minime divisum, in sinistro hypochondrio situm, cui appenditur cystis fellea, collo oblongo, nec ulla in parte hepati contigua est. Lien oblongus: Uterus in fæmina duplex, quemadmodum in aliis piscibus. Habet & vesicam natatoriam, crassa & alba cute tunicæ aortæ æmulam, costis adhærentem, ut in hujus generis reliquis: Vesicam pariter urinariam. Cavitas abdominis in hoc ut in Merlucio inque Asellis omnibus ultra foramen ani versus caudam ad spatium notabile extenditur. *Aorta* eodem modo divaricatur in quatuor hinc inde ramos, quorum singuli ad singulas branchias tendunt, eodemque iterum recolligitur, ut in Merlucio aliisque. *Partes internæ.* *Aorta.*

Capitur in nostro mari circa *Pensantiam*, & alibi, quamvis nonnulli eum Asellum Islandicum vocant. *Locus.*

A Merlucio differt. 1. Quod major: 2. Quod longior: 3. Quod cauda rotunda, & non forcipata. 4. Multitudine radiorum in pinnis Dorsi. 5. Squamis minoribus: 6. Radiis secundi pinnarum paris productis, & pinnis ipsis minoribus. 7. In Merlucio maxilla inferior paulo longior est, in hoc superior: 8. Merlucius barba caret, qua hic donatur: 9. Hic Appendices multas habet, (plures quadraginta numeravimus) Merlucius nullas, &c. *A Merlucio quomodo differt.*

Caro hujus tum recens delicata est, tum Salita & siccata reliquis omnibus salsamentis jure præfertur. *Caro sapida & salubris.*

CAP.

CAP. III.

Pisces complectens quibus præter pinnas insigniores pinnulæ aliquot exiguæ prope caudam summo dorso, & imo corpori innascuntur: h. e. Genus Thynninum.

THynnos & congeneres rectius fortasse ad aculeatorum dorso bipinni classem retulerim: anterioris enim dorsi pinnæ radii rigidiusculi sunt, & quodammodo aculeati, membranæ quoque radios connectentes, ut in ejus generis reliquis, tenues & pellucidæ. Certe inter pinnis aculeatis & mollibus instructos ambigere videntur.

§. I. *Thynnus seu Thunnus* Bellonii Gesn. *p.* 1148. Aldrov. lib. 3. cap. 18. *Orcynus* Rondel. The Tunny-fish *or* Spanish Mackrell.

Magnitudo. IN ingentem & cetaceam *magnitudinem* excrescit, adeo ut centum nonnunquam libras pondere superet. Vidimus *Pensantiæ* captum uncias 48 seu septem pedes longum; *a Spanish Makrell,* i. e. Scombrum *Figura.* Hispanicum vocabant. Corpore est tereti & crasso, prope caudam sensim angustiore, donec tandem perquam gracilis evadat: Pelamydi simillimus, nisi quod lineis illis nigris, obliquis in lateribus careat, eam- *Color.* que magnitudine longissime excedat. Dorsum ei nigrum; quod tamen prout varie luci objicitur vel cæruleum, vel etiam viride apparet. *Squamæ.* Venter & laterum dimidia pars argentea. *Squamæ* minutissimæ. Ro- *Dentes.* strum acutum: maxillæ aquales, unico *denticulorum* ordine munitæ. *Os* *Os.* amplum, intus nigricat; imum tamen palatum rubet. *Lingua* lata, *Lingua.* nonnihil hirta, utrinque eminentia quadam veluti vallata. In summo palato ossiculum denticellis asperum; in imo duo ejusmodi ossicula seu tubercula aspera: [Forte quatuor, totidem enim sunt in Pelamyde] *Oculi.* *Oculi* satis grandes, cute communi minime obducti; irides argenteæ. Tunica sclerodes versus rostrum nigro colore in pisce descripto tincta erat, caudam versus albo. Opercula branchiarum gemina duntaxat *Pinnæ.* lamina constant. *Pinnæ* in dorso duæ [majores intellige.] Anterior à capite non longe, radiis 14, non ramosis acutis, nec tamen rigidis donata. Pinna hæc è fossula medio dorso insculpta exoritur. Posterior pinna anteriori fere contigua, pari quatuordecim radiorum numero firmatur. Radii ramosi sunt, tertius quartusve altissimus; reliqui ordine, sequentes antecedentibus, continue breviores. Pinna hæc in nonnullis piscibus rubro aut flavo colore inficitur. Infra hanc pinnam in dorsi acumine octo aut novum, interdum decem, pinnulæ æquis prope spatiis succedentes ad caudam usque extenduntur. Hæ in exortu exiguæ, in summo dilatantur, radiis longis, caudam spectantibus. Cauda in modum Lunæ crescentis falcata. Quæ ad btanchias sunt pinnæ radiis confertis seu crebris circiter 34 donantur. Pinnæ ipsæ exiguæ sunt, nigro colore tinctæ, & in acutum exeunt. Ventrales pinnæ tantillo inferius sitæ, exiguæ, sex radiis instructæ, quorum primus acutus est, reliqui ramosi. Utrisque tum branchialibus tum ventralibus pinnis recipiendis cum complicantur, convalles quædam in piscis lateribus & ventre impressæ seu excavatæ sunt. Orificium excrementorum duabus plus tertiis totius longitudinis à summo rostro distat, cui succedit in ima corporis

corporis carina pinna, radiis 13 inſtructa, dorſali poſteriori ſimilis: retro eam in eadem recta ad caudam uſque diſpoſitæ ſunt 8 pinnulæ, iis quæ in dorſo pares. Juxta caudam in medio utriuſque lateris, cutis in pinnam quandam tenuatur, unde corpus eo loci quodammodo quadratum fit. Radioſæ *branchiarum* carunculæ pectiniformes exiguæ ſunt & *Branchiæ.* rotundæ, ut in Pelamydibus. *Ventriculus* longus, rotundus, ad anum fere *Ventriculus.* pertinens, in acutum deſinens. *Hepar* in tres dividitur lobos, medio *Hepar.* pallidum, verſus margines rubicundum. A medio namque pallido ſeu croceo lineolæ quædam ſeu radii rubicundi conferti ad extremos margines tendunt. Lobus dexter cavitatem manifeſtam habet, unde exoritur *veſicula fellis* tenuis, prælonga, ad fundum ſcilicet ventriculi & ul- *Cyſtis fellea.* terius dependens. Ad pylorum ex inteſtino Appendicum trunci multi *Apophyſes.* oriuntur, in infinitos ramos filis tenuiſſimis ſubtilitate pares diviſi, & parenchymate quodam firmati. *Lien* rubicundus, grandis, longus, à *Lien.* pyloro ſcilicet ad inteſtini flexum porrectus. *Cor* triquetrum, amplum. *Cor.*

Thynni gregales ſunt: inveniuntur autem non in mari Mediterraneo *Locus.* duntaxat, quamvis ibi frequentiores & maximo numero, ſed & in Oceano: *Penſantiæ* enim (ut diximus) *Cornubiæ* vidimus in Oceano Britannico captum, cujus ventriculus *Harengis* minoribus ſeu *Pilchardis* repletus fuit.

Cordyla, *Pelamis*, *Thynnus* ſeu *Thunnus*; & *Orcynus* unius ejuſdemque piſcis nomina ſunt, ætate differentis. *Cum enim* (inquit hiſt. animal. lib. 6. cap. 17. *Ariſtoteles*) *Thunni in Ponto pepererint, ſunt ex ovo quas alii vocant Scordylas* (ſunt qui *Cordylas* legunt) *Byzantii Auxidas, ideo quod paucis diebus augeſcunt & Ponto exeunt autumno unà cum Thunnis, remeant vere jam Pelamydes factæ: Thunni quam Pelamydes anno uno majores eſſe videntur.* Eadem *Plinius* breviter ſuo more repetit *lib. 9. cap. 15. Athenæus lib. 7. Soſtratus in ſecundo de Animalibus Pelamyda Thynnida vocari ait, cum vero major evaſerit Thynnum, hoc rurſus majorem Orcynum: cum vero mirum in modum accreverit cete.* Verum ex Pelamydibus nunquam fieri *Thynnos* ſic ut *Ariſtoteles*, *Plinius*, aliique è veteribus opinantur, *Gillius*, *Salvianus*, *Scaliger* affirmant, à piſcatoribus Ligurenſibus & Maſſilienſibus edocti. *Et ſane* (inquit *Scaliger*) *corpulentia diverſa eſt aliquantulum ſubtilius intuenti. Productior Pelamis, & linearum filamentis tæniatim varia, quæ in Thynno ſunt nulla:* quæ de piſce quem Itali hodie *Pelamide* vocant vera eſſe experientia didicimus. *Pelamide* vero Romanis dictum veterum *Pelamydi* eundem eſſe, cum & nomen & ſpecies & magnitudo conveniant, non eſt cur dubitemus.

Thynni Græcis à verbo θύω & interpoſito ν θύνω, quod eſt ὁρμᾶν, dicti ſunt, *Thynni nominis Etymon.* ut Grammatici volunt. Impetu enim & furore quodam fertur & agitur hic piſcis, oeſtro maxime infeſtante ſub canis ortum. *Geſnerus* Thunni nomen, probabili conjectura, ab Hebraico *Thannin* factum videri ait, quod *Cetum* interpretantur vel piſcem magnum. At ceti nomen, ut vidimus, Thynno maximo attribuitur.

Thynnos *migratorios* eſſe conſtat: ſive ex Oceano mare mediterra- *Migratio.* neum ingrediantur, ſive primum ex inferioribus Mediterranei locis aſcendant donec in Pontum pervenerint ubi pariunt, ac rurſus egrediuntur. *Geſner.* Primum nobis veriſimilius videtur, & plures autores habet. Oppiano etiam teſte ſubeuntes capiunt primum Iberi; deinde Celtæ circa Eridani oſtia, & vetuſti incolæ Phocææ; tertio Tyrrheni & Siculi, inde per totum mare diſperguntur.

Thynnos non alibi quam in Ponto fœtificare tradit *Ariſtoteles*, eum- *Locus ubi pariunt.* que ſecuti *Plinius* & *Solinus*: ut vero *Strabo* refert, pariunt in Mæotide palude. *Wottonus.* Dextra ripa intrant Pontum, exeunt læva: id accidere exiſtimatur, quia dextro oculo plus cernunt, lævo hebete natura. *Plinius* & *Solinus* ex *Ariſtotele.* Rationem hanc falſam eſſe ſuſpicor.

Vita Thynnis longiſſima biennio. *Plinius*, *Ariſtoteles*. Nos Thynnos *Ætas.*

Z multo

multo diutius vivere minime dubitamus. Adeo quidem Thynni augentur, ut *Plinii* testimonio caudæ eorum latitudinis duorum cubitorum reperiantur, ipsi talentorum quindecim pondo. Quod si biennium vitæ non excedunt, quomodo evadunt tanti? *Gesnerus.*

Usus in cibis. Etsi suavissimis piscibus conferendus non sit Thynnus, sapidus tamen & non negligendus ubique fere censetur. *Salvianus. Plinius* Thynnum vetustate fieri meliorem scribit. Thunnorum (inquit *Jovius*) quos Gaditani capiunt recentibus pulpis saturantur circumfusæ gentes. Reliqua illorum multitudo cetariis infertur saliturque: asservati vero membratim cadis celebri mercimonio per omnem fere Europam diffunduntur. Verum solo abdomine valent: quæ pars à Romanis Tarantellum vocatur, quod etiam Tarentino in sinu, ubi optima piscium omnium captura est, Thynni sale asserventur. Reliquæ corporis partes, utpote quæ pingui succo admodum careant, in ignobilis populi usum veniunt, quæ Melandrya à *Plinio* nuncupantur. *Jovius. Salvianus* quoque Thynnorum salitas partes pingues Italis *Tarentello* appellari verissime scripsit, pinguedinis vero expertes *Tonnina. Bellonius* ergo erravit, cum Dorsum quod magis carnosum est & macilentum, *Tarantellam* Italis appellari scripserit. Verum non *Gadibus* solum sed *Massiliæ* aliisque in locis maritimis *Italiæ* & *Siciliæ* magno numero quotannis capti, membratim in assulas dissecti, sale condiuntur & in cadis asservantur.

Capiendi modus. De variis Thynnos *capiendi modis*, quibus veteres usi sunt vide *Gesnerum.* Nunc dierum retibus capiuntur, quæ Massilienses *Mardrags* vocant. Hæc ab initio Septembris per quatuor fere menses mediis in undis ancoris utrinque firmata, eodem loco immota manent. Funiculi è quibus nectuntur retia nihilo minores sunt iis è quibus fiunt quæ damis capiendis inserviunt. Retium formam & dispositionem Schema appositum utcunque repræsentat.

A Promontorium est cui rete affigitur, quod inde ad milliarii circiter spatium in mare procurrit, tandemque in varia velut conclavia, cameras vocant B, B, B dividitur. Unumquodque conclave sua habet ostia, alterum per quod pisces ingrediuntur, alterum quod in interius conclave aperitur. Supra ostia è piscatoribus quidam nocte dieque scapha exubias agit, cumque Thynnos retium claustra ingressos novit, ostium statim occludit. Pisces exitum quærentes per alterum ostium in interius conclave natare pergunt, tandemque intimam & minimam cameram, (cujus parietes minoribus multo maculis texuntur, cuique rete etiam pro fundo substernitur) penetrant. Piscibus ingressis & conclusis penetrale illud retis, seu camera intima sensim attollitur, donec à superficie aquæ ad ejus fundum vix hominis altitudo supersit. Tum in illam ceu piscinam quandam, piscatores insiliunt, Thynnosque cauda prehensos (qua parte adeo angustantur ut manibus facile stringi & retineri possint) extrahunt, inque cymbas projiciunt. Interdum 300, interdum etiam mille una vice capiuntur pisces: gregatim enim natant, & uno ingresso ovium ritu reliqui sequuntur. Captorum ventres sub branchiis statim rescindunt & intestina eximunt. Interdum etiam una cum Thynnis capiuntur Delphini seu Phocænæ, Lamiæ, Gladii &c. Unum *Mardrag* valet 3000. nummos Imperiales annui reditus. Una libra carnis, $1\frac{1}{2}$ plerunque solidis Gallicis venit.

Thynnos

Thynnos gregatim natantes figuram cubicam efficere *Gillius* è *Plutarcho* tradit, ut ſi ſpeculator vel unum tantum ordinem numerare potuerit, ſtatim totius gregis numerum ineat. Hoc idem apud noſtrates de Harengis fertur, quod ſcilicet cubico agmine natent, ordinibus etiam ſervatis.

Guarapucu Braſilienſium *Marggrav. Cavala* Luſitanorum, Thynni ſpecies eſt, nec diverſa, ut videtur, à deſcripta.

§. II. *Pelamys Sarda, vel Sarda ſimpliciter* Rondeletii Geſner. *p.* 1151.

PIſcis eſt pelagius, Thynno, Coliæ, Amiæ, corporis ſpecie ſimilis: cute lævi & ſine ſquamis, excepta ea parte quæ à pinnis, quæ ad branchias ſunt, tegitur: ea enim tantum ſquamas habet, qua nota à Pelamyde vera ſeu Thunno Ariſtotelis differt. Carnis etiam teneritate inferior, ac dentes majores, magiſque in os recurvos quam Thunnus habet. Reliquis omnibus adeo ſimilis eſt Pelamydi, ut niſi propius inſpicias, hanc cum illa facile confundas.

Hunc piſcem à ſuis [Monſpelienſibus] & Hiſpanis *Bize* nomine communi cum Amia ob ſimilitudinem vocari ſcribit.

Nos hujus generis duos tantum piſces novimus, Thynnum & Pelamydem. Fieri poteſt ut vel Sardam Rondeletii *non viderimus, vel differentia non animadverſa pro Pelamyde habuerimus.*

§. III. *Thynnus Liſſa vel Gliſſa Cretenſium vulgo dictus*, Bellon. Geſn. 1158.

A Glabra & ſquamis carente cute Liſſam appellant: bicubitalis eſt longitudinis, humanique corporis craſſitiei; in alto mari degit, & delicatiſſimi eſt ſaporis. Differt à vulgari & majore Thynno, quod teretior eſt, branchiaſque Pelamydis habeat, ac dentium loco rugoſas atque aſperas maxillas: pinniſque lateralibus caudæ ac tergoris ad Synagridem accedit: caudam tamen non uſque adeo lunatam gerit, ſed magis bifurcam. Porro interiores ipſius partes ſic ad majorem Thunnum accedunt, ut etiam in hoc pylorum quadraginta & amplius apophyſibus circumvallatum facile comperias. *Hic etiam piſcis nobis nondum innotuit.*

§. IV. Curuata pinima *Braſilienſibus*, Bonito *Luſitanis*, *Thynnis affinis aut potius Trachuro*, Marggrav.

PIſcis eſt *Cordcovadi* magnitudine, vel etiam major, corpore oblongo, ſatis tamen lato & craſſo, amplis branchiis, oculis grandibus argenteis. Caret ſquamis, & tegitur ſolummodo cute, præterquam in medio laterum: nam cujuſlibet lateris medium à branchiis uſque ad caudam permeat linea lata aurei coloris: hinc à branchiis incipiens alia parallelos ducitur ad duas partes totius longitudinis: hinc hæc parallela ſecat oblique auream, & pergit parallelos uſque ad caudam: linea hæc parallela aureæ anterius, & uſque dum auream ſecat, duplici ſquamularum ſerie minimarum inſignitur, & tota eſt glabra; poſtica parte ubi ſecat auream, & infra itidem duplici ſerie ſquamarum notata, ſed majorum, & linea ipſa non eſt glabra ut anterius, ſed aculeata quaſi denticulis piſcium. Color piſcis in dorſo & lateribus ſubvireſcens; in ventre albus & ſplendens. Pinnas habet ſeptem, nimi-

rum poſt quamlibet branchiam unam oblongam: duas ſub his verſus poſteriora junctas in infimo corpore: unam in medio ventre, & huic oppoſitam unam in ſummo dorſo, & adhuc in dorſo unam magis verſus anteriora. Ab ultima dorſali & ventris pinna alia continua, haud lata, acuta utrobique abit ad exortum caudæ, quæ furcata eſt. Capitur frequentius in mari & boni eſt ſaporis. Bonita (inquit *Lerius*) nulli ſapore cedit.

Piſcis hic Trachuro ſimilior eſt, quam aut Thynno aut Amiæ: Nautis noſtris qui in Indias navigant notiſſimus. *Locus.* *Lerius* ſe Bonitas maximo numero vidiſſe ſcribit circiter quadraginta dies, quibus (inquit) fere noſtris navibus adhæſere. Cum Bonitis copulari plerunque ſolent *Albacoræ*, quia iiſdem in locis cernuntur, & cum Bonitis promiſcue (ut puto) natant. Nemo certe eſt qui vel ſemel in Indias navigaverit, cui uterque hic piſcis non optime notus ſit.

Rondeletius Amiam ſuam, hoc eſt, Pelamydem noſtrum, Hiſpanis quibuſdam Boniton vocari ſcribit. Verum Bonito quem deſcribit *Marggravius*, à Thynno ſpecie differre videtur, nam pro pinnulis illis in dorſo & ſub ventre unam utrobique habet continuam, ad caudam fere extenſam: quin & in mediis lateribus quæ ducuntur lineæ ex duplici ſquamarum ſerie compoſitæ & caudam verſus aculeatæ ſunt, ut in Trachuro. Nobis piſcem hunc neque recentem, neque ſalitum aut exiccatum hactenus videre contigit: videtur tamen ſui generis piſcis eſſe, tum à Thynno, tum à Trachuro diverſus.

§. V. *Pelamys* Bellonii Geſn. 1148. *Pelamys vera ſeu Thunnus* Ariſtotelis, Rondel. *ejuſdem etiam Amia, ni fallimur.*

Figura. Color. FIgura corporis Scombro perſimilis eſt, teres, prope caudam gracilis. Dorſum obſcure cæruleum, venter argenteus. Latera lineis nigris octo aut novem, neque tranſverſis, neque ad longitudinem parallelis, ſed nonnihil oblique caput verſus, à medio dorſo ad ventrem tendentibus varia. *Dentes.* Maxillæ unico *denticulorum* ordine munitæ: in imo ore ad radicem linguæ & branchiarum initium quatuor tubercula limæ inſtar aſpera. *Oculi.* *Oculi* pro piſcis mole parvi. *Pinnæ.* *Pinnarum* numero, figura, ſitu, radiis à Thynno parum differt. Et revera (ut recte *Bellonius*) Pelamys à Thynno hoc præcipue diſtat, quod Thynnus lividis eſt lateribus, Pelamys vero undantibus maculis tranſverſis atque obliquis diſtincta gerit latera. Verum in eo *Bellonio* non accedo, quod utrumque piſcem *Magnitudo.* ejuſdem fere *magnitudinis* eſſe ſcribit, cum quotquot nobis viſæ ſunt Pelamydes, Thunnis etiam mediocribus longe minores fuerint. Quid quod Antiqui & recentiores, qui Pelamydes à Thynnis ſpecie non differre per errorem opinati ſunt, Pelamydes piſces juniores qui annum non exceſſerint, adultiores ſeu biennes Thynnos appellarunt. *Ligures piſcatores nunquam aiunt e Pelamyde Thynnum fieri. Et ſane corpulentia diverſa eſt aliquantulum ſubtilius intuenti. Productior Pelamis: & linearum filamentis tæniatim varia, quæ in Thynno ſunt nulla.. Scaliger.* An Pelamis Thynno productior ſit necne, nobis non animadverſum fatemur.

Amia *Rondeletii* piſci deſcripto omnino eadem eſſe videtur, ut deſcriptiones conferenti patebit.

Nominis ratio. Cæterum Pelamys per *y* in ultima plerunque à doctioribus ſcribitur. *Geſnerus.* Pelamys autem dicta eſt παρὰ τὸ ἐν τῷ πηλῷ μύειν, quod in cœno ſeſe occultet: quæ Etymologia illi alteri quam *Plutarchus* affert præferenda eſt. Pelamides ſcilicet dictas eſſe innuit διὰ τὸ πέλειν ἅμα, quod gregales ſunt.

§. VI. *Scomber.* Rondeletii. Bellonii. Geſn. *p.* 1012. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 53. A Mackrell, or Macarell.

LOngitudine eſt pedali & interdum cubitali. Corpore tereti, craſſo, carnoſo, ad caudam valde contracto & gracili, [utrinque in acutum deſinente. Roſtro enim acuto eſt, cauda acutiore, tandem in duas pinnas valde à ſe diſtantes terminata. *Rondel.*] *Squamis* non prorſus caret, ut *Rondeletius* aliique tradunt, ſed eas tenues & parvas obtinet. *Color* infra lineas media latera utrinque dividentes argenteus; ſupra cæruleo-viridis, lineis nigricantibus, aliis rectis, aliis incurvis & flexuoſis, varius. *Cauda*, ut diximus, forcipata, pinna in ipſo divaricationis angulo fere deficiente. Ad radicem caudæ in mediis lateribus utrinque cutis protuberans in quandam velut pinnam tenuatur, Maxillæ æquales; utraque *denticulis* parvis, acutis inſtructa. Summo palato oſſicula aſpera inſunt, imo quoque inter branchias pulvilli aſperi. *Nares* parvæ, rotundæ, ſimplices. *Oculi* magni. *Lingua* acuta. *Pinnæ* in dorſo duæ, anterior novem [interdum decem aut undecim,] radiis ſpinoſis non tamen rigidis donata, poſterior 12 flexilibus: Huic fere ex adverſo à podice pinna radiis 12. His ordine ſuccedunt in medio dorſo & imo ventre ad caudam uſque, paribus intervallis, pinnulæ utrobique quinque; quales in Thynno deſcripſimus. In branchialibus pinnis ſingulis radios 20 numeravimus, in ventralibus ſex. Ab ano ſpina valida. Cor triquetrum; lien nigricans: Hepar in lobos non dividitur, colore rubente. Ventriculus oblongus, conicus: Appendices pylorum coronæ inſtar ambiunt innumeræ exiguæ, & præterea ex altero inteſtini latere ad ſeſquidigiti ſpatium exeunt creberrimæ. Inteſtina ſemel tantum reflectuntur. Veſica natatoria nobis non comparuit. Ventriculus piſciculis plenus: Eſt enim admodum vorax, quicquid obvium eſt ſine delectu deglutiens. Ex *Scombris* olim garum conficiebatur laudatiſſimum. *Plin.* lib. 31. cap. 8. Garum ex Scombris & Coliis apud Byzantinos fieri ſolere [nunc dierum intelligo] refert *Bellonius.*

Longitudo. Figura. Squamæ. Color. Cauda. Dentes. Nares, Oculi, Lingua, Pinnæ. Victus.

Quamvis Scombri à medicis in cibis non admodum laudantur, utpote concoctu difficiles, quique torporem & ſomnolentiam inducant, ſapore tamen delicato ſe palato commendant, & principem, me judice, inter piſces lautiſſimos locum merentur. *Carnis qualitas.*

Scombros per omnia maria affatim capi ſolere, vel hoc argumentum eſſe poteſt, quod ubique cognoſcuntur. *Bellonius.* Quavis fere eſca capiuntur. *Locus.*

Colias ſeu Scombrus minor Bellonii.

Inter hunc piſcem & Scombrum quod interſit, nihil aliud obſervari poſſe puto, quam quod Colias magis parvus ſit, quo præcipue ſalito uti ſolent: Scomber vero paulo major. Maſſilia *Cogniol* nominat.

§. VII. *Colias* Rondeletii Geſn. 304.

Κολίας piſcis à Græcis dicitur, quem *Gaza* apud *Ariſtotelem Hiſt. animal.* lib. 9. cap. 2. Monedulam vertit, ut proculdubio κολοιὸν legerit. At in *Ariſtotelis* exemplaribus quæ nunc extant κολίας legitur. Sed & piſcem de quo nunc loquimur *Pollux* & *Athenæus* κολίαν appellant.

Lacerto minori vel Scombro omnino ſimilis eſt, his tantum notis exceptis, quod κολίας major ſit & ſpiſſior, ſquamiſque integatur parvis & tenuibus, ac lineas obliquas à dorſo breves, punctis nigris notatas habeat. Unde apud *Ariſtot.* in libro περὶ ζωϊκῶν ἢ ἰχθύων, citante *Athenæo*, σκολιόγραπτος dicitur. Pars eſt capitis uſque adeo pellucida, ut nervi optici cum cerebro veluti per vitrum appareant. Vere ſanguinem emittit purpuræ ſplendorem perbelle referentem. Rarus eſt apud nos hic piſcis, in *Hiſpania* & quibuſdam aliis locis frequens.

Piſcatores à Scombro ob ſimilitudinem non diſtinguunt.

Bellonius Coliam ſuum Scombro minorem facit: *Rondeletius* ſuum majorem; oportet ergo ut diverſi piſces fuerint; & tamen uterque Coliam piſcem Maſſiliæ *Coguiol* vel *Cogniol* vocari ſcribit, quod mirum.

Carne eſt ſicciore & minus ſapida, deterioriſque ſucci quam Scomber, autore *Rondeletio.*

CAP. IV.

De Genere Truttaceo.

Truttacei generis nota characteriſtica, qua ab omnibus aliis piſcibus queant diſtingui, eſt pinnula parva, adipoſa, in extremo fere dorſo, nullis radiis inſtructa.

Hujus generis piſcium alii in dulcibus aquis perpetuo degunt, nec unquam ad mare deſcendunt, alii tam dulces quam ſalſas aquas frequentant, *anadromi* idcirco dicti, quamvis, ut ſcite *Geſnerus*, rectius *catanadromi* dicerentur, ſiquidem in fluviis nati ad mare deſcendunt, & deinde cum adoleverint, fluvios iterum ſubeunt, ut ibidem pariant.

Cæterum truttaceum genus commodiſſime dividitur in *edentulos*, quales ſunt Lavaretus, Ferra, Thymalus, Oxyrhynchus, Albula; & *dentatos*, cujuſmodi ſunt Salmo, Umbra, Trutta, Carpio, &c. De edentulis hoc capite agemus, de dentatis ſequente.

Truttacei piſces nobis dicti in univerſum omnes apophyſes habent ad pylorum plurimas, ſuntque carne ſapidiſſima & ſaluberrima etiam, ſi recte præparentur.

§. I.

§. I. *Lavaretus Allobrogum* Rondel. Geſn. Aldrov. Bellon. *Germanis* Gangfiſh. *ad lacum Ammerzee* Rhingau.

Magnitudo. *Figura.* *Color.* *Pinnæ.*

LOngitudine quem deſcripſimus (erat autem biennis) dodrantali fuit, latus digitum $1\frac{3}{4}$: *figura* corporis compreſſa, lata & oblonga harengo ſimilis. Dorſum nigricat; venter albet. *Pinnæ* in dorſo duæ, anterior à ſummo roſtro digitos $3\frac{1}{2}$. diſtat, nervis cartilagineis 13 inſtructa: poſterior parva, adipoſa, nullis radiis. Cauda forcipata. Pinnæ ad branchias ſingulæ radiis 16; ventrales 12 donatæ, ab extremo roſtro $3\frac{3}{4}$ digiti elongatæ. Quæ ab ano eſt radios 14 obtinet. A roſtro ad podicem digiti erant $5\frac{1}{2}$.

Cranium. *Cranium* pellucidum, punctis nigris notatum.

Locus. In Lacu *Acronio* capiuntur hi piſces magna copia, & ſale conditi ad *Baſiliam* aliaſque urbes vicinas deferuntur. Gregatim natant. Martio & Aprili menſibus capiuntur. Extra aquas ſubito moriuntur, ut Harengi. Inter truttas & harengos ambigere videntur.

Supplementum è Bellonii *&* Rondel. His addunt *Bellonius* & *Rondeletius*, Lavaretum nunquam pedem exexcedere, dentibus omnino carere: capite eſſe oblongo, ſquamis tenuibus albis, atque, ut in Trutta, parvis: (de quo tamen dubito, & *Bellonium* vel memoria vel incuria lapſum exiſtimo) pinnis omnibus & cauda ad extrema nigris; Hæc nota Ferræ piſci melius convenit. Ventre laxo & prægrandi, ut Trutta: nare recurta, atque ut in harengis oſſiculis quibuſdam prominentibus inſigni. Viſceribus & inteſtinis cum Ferra piſce lacus *Lemani* omnino convenit; cui & in reliquis partibus perſimilis eſt. *Caro qualis.* *Carne* eſt candida, molli, ſuavi, minime glutinoſa, boni ſucci, mediocriter nutriente.

Locus. Non in lacubus *Allobrogum* tantum invenitur ut *Rondeletius* affirmat, ſed & lacu *Podamico*, & in lacu *Ammerzee* dicto in *Bavaria*; *Curimatæ* Braſilienſium *Marggravii* deſcriptio per omnia Lavareto aut Ferræ convenit, ut non dubitem eundem piſcem eſſe.

§. II. Guiniad *Wallis, piſcis lacus Balenſis, Ferræ (ut puto) idem.*

Magnitudo. *Figura.* *Color.* *Squamæ.* *Os. Edentulus eſt.* *Oculi.* *Branchiæ.* *Lineæ later.* *Pinnarum ſitus & radiorum numerus.* *Cauda.*

LOngitudine erat pedali aut paulo majore, latitudine digitorum $2\frac{1}{4}$: *Figura* corporis Salmonibus non multum abſimili: Dorſo fuſco, ventre albo. *Squamæ* & mediocres. Mandibula ſuperior promi-net aliquantulum. Figura *oris* Harengo ſimillima. Dentibus prorſus caret. Venter non deſinit in acutam carinam, ſed latus eſt fere $\frac{3}{4}$. unius digiti. Summum caput dilute cæruleum cum maculis obſcurioribus. *Oculi* magni cuticula minime tecti. *Branchiæ* 4. ſingulæ duobus ariſtarum ordinibus pectinatæ. *Linea* punctata ab angulo branchiarum ad caudam recta tendit. Menſuræ ita ſe habebant. Dorſi *Pinna* à ſummo roſtro diſtabat digitos 5. Primum pinnarum par ſeu pinnæ branchiales $2\frac{1}{4}$; ſecundum par ſeu ventrales $5\frac{3}{4}$; anus 8; oculi $\frac{3}{8}$; nares $\frac{3}{16}$; Branchiarum anguli 2; Pinnæ dorſali radii 12 inerant; Branchialibus ſingulis 16; ventralibus 12. pinnæ ani 14. *Cauda* forcipata.

Cerebrum. *Cerebrum* globulis 7 componitur, nimirum cerebello, duobus oculorum thalamis, duobus cerebri lobis, duobus præterea globulis parvis, albicantibus, anterius ſitis, & tandem nervis olfactoriis. *Hepar.* *Hepar* non diviſum:

Cranium. *Vesica nat.* visum: Fel flavescens. *Cranium* vix pellucidum. Super margines oculorum utrinque ruga. *Vesica* per totam dorsi longitudinem extenditur ut in Truttis. Statim sub gula meatus ingens in vesicam abit. Ad pylorum *appendices* innumeræ, duodenum ambientes, deinde inferius ex una parte ad secundam usque reflexionem continuantur. Splen longissimus, valde mollis, sanguinis coagulati instar. Gregatim natare aiunt. Caro alba est; unde ut puto *nomen*. Ego potius à colore albo corporis ita dictum crediderim, unde & Germanis *Albelen* & *Weissfish* dicitur.

Appendices.

Nominis ratio.

Locus. Invenitur in lacu *Pimblemeer* dicto proprie oppidum *Bala* in comitatu *Merionethensi Walliæ*, non autem in fluvio *Dea* qui eum perfluit.

Schelley. Lavareto eundem omnino esse existimo *Schelley* Cumberlandis dictum, qui in lacu *Hulswater* non procul ab oppido *Pereth* invenitur. Corpore est non admodum grandi duarum librarum pondus raro excedente, pro magnitudine longior quam Trutta, Harengo figura similis, squamis quam Trutta grandioribus. Color in lateribus & ventre argenteus. A supremo branchiarum angulo linea recta ad caudam mediam protenditur. Cætera cum *la Farra* convenit.

Albula nobilis Gesn. Quærendum proponit *Gesnerus*, an piscis ille quem Albulam nobilem vocat, Constantiæ *Adelfelch* & Tiguri *Wyssfish* dictus, sit Lavaretus Gallorum: cujus nullam fere notam characteristicam adfert, qua ab aliis hujus generis certo possit dignosci. In cibo inquit Albulis omnibus præfertur; nam & solidior ejus caro est, & pinguedine passim intersepta. Verum ipsum, si placet, consulas.

§. III. Albelen *Tiguri dictus*, *lacus Tigurini piscis*, *an Albula parva vel simpliciter dicta*. Gesn. *Ferræ (ut puto) idem.*

Figura. *Pondus.* *Color.* *Caput, Os.* *Oculi.* *Pinnæ.* *Squamæ.* *Venter.* *Lineæ later.* *Caro qualis.*

HUnc *Tiguri* vidimus & descripsimus his verbis. Piscis est longus, Capitonis aut Barbi *figura* fere. Mediocres 5 libras pendent: inveniuntur (sed rarius) qui ad 12 etiam libras pondere accedunt. *Color* eis argenteus, in dorso tamen subobscurum & nigricans. *Caput* parvum, *os* mediocre, edentulum. *Oculi* quoque mediocres, iridibus argenteis. Pinnarum numero, situ, figura, colore, radiis, cum *Ferra* pisce exacte congruit. *Squamæ* mediocres. *Venter* à primo pinnarum pari ad secundum planus in imo; quod in Lavareto *D. Willughby* observavit. *Linea* punctata à capite ad caudam recta tendit, summo dorso quam imo ventri propior. Visceribus & interaneis cum reliquis sui generis convenit. *Caro* firma, alba, & saporis optimi.

Albula parva *Gesn.* quam Tigurinos suos privatim Albulam indigitare ait (*ein Albele*) ab hoc pisce diversus esse videtur. Siquidem Caput ei ex glauco cæruleum est, & inter caput & dorsum color viridis ceu gemma relucet: & præterea magnitudine inferior est. Vel ergo pisces hi ætate solum differunt; vel alium nobis Tigurini *Albelen* præferebant quam quem *Gesnerus* pro eo accepit.

§. IV. *Ferra, lacus Lemani piscis Genevæ descriptus* Rondel. Gesn. *p.* 35. *Lavareto persimilis.* Curimata *Brasiliensium* Marggravio, *ut puto.*

QUem descripsimus *longitudine* erat cubitali. *Figura* corporis ad Salmonem accedit. *Color* in dorso & lateribus obsolete viridis, in ventre argenteus. *Caput* pro corporis ratione mediocre, *Os* non amplum, dentium omnino expers. Hoc peculiare habet, quod cum os clauditur, maxillæ superioris latera seu labia inferiora operiunt & includunt. [Hoc idem *Rondeletius* de Lavareto scribit, unde apparet, ut ex reliqua etiam descriptione, pisces hosce valde similes esse, nec alia fere in re quam magnitudine differre.] Oculi cute non tecti: irides argenteæ. Summum *caput colore* cæruleo diluitur, habetque maculas obscuriores cæruleas nonnisi attentius intuenti observabiles. *Pinnæ* in dorso duæ; anterior circa medium longitudinis à summo rostro ad extremam caudam sumpta, nervis 13 ramosis radiata, quorum tertius altissimus, sequentes ordine breviores. Posterior pinnula, prope intra digiti unius, aut in grandioribus sesquidigiti spatium ab initio caudæ; cauda radiosa non est, sed ut in reliquis hujus generis cutanea, crassa seu carnosa, extima circumscriptione subrotunda. Cauda parum forcipata. Orificium excrementorum ne quarta quidem totius longitudinis parte à cauda distat. Quæ retro anum est pinna radios 14 aut 15 ramosos obtinet, quorum secundus altissimus, reliqui ordine humiliores. Ad branchias utrinque pinna est, quam nervi 15, 16 aut 17 extendunt & agitant: hæ pro piscis magnitudine mihi visæ sunt minusculæ. Ventrales pinnæ dorsali anteriori oppositæ majusculæ, singulæ radiis 11 aut 12 instructæ. Omnes autem pinnæ summitatibus suis colore obscure cæruleo, seu nigro inficiuntur, alias dorso concolores. Squamosus est hic piscis, & quidem *Squamis* grandioribus.

Longitudo. Figura. Color. Caput, Os. Capitis color. Pinnæ. Anus. Squamæ.

Hepar exiguum, pallidiusculum, non divisum in lobos, totum in sinistro hypochondrio situm: cystis fellea satis grandis, crassa & coloris fere carnei. Ventriculus magnus, quem longissimus oesophagus prope fundum subintrat. Appendices numerosissimæ, non circa pylorum tantum, sed aliquousque etiam à latere intestini exeuntes. Intestinum sine ulla reflexione recta ad podicem tendit. Lien prælongus. Vesica pneumatica non intercepta, dorso pertinaciter adhærescens, per totam abdominis longitudinem extenditur.

Partes internæ.

His addit *D. Willughby*, cranium pellucidum esse; ventrem latiusculum; meatum esse ab oesophago ad vesicam aeream: *carnem* habere albam & gustui gratam: æstate capi.

Caro qualis.

Hic est, ni fallor, Albula nobilis *Schonfeldii:* obstat quod anadromus non sit. *Gesnerus* illud Albulæ genus, quod *Buz* & *Kilch* vulgo nominant non alium piscem esse suspicatur quam in Lemano *Ferram* vel *Palam* dictum. Notæ quas ejus affert sunt, inter Albulas magnitudine præstare, ventre magno, inflato, corpore pleno amploque esse; circa fundum aquæ degere.

Albula Buz & Kilch. dicta.

§. V. *Albula cærulea* Gesneri, *Bezola* Rondel.

LAvareto (inquit *Rondeletius*) non admodum dissimilis est, nisi quod colore minus sit candido ad cæruleum inclinante, rostro acutiore, capite minore, ventre latiore & prominentiore: Harengo similis. Car-

ne eſt molliore quam Lavaretus, & ab eo ſaporis ſuavitate & ſucci bonitate multum ſuperatur.

Geſnerus Blawling Tigurinum, ſeu piſcem cæruleum mediocri magnitudine eſſe ait. Caudæ extremitas colorem ex atro cæruleum præ ſe fert, præſertim circa medium & ſciſſuram; in pinnis quoque eundem colorem deprehendas, item in capite, & ab eo forte nomen invenit. Venter undiquaque niveus eſt. Dorſum totum ſubviridi colore, ſi ſuperne inſpicias apparet: ſed neſcio quomodo hi colores pro diverſo ad lucem poſitu variant. Dentes non habet ſed linguam aſperam. Odor ei non ita gravis & piſcoſus ut pleriſque, ſed ſatis gratus.

Quæ de ventriculo & inteſtinis habet omiſi, quia eorum conſtitutione ſeu conformatione piſces hujus generis omnes convenire puto: ut eadem repetere ſupervacaneum ſit.

Ova piſcium maxime devorant, & memini me multa in ventribus eorum reperiſſe. Hæc & plura *Geſnerus*, quem conſule.

§. VI. *Albula minima* Geſneri.

TOta ſpecie accedit ad illam quam Albulam parvam nominavi: ſed plerunque minor eſt, & in capite minus viridis. Si piſcem erectum inſpicias per dorſum, aliquid coloris purpuraſcentis in lateribus apparebit. Pinnulæ albent. Ore aperto ſuperioris mandibulæ extremitas deorſum tendit. Os habet longiuſculum; dentes nullos. Julio coeunt. Noctu tantum capiuntur retibus, ad paſſus 40 aut 50 demiſſis. Cum cælum ſerenum eſt altius deſcendunt, cum nubilum aſcendunt. Denſiſſimis gregibus præ cæteris Albulis capiuntur &c.

Jam ut de his omnibus Albulis ſententiam noſtram feramus, non plures duabus tribuſve ſpecies eſſe exiſtimamus, nimirum 1. Lavaretos figura & magnitudine plerunque Harengorum: 2. Ferras dictos, latiores, craſſioreſque, figura Salmonum, Lavaretis majores. 3. Albulas forte minimas *Geſneri*. Quamvis in his (ut verum fateamur) nobis non ſatisfacimus, & forte omnes hæ varietates unius & ejuſdem ſpeciei ſunt, quæ vel ætate colores mutat, vel loco; alibi quoque minores perpetuo manent, alibi grandiores evadunt. Certum eſt etiam totum hoc genus omnibus fere in locis, ſingulis annis ætatis reſpectu varia ſortiri nomina. Quocirca quæ à magnitudine & coloribus notæ deſumuntur, non ſufficiunt (me judice) ad convincendum hos alioſve piſces ſpecie differre: pluris eas facio quæ à figura corporis & moribus petuntur. Ego certe *Albelen* Tigurinum, *Lavaret* Allobrogicum, *Ferra* Genevenſem, *Guiniad* Wallicum, *Schelley* Cumberlandicum vidi & quam potui accurate deſcripſi. Præcipuæ autem quas ego inter hos piſces obſervare potui differentiæ fuere in magnitudine, qua Ferra & Albelen excelluere, & figura externa corporis, quæ in Ferra & Albelen craſſior latiorque & brevior ad Salmonem accedebat; in Lavareto, & Schelley pro magnitudine longior, tenuior anguſtior Harengum referebat. Mihi ergo duæ tantum ſpecies Albularum cognitæ ſunt 1. Harengiformis; Lavaretus, ſeu Schelley, nam hi duo piſces ſpecie convenire videntur. 2. Salmoni ſimiles, Guiniad, albelen, Ferra; nam hæc ejuſdem ſpecie piſcis diverſa nomina ſunt.

§. VII. *Oxyrhynchus* Rondeletii Gesn. *p.* 771. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 24. *Flandris* Hautin & Outin.

Figura corporis Truttam refert, nisi forte aliquanto compressior sit. *Squamis* majusculis albicantibus integitur. Dorsum *colore* est obscuriore: *Lineæ laterales* initio sui inflexæ. Quem mensi sumus longus erat digitos 15½. Inter summum rostrum & *Pinnæ* dorsalis anterioris initium spatium intererat digitorum 6½; hinc ad initium *pinnæ* posterioris seu cartilagineæ digiti erant 4½; a summo rostro ad *pinnas* branchiales digiti 3; ad ventrales 7¼; ad exitum excrementorum 10. In *pinna* dorsi anteriore 13 *radios* numeravimus; in branchialibus singulis 17; in ventralibus 12; in pinna retro anum 14. *Cauda* forcipata. A reliquis hujus generis facile distinguitur *figura rostri* seu maxillæ superioris, quæ ultra inferiorem procurrens rotundatur, paulatimque contractior facta in acumen desinit, figura conica aut trochoide. *Cranium* pellucidum, minus tamen quam in violacea. *Oculi* nullis membranis superinteguntur: irides albæ, inferius sanguinea macula notatæ. Dentes nulli; Lingua tamen subaspera est. *Figura. Squama. Color. Linea laterum. Pinnarum situs. Earundem radii. Cauda. Rostri figura. Cranium. Oculi. Edentulus est.*

Appendices ad pylorum primo pluribus integris circulis intestinum ambiunt; deinde per tres uncias ex una tantum parte intestini exeunt. Porus bilarius inter appendices inseritur. Cystis fellea ampla. Cor triquetrum. *Branchiæ* ex parte anteriore pectinatæ sunt; ex anteriore dentibus aut nullis aut perexiguis donatæ. *Appendices Fel. Branchiæ.*

In *Hollandia* frequens una cum Asellis vænit. Hinc forte occasio errandi in numero pinnarum dorso. *Rondeletius* enim, eumque secuti reliqui ichthyographi, tres ei in dorso *pinnas* perperam attribuunt. *Locus. Error in numero pinnarum.*

§. VIII. *Thymallus* Rondeletii, Gesn. 1171. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 14. *Italis* Temelo, *Germanis* Aesch. *Anglice* A Grayling & *alicubi* an Umber.

Corpore est longiori & compressiori quam Trutta; ventre plano, sesquidigitum lato; dorso repando & in acumen fere contracto: *pondere* jam adultus dimidiæ libræ Tugiensis, [alibi majores evadunt, in *Ambra* fluvio *Lombardiæ* sesquilibram ad summum pendent. *Bellon.*] *Color* ei in dorso viridis sordidior ad cæruleum vergens. Latera glauca, velut auri fulgore intermicantia. A capite ad caudam lineæ parallelæ, obscuriores in commissuris ordinum squamarum producuntur. [Squamæ in hoc pisce singulæ fere ῥομβοειδεῖς sunt, latera enim earum utrinque circuli segmentum referunt, supra vero infraque in cunei acumen tendunt.] Lineæ laterales non media latera dividunt, sed summo dorso quam imo ventri propiores sunt. Latera maculis nigris nullo ordine positis varie pinguntur: caudam versus nullæ habentur maculæ. *Pinnæ* in dorso duæ, anterior non longe à capite, ampla, longa, alta, nervis 21 aut 22 radiata; quorum primus brevissimus, sequentes ad quintum sensim altiores. Pinna hæc summa parte rubro diluitur, ima ex cæruleo purpurascit; in quibusdam piscibus maculis obscuris quadratis perbelle pingitur, tabulæ Schaccariæ in modum; in aliis minime maculosa est. Quin in nonnullis piscibus ventris latera utrinque inter branchiales & ventrales pinnas linea aurea pulcherrima ornantur; in aliis minime. Pinnula posterior crassa, carnosa non plus duobus à cauda digitis distat. *Cauda* forcipata. Pinnæ ad branchias geminæ, humili situ, singulæ radiis circiter 16 instructæ, quorum secundus validissimus *Figura. Pondus. Color. Pinnæ. Cauda.*

mus longiſſimuſque, reliqui ordine breviores: geminæ in ventre circa mediam longitudinem ſitæ, cæruleo purpuraſcente colore leviter tinctæ, & maculis nigricantibus variæ, ſingulæ nervis 10 aut 11 corroboratæ. Orificium excrementorum una fere longitudinis 4^{ta} parte à cauda diſtat, cui ſuccedit pinna radiorum 13, cæruleo colore languido imbuta. Radii primus & ſecundus validiſſimi ſunt, reliqui paulatim humiliores.

Caput Oculi. *Caput* huic piſci parvum: *oculi* protuberantes, iridibus argenteis, maculis fuſcis nubiloſis. [*D. Willughby* flavicare irides ſcribit, & colore fortaſſe variant.]

Os. Cranium pellucidum: *Os* mediocre, non longo ſed quadrato fere hiatu: Superior maxilla ultra inferiorem procurrit.

Dentes. Pro *dentibus* labia introrſum limæ inſtar exaſperantur. In imo ore duo tubercula ejuſmodi denticellis aſpera.

Lingua. *Lingua* glabra.

Branchiæ. *Branchiæ* quaternæ, ſingulæ duplici ariſtarum ordine pectinatæ.

Appendices. *Appendices* habet infra pylorum plurimas, inteſtinum ne ſemel quidem reflectitur.

Fel. *Cyſtis fellea* rotunda, ampla:

Hepar. *Hepar* modicum, ejuſdem qui in Quadrupedibus coloris. Veſica aerea non intercepta, membrana tenui conſtat, quæ dorſo quidem adhæret, ita tamen ut inde facile avelli & ſeparari poſſit.

Locus. In *Atheſi* fluvio frequens eſt, inque multis *Germaniæ* & *Angliæ* fluminibus montoſis.

Nomina. Anglica. *Turnerus* à colore cinereo *Grayling* Anglice dictum, & alicubi *Omber*, in epiſtola ad *Geſnerum* ſcribit.

Etymon. *Thymallus* à *Thymo* dictus eſt, quod recens thymi odorem referat, ut veterum nonnulli, eoſque forte ſecuti recentiores quidam ſcribunt. *Salviano* nunc quidem thymum redolere non videtur: vere tamen ſuavius quam reliqui piſces olent.

Tenerrimus & ſapidiſſimus omnium fere fluvialium piſcium cenſetur. *Geſn.* è *Salviano.* Veſcitur gryllis aquaticis, muſcis, lumbricis, & ſimilibus inſectis; parit Maio. *Schwenckfeld.*

§. IX. *Umbra fluviatilis* Rondeletii *&* Bellonii, *quam cum* Geſnero *Thymalo eandem cenſemus.*

UMbra fluviatilis, deſcribente *Rondeletio*, non ſolum nomine ſed & colore marinis ſimilis eſt, à quo utrique nomen; corpus enim eſt opaci loci modo ſubfuſcum & ſubobſcurum, (*Bellonius* pedem non excedere ait) cubitalem magnitudinem non excedens. Galli Narbonenſes (demptis Monſpelienſibus) Umbram vocant. Piſcis eſt ex truttarum genere, Carpioni Italico corporis aſpectu affinis. Pinnis & earum ſitu à Truttis non differt: duas itaque ad branchias habet, duas in ventre, ab ano unicam, in medio dorſo priorem majorem, poſteriorem minorem ſubrotundam & pinguem: ſquamas parvas & maculoſas ſimiliter habet: carnis ſubſtantiam parteſque internas omnes eaſdem. Capite vero à Truttis differt, quo Carpioni ſimilis eſt. Capite enim longiore eſt quam Trutta, ore minore nec tam hiante, roſtro non acuto ſed obtuſo, maxime in maxilla inferiore, ſine dentibus, & ſine magna maxillarum aſperitate. Oculis eſt patulis, cornea tunica aurea, pupilla nigra. Corpus à medio ſenſim gracileſcit; in caudam tamen latiuſculam & pinnam bifidam latiſſimam deficit. A branchiis ad caudam linea recta per medium corpus producta eſt. Branchiæ intus ſunt quaternæ; ventriculus longus & ſpiſſus, pinguitudine, quæ lacte candidior eſt, obductus, à quo multæ apophyſes pendent. Hepar rubet, cui alligata eſt fellis veſicula. Fel nigerrimum eſt: ſplen longus & niger. Inteſtina ſine gyris ullis ad anum demiſſa ſunt.

Veſcitur terra, aqua, limo, unaque cum his & cum arena auri laminulas haurit: ob id vulgus auro nutriri Umbram credit.

Carne

Carne est sicca & alba, qualis est parvarum Truttarum: Pura aqua maxime delectatur. *Bellonius* delicatissimi saporis & nutrimenti peroptimi esse scribit, dorso tersissimo ex livido opaco, ventre toto argenteo.

Piscis hic sub Umbræ titulo Rondeletio *&* Bellonio *descriptus quin Thymallus sit, nemini descriptionem nostram Thymalli cum* Rondeletiana *Umbræ conferenti dubium esse potest. Accedit quod* Lugdunenses *&* Sabaudi *seu* Allobroges *(quibus* Bellonius *Umbram peculiarem esse scribit & valde familiarem) Gallice loquentes Thymallum Umbram appellent; eodemque* Eboracenses *etiam nostri nomine utantur pro eodem pisce.* Gesnerus *quoque optimo argumento Thymallum Umbram esse Ausonii probat, quoniam non est verisimile Ausonium tam nobilis Mosellani piscis, cum viliores plerosque omnes nominarit, mentionem præteriisse; quod tamen fecit, ni Umbræ nomine eum indigitavit,*

Rondeletius *ergo &* Bellonius *eundem piscem bis, pro duobus descripsisse nobis videntur.*

§. X. *Salmo omnium Autorum.* A Salmon.

Salmonis nomen à Germanis Rheni accolis, vel Gallis Aquitanis Latini accepere. Videri autem potest à sale deductum, quod hi pisces in magna copia saliri, vel sale muriaque inveterari solent, perinde atque in Mediterraneo Thynni, quos & magnitudine referunt, & robore corporis, vique saliendi, ut si Latinum esset vocabulum, à saltu factum videri posset, *Gesner.* Salmonem Græcis incognitum fuisse; & ideo Græco nomine carere nihil mirum, cum Græci veteres in Oceanum non penetrarint: Salmo autem in Oceano tantum nascitur, qua de causa fluvios tantum eos subit qui in Oceanum influunt, falluntur ii qui in *Rhodano* capi existimant, *Rondeletius.* *Nomen, Etymon.*

Salmo pro ætate nomen mutat apud plerasque gentes. Ausonii ætate maximi & seniores Salmones dicebantur, mediæ magnitudinis & ætatis Sariones aut Fariones, minores & juniores Salares: ut ex illo tristicho patet. *Mutatio nominis.*

Teque inter geminas species neutrumq; & utrumque,
Qui necdum Salmo, nec jam Salar, ambiguusque
Amborum, medio Fario [alii Sario] *intercepte sub ævo.*

Germanis circa *Rhenum* tempore veris & æstatis Salmo nominatur *ein Salm* usque ad *S. Jacobi* diem, i. e. 25 *Julii;* deinde mutato nomine *ein Lachs* usque ad *S. Andreæ* diem, qui postremus est *Novembris: Lachs* autem à Leich i. e. genitura dicta videtur.

Nostratibus in fluvio *Ribble* agri *Eboracensis* Salmones primo ætatis anno *Smelts* dicuntur; secundo *Sprods;* tertio *Morts;* quarto *Forktails;* quinto *Half-fish;* hoc est dimidiati pisces; sexto denique, cum jam penitus adoleverint, & justam magnitudinem assecuti sint, *Salmones:* ut ab amico quodam certiores facti sumus, quamvis alii Salmones citius, nimirum triennio, perfici aiunt.

Salmonem (inquit *Bellonius*) cetaceum piscem dicere poteris, si quidem ad ejus solam *magnitudinem* advertas: Thunnum magnitudine æquat. *Rondeletius.* Majores qui apud nos [Misenos] capiuntur à libris 24 usque ad 36 accedunt. *Kentmannus* apud *Gesnerum.* Apud nos quoque [*Tiguri* in Helvetiis] 36 librarum aliquando, vel etiam paulo graviores capiuntur. Est autem libra nostra unciarum 18. *Gesner.* Magnitudine in nostris fluviis capti ab his non multum differunt. *Magnitudo.*

Salmo piscis est longus, squamosus squamis perexiguis & tenuibus; capite parvo, rostro acuto, cauda forcipata, dorso subcæruleo, reliquo corpore candido; interdum maculosus, alias sine maculis. *D. Johnson* cum à mari recentes adveniunt omnes maculis carere, putat; quas po- *Descriptio omnium partium.*

Maxilla inferior uncinata, in mare tantum. ftea mora in aquis dulcibus contrahunt. *Maxilla inferior* furfum recurva eft (inquit *Rondeletius*) fed in fœmina magis: idem affirmat *Bellonius*. At noftri pifcatores in mare tantum curvari aiunt infigniter, in fœmina perparum. *Gefner. D. Johnfon* quoque literis ad nos datis, *in mare tantum* Salmone *mandibulam inferiorem in uncum curvari* fcribit, quæ continuo ad fuperiorem appulfu foramen in ea fibi excavat, imo roftrum extremum interdum penitus perforat. *Uncinati roftri ufus.* Uncus ille in magnis & extenuatis *Salmonibus* duos fere digitos longus eft. Hunc teli ufum mari præftare coitus tempore, dum Veneri militat & generationi operam dat, ad fæturam defendendam, & ovorum liguritores abigendos exiftimat *D. Johnfon*; quem ad mare reverfus brevi amittit. Alii *Salmonibus* emaciatis & à partu male affectis accidere, ut roftrum in uncum curvetur fcribunt. Sed falluntur. Hoc enim tam fanis quàm male affectis commune. Quis hujus unci ufus fit, quid de eo fiat, & an roftrum priftinam iterum formam recuperet, nemo antehac, quod fciam, prodidit. *Dentes.* *Dentes* habet in utraque maxilla longos & acutos, item in lingua. *Rondel.* At *Gefnerus* dentes quam pro magnitudine pifcis minores effe fcribit. Linguam quoque dentatam, latam, brevem, carinatam. *Bellonius* dentium illi præter aliorum fluviatilium morem 4. ordines in palato attribuit, ut ferpenti Ceraftæ. At *D. Willughby* in pifce *Salmon-Peal* dicto, quem Salmonem juvenem effe conjicio, maxillam fuperiorem duobus tantum dentium ordinibus munitam obfervavit; palatum glabrum abfque ullis dentibus. *Pinnæ.* *Pinnis* 4 natat. Duæ ad branchias fitæ funt, aliæ duæ in ventre, quæ fubfunt ei quæ in dorfo eft majori, quam fequitur alia minor adipofa, truttarum & Salmonum communis. Cute eft craffiufcula, carne interius rubra, paffim intercepta adipe; pinnis quoque pinguibus & glutinofis. *Branchiæ. Maculæ an femper adfint.* *Branchiæ* quadrigeminæ, quarum opercula lata, & puniceis rotundis *maculis* plena, qualia etiam per latera utrinque fpectantur; in fummo dorfo fufca. *Gefner.* Nos nec omnes Salmones, nec eofdem femper *maculofos* effe fuperius indicavimus.

Locus. Salmo in fluviis natus ex iis in mare defcendit, non, ut *Rondeletius* fcripfit, in mari natus fluvios fubit; deinde iterum ad locos natales revertitur, ut ibidem pariat. Autumno (inquit *Hector Boethius* citante *Gefnero*) rivulis plerunque aut locis vadofis Salmones junctis ventribus ova pariunt, fabuloque contegunt: quo tempore mafculus adeo lactibus [genitura,] fœmina ovis exhaufta eft, ut macilenti evadant. Cæterum ex ovis illis arena obrutis pifciculi ineunte vere nafcuntur adeo molles, ut velut humor concretus diffluant. Tum primum natura duce ad mare pergunt (quod de celeri Salmonum auctu tradit minus verifimile videtur;) vigintique dierum fpatio aut paulo majore, incredibile dictu, qualem in magnitudinem excrefcunt, &c.

Vldrichus Hugualdus & *Adamus a Bodenftein* Bafileenfes adhuc exactius de Salmonum migratione & partu ad *Gefnerum* perfcripferunt. Salmones vere primo ex Oceano per *Rhenum* afcendunt magnis copiis, ita ut *Maio* menfe circa *Bafileam* maxime abundent. Aquis fluminum auctis ac turbidis præfertim migrare gaudent. Circa partum colorem ac faporem mutant, ac propter maciem figuram quoque, ut genus jam aliud videatur: itaque etiam nomen mutatur. Hæc eorum tabes non multo poft Solftitium æftivum incipit, ita ut paulatim corpora eorum imminuantur. *Generandi modus.* Circa finem fere *Novembris* ad altiora fluminum tum majorum, tum minorum quæ in illa exonerant, loca contendunt, & quoad ejus poffunt afcendunt, pariendi gratia; quamvis etiam in *Rheno* pariant. Incipiunt autem non multo poft Solftitium: & fubinde per autumnum & hyemem parere pergunt, aliqui etiam ad veris ufque, id eft *Martii*, initium. Partui locum idoneum circumfpiciunt, folutum Sabulonem, fuper quo fluvius rapide fertur. Scrobes hujufmodi ad ripas fluminum aquis deftitutas fparfim apparent. Ibi fcrobem excavant

longam

longam 3, quatuorve passus, latam circiter pedes 4. In eam fœmina immittit ova pisorum magnitudine, quæ mas, rore suo genitali irrigat. Construunt autem eam muniuntque, tum intus, tum ad latera, lapidibus, miro ingenio, ut in tuto sint ova obtectaque, ne impetu fluvii dispellantur. Sic igitur illa genitura maris perfusa ad vernum usque tempus jacent: tum demum iis animatis pisciculi nascuntur, quos Salmulos vocant. Hoc dignum admiratione, Salmulos mares aliquando genitura plenos reperiri, & cum fœminis adultis coire, eorum ova rigare (quod ignoravit *Rondeletius*) cum in Salmulis fœminis nunquam ova reperiantur. Pariunt autem libentius in minoribus fluminibus ac rivis, in quæ deflectunt, quam in ipso *Rheno*, cujus aqua eo tempore minus lenis aut pinguis est, & vadum durius. Partu absoluto uterque sexus retro in *Rhenum* fertur; & multi in Oceanum redeunt. Auctis aliquando fluviis ova scrobibus commissa dissipantur, itaque pars perit, aut à piscibus devoratur: pars aliqua servatur. At si nihil impediat, ova paulatim augescunt, & spiritu vitali inflata demum ultro per aquam deferuntur, formaturque interim piscis. Scrobes, quas diximus, aliquando imminutis fluviis in sicco relinquuntur, nec tamen pereunt ova, sed restitutis aquis animantur, non minus ac si eis destituta nunquam fuissent. Piscatores ex aquarum copia inopiave, magnus an parvus Salmonum in annum futurum sit expectandus proventus conjectant. Salmuli non ultro unum alterumve annum in *Rheno* se continent, vel potius (ut plurimum) priusquam annum unum compleverint ex aliis aquis in *Rhenum*, inde Oceanum descendunt: id facere incipiunt cum quaternos aut quinos pollices longi sunt; rarissime enim qui 8 aut 9 æquent pollices reperiuntur. In Oceano vero aucti, ut jam Salmones sint & dicantur, rursus per *Rhenum* ascendunt, ut prædictum est. *Gesnerus.*

Salmonis uterus solo vitellario constat, ut & omnium fere piscium fluviatilium; neque enim his ovum est bicolor; ego Salmonem pro paradigmate pono ob insignem magnitudinem; hic facile est uterum prorsus membranaceum, sive ut rectius loquar vitellarium integrum pervadere, & singulis ovis singulas arterias destinatas invenire, quarum majores trunci ab aorta prodeunt, venæ itidem ex utroque latere in unum ramum majorem colliguntur, & cavæ tandem juxta diaphragma uniuntur; modus quo ad uteri orificium descendunt, captu non minus difficilis est, quam in vitellario Gallinaceo. D. *Needham* de fœtu format. cap. 7.

Joh. Conradus Peyerus in lucem dedit quasdam anatomicas observationes de extis Salmonum in *Ephem. German.* An. 11. Obs. 85. quæ consulantur. *Harderus* promisit Historiam & anatomiam hujus piscis.

Caro Salmonis priusquam coquatur albicat, cocta vel salita rubescit: pinguis est, maxime in ventre, tenera, friabilis, dulcis, ob id cito satiat: maxime capitis ac abdominis partes, quæ quum elixæ in aqua solum eduntur, ventriculum replent, & nauseam faciunt. Quocirca magis eos probaverim, qui in vino, aceto & sale multo elixant. *Rondeletius.* Salmonis caro rubra est, suavissima & lautissima, nullum enim piscem vel marinum, vel fluviatilem Salmone meliorem unquam comedimus, ut mea sententia marinis & fluviatilibus omnibus sit merito præferendus. *Massarius* apud *Gesnerum.* Ego marinis omnibus suavitate præstare concesserim, non tamen salubritate, præsertim ægrotis. Crassius enim & viscosius ex eo nutrimentum esse arbitror quam plerisque Saxatilibus. *Gesnerus:* cujus etiam sententiæ nos libenter subscribimus. *Caro qualis.*

Recens in aqua bene elixatur, tum vino calido perfunditur, refrigeratur, & in eodem quo elixus est jure ad dies 8 vel 14 servatur. Inde singillatim cum libuerit unus aut alter tomus eximitur aceto perfundendus. Is cibus est lautus & boni saporis. *Kentmannus* apud *Gesner.* *Quomodo condiatur.*
Eodem fere modo eum præparant & condiunt nostrates. *Salmo* adversus *Saltus.*

ſus fluvios perpetuo nititur, cumque in aſcenſu ſepem vel aliud hujuſmodi obſtaculum invenerit, in circulum flexo corpore caudam ore apprehendit, eamque mordicus tenens, iterumque dimittens magno impetu tranſilit. *Author de natura rerum* apud *Geſner*. Hoc à plurimis piſcatoribus aſſidue fieri multoties audivimus. Quod Salmones ad ſaliendum agillimi ſunt, libenter concedimus, & experientia quotidiana confirmat: verum quod de caudæ apprehenſione fertur minus veriſi-
Augmentum. mile nobis videtur. Quæ de celeri Salmunculorum in mari *auctu* ab Autoribus traduntur apud nos fidem non inveniunt: noſtrates enim piſcatores Salmones annuatim ab ætate diſtinguunt, ut ſuperius diximus, neque ante ſextum ætatis annum perfici aiunt. Hirudines Salmones multum infeſtare dicuntur, & ad ſaltum compellere.

Victus. Quo cibo utantur Salmones cum Autores diſſentire videam, experientia conſulenda eſt. Lumbricum terreſtrem, Phoxinum aliumve piſciculum in eſcam eis objectum avide ſatis deglutiunt, ut *D. Johnſonus* nos certiores fecit: falluntur ergo qui ſola aqua eos vivere & nutriri affirmant, eo ſcilicet argumento quod nihil ſolidioris cibi in ventriculis eorum diſſectis invenerint: quamvis non negemus quin ob defectum alterius pabuli aqua ſola nutriri & victitare poſſint, ut & alii piſces.

§. XI. *Salmulus*, *Herefordiæ* Samlet *dictus*, *Branlino* D. Johnſon *inferius deſcripto, ut nobis videtur, idem.*

QUem deſcripſi longitudine erat ſeptunciali; ſeſcunciali latitudine: & raro capiuntur majores. Pinna dorſi anterior digitos $2\frac{5}{8}$ ab extremo roſtro diſtabat, poſterior adipoſa pinna $5\frac{1}{8}$; pinnæ branchiales $1\frac{1}{2}$; ventrales $3\frac{1}{2}$. Maxillæ denticulatæ fuere, palato etiam areolæ denticulorum tres inerant, & linguæ inſuper ordines duo, ut in trutta. *Branchiæ* quatuor, prima unico tantum ariſtarum pectinatarum ordine inſtructa, in ſecunda alter incipit, qui poſtea major fit. Oculi $\frac{3}{8}$ digiti partes ſummo roſtro diſtabant; nares $\frac{3}{16}$ tantum. Pinnæ branchiales radiis 15 fulciuntur, ventrales 9, dorſalis 12, quæ ano ſubnectitur 10, cauda 19. Squamis integitur parvis velut trutta. Dorſum nigris maculis aſperſum, circa lineas punctatas laterales maculæ paucæ rubræ cernuntur. Venter albet. Hujus generis omnes (quod mirum) mares eſſe aiunt.

Truttæ perſimilis eſt, ab ea tamen ſpecie differre videtur. Nam 1. Paulo latior eſt. 2. pauciores habet maculas, eaſque minus vividas, maculæ etiam nigræ in hoc minores ſunt. 3. Videtur eſſe albidior, & 4. cauda magis forcipata. 5. Latera ſub maculis luteſcunt, ſed minus quam in trutta. 6. Linea major in trutta, & magis rubra. 7. Ad lineam tranſverſæ areæ cæruleſcentes, quæ truttæ deſunt. 8. Denique trutta minor eſt multo. Fel flaveſcit, lien nigricat. Veſica natatoria, & meatus à ventriculo ad eam ducens ita ſe habent ut in trutta. Appendices ad pylorum plurimæ, 40 minimum. In fluvio *Wye* Herefordiam præterfluente capitur, & alibi.

§. XII. *Piſces fluviatiles & anadromi è genere truttaceo in Septentrionalibus Angliæ obſervati à* D. Johnſon.

HI ſunt, 1 *Salmo*, cujus notæ, corpus oblongum, caput parvum, roſtrum acutum, cauda forcipata, latera alias maculoſa, alias ſine maculis. Recentes è mari maculis carere puto, quas poſtea in aquis dulcibus contrahunt: hoc tamen mihi non certo conſtare fateor. Piſcatores

ſcatores nonnulli Salmonem ſimpliciter & Salmonem *cock*, id eſt Gallum dictum, ſpecie diſtinctos volunt; verum ego differentiam duntaxat inter eos accidentalem ætatis, aut victus copioſioris reſpectu intercedere exiſtimo.

2. *The Grey*, i. e. Cinereus aut griſeus. Hic magnitudine ad Salmonem proxime accedit; verum figura corporis ab eo multum abludit: nam latior eſt & craſſior ſpiſſiorve, maculis obſcure cinereis crebris undique aſperſus, à quibus & nomen obtinuit. Cauda ei æqualis eſt, & minime forcipata; caro delicatior quam vel Truttæ Salmonatæ vel ipſi etiam Salmoni; unde & duplò fere illius pretio venit. Nam *Graia* 8, 10, aut 12 denarios recens è flumine valet, cum trutta paris magnitudinis vix 5 æſtimetur. Verum cum è mari fluvios mira velocitate ſubeat, nec ullam eſcam reſpiciat; viribus quoque & agilitate pollens, magno impetu quælibet obſtacula facile tranſſiliat, rarius capitur, nec multis cognitus eſt: præcipue quoniam non ante initium Auguſti pariendi cauſa flumina ingrediatur, & tunc quoque inundationis opportunitatem plerunque captet, cum Scurfæ [Truttæ Salmonatæ] initio *Maii* ad nos veniant, Salmones etiam toto vere. *Quem deſcripſimus pro Umbla minore* Rondeletii, *colore macularum cum hoc piſce convenit, cauda forcipata differt. Umbla altera ſeu Umbla eques* Rondeletii *huic forte idem eſt, verum in tanta deſcriptionum brevitate nihil certo definire audemus.* *Graia.*

3. *The Scurf*, Trutta Salmonata & *Bull-trout* etiam dicta, ab utroque præcedente differt, quod minor ſit; ſiquidem viginti digitos longitudine rariſſime excedat; à Salmone quod cauda ei æqualis ſit & minime forcipata; à *Graia* quod caput brevius & craſſius habeat. Caro non rubet, ut in Salmone, eſtque hircoſior graveolentior & ingratior quam in *Graia*. *Trutta Salmonata.*

Hujus multæ ſunt varietates, piſcatoribus noſtris probe cognitæ & diſtinctæ, qui etiam quo quodque genus menſe adveniat pulcre callent: verum eas ſpecie inter ſe differre non auſim affirmare.

4. *Branlins*; nonnullis *Fingerins*, i. e. Digitales, dicti; quia notas ſeu areolas tranſverſas nigricantes quinque aut ſex, veluti tot digitorum veſtigia impreſſa, in lateribus obtinent, cum macula rubra in unaquaque areola. Cauda ſunt forcipata, Salmonum ritu; quodque mirum eſt, omnes mares. Cum Salmonibus procreandi cauſa miſceri eos mihi perſuaſum eſt. Quam primum enim Salmo ovorum editorum congeriem, ſeu acervum malis dicere, relinquit, *Branlinus* mox ei incumbit, ovaque (ut veriſimile eſt) ſpermate ſuo irrigat & fœcundat: nec alibi uſquam inveniuntur *Branlini* quam iis in locis quæ Salmones frequentant. Quod ad mare deſcendant non auſim affirmare, ſiquidem quovis anni tempore apud nos inveniantur. Fluentis rapidiſſimis acerrimiſque verſantur, in quibus nullum aliud genus piſcis durare poteſt. Cum adoleverint ſex circiter digitos longitudine æquant. *Branlinus.*

Præter Salmones in fluviis noſtris genitos, de quibus egimus, annis nonnullis, cum venti Aquilonares (uti conjicio) vehementius ingruunt, aut ſolito frequentiores & diuturniores ſpirant, novum quoddam Salmonum genus à Septentrione ad nos commeat, & ſi aditus ab arena obſtruente eo latere pateſcat, fluviorum oſtia ingreditur. Hi à nota inſigni h. e. macula lata cærulea in capite piſcatoribus noſtris *Blewcaps*, i. e. Cyanocephali appellantur. Horum ſi forte piſcator aliquis vel unum conſpicatus fuerit, præ gaudio exultat, ut qui certus ſit ſigno haud fallaci gregem ingentem non procul abeſſe, præſertim ſi branchiæ capto pediculoſæ fuerint: hoc enim inde evenire putant, quod alimento omnibus non ſufficiente, alter alterum defraudet, unde non pauci macreſcunt & verminoſi fiunt.

5. *Trutta fluviatilis*, [quam inferius deſcribemus.] Non auſim fidenter aſſerere duas me noſſe diſtinctas hujus generis ſpecies: verum habere *Trutta fluviatilis.*

bere nos in pigrioribus & limosis fluviis speciem quandam truttæ majorem, latiorem crassioremque, lucidioribus maculis rubris notatam, carne Salmonis instar rubra, longe etiam delicatiore quam vulgaris fluviatilis, tibi pro certo & explorato confirmare possum.

De Piscibus hisce has nobis observationes cognitu sane dignissimas, communicavit idem D. *Johnsonus.*

Observationes. 1. In Salmonum & Truttarum speciebus distinguendis nimium ne crede colori: nam is pro tempestate anni, aut aquarum diversitate, mirum in modum variat. Compertum est mihi Salmones ex Oceano Occidentali reduces, circa *Carleolum* fluvios subeuntes (quales ad nos sæpe adferuntur) colore lucido esse & subcœruleo, nec ullis omnino maculis varios. At vero qui ex Oceano Orientali *Tesam* & *Swalam* fluvios ascendunt maculosos esse. Utrique tamen in fluviis & aquis dulcibus diutius commorantes decolores fiunt, macilenti evadunt & pediculis infestantur. Quin partus tempore exterius rubere plerunque solent, albere intus. *Diuturniore in fluviis mora Salmones emaciari plerique historiæ piscium scriptores consentiunt: unde constat Rondeletium errasse, cum Salmones in aqua dulci pinguescere scripserit.*

2. Omnes has species, nimirum *Salmonem, Graiam, Truttam Salmonatam, Truttam,* & *Branlinum*, promiscue aliquoties coire & semina miscere mihi persuasum est: & ni natura pariendi tempore maxillam inferiorem in mare unco armasset, ad defendendam (ut verisimile est) ovorum recens editorum struem, plures ejusmodi raptus & aliena connubia fierent. Hanc mihi sententiam suadent, 1. Impar piscium utriusque sexus numerus: siquidem in Truttis mares fæminas, in Scurfis fæminæ mares numero multoties excedunt; *Branlini* autem (ut diximus) mares sunt omnes. 2. Mira sobolis varietas. Quamvis enim *Salmunculi* plerunque maculis careant, & caudam habeant forcipatam, *Truttæ Salmonatæ* crebris maculis aspersæ sint, & caudas æquæ longitudinis radiis obtineant: *Graiæ* paucioribus notantur maculis, inque dorsi pinna duabus tribusve tantum, cum *Scurfæ* plurimis varientur: dari tamen spuriam progeniem observavimus, in quibus notæ hæ miscentur & permutantur, quæ parte aliqua hunc, alia illum parentem referunt. Omne genus mares fæminas parturientes sectantur, & ovis recens editis perpetuo adsunt incubantve, aut circa ea versantur. Salmoni abeunti succedit *Branlinus*, *Scurfa* aut *Graia* descendente subit *Trutta*, ejusque locum occupat. Scio mihi hic objici posse, ideo mares fæminas sectari, ut ova recens edita deglutiant, quibus utique avide inhiant.

Hoc quidem verum esse non diffitemur, experientia tamen constat, fæminas cum sui generis mares desunt, aliena conjugia appetere aut saltem non aspernari. Hoc autem necessitate compulsæ faciunt: cum enim per mille pericula ad loca partui idonea tendant, proprii generis mares sæpenumero amittunt, adeoque diversi maritos cogantur admittere. Modus quo pisces hi generant sic se habet. Cum idoneum sabuli cumulum invenerint, mas & fæmina simul latere ad latus admoto, pinnis ventralibus foveam in sabulo excavant, in quam fæmina ova sua enixa deponit: Ova edita mas lacte seu spermate suo aspergit & perfundit, posteaque sabulo curiose contegit & occultat, ibidemque opperiens uncinato rostro ab aliorum piscium rapinis defendit. In hunc modum generationi operam dantes una manent, donec uterque penitus exhaustus sit, hic lacte, illa ovis. Nonnulli opus hoc biduo triduove absolvunt, alii octiduum & amplius continuant.

§. XIII.

§. XIII. *Umbla prior* Rondeletii Gesner. *p.* 1201.

IN bicubitalem longitudinem interdum excrescit. Quem descripsi, digitos 20. longus, pinnarum numero & situ cum hujus generis reliquis conveniebat. Summum rostrum & dorsi pinna anterior digitos $9\frac{3}{4}$ distabant; posterior (mollis & adiposa) $14\frac{1}{4}$; pinnæ branchiales 4; Ventrales 10; foramen ani $13\frac{1}{2}$; oculi $1\frac{1}{4}$ nares $\frac{3}{4}$. In pinna dorsi radios numeravimus 15; in branchialibus singulis itidem 15; in ventralibus 10. in ea quæ pone anum est 12. Cauda forcipata. Lineæ in lateribus punctatæ sursum recurvæ sunt præter aliorum piscium morem. Latera infra lineam & venter flavescunt: supra lineam punctatam maculæ neque nigræ, neque rubræ, sed albidæ. Caput cærulescit: Cranium fere pellucidum est. Sub oculis tria aut quatuor foraminula. Nares duplices. Dentes in lingua sex; utraque etiam maxilla dentata; superior duplici interius serie. In medio palato dentes nulli.

Ventriculus ingens, pisciculis repletus erat. A ventriculi orificio ad vesicam aeream meatus decurrens superiorem vesicæ extremitatem subintrat. Cystis huic fellea est, & renes magis carnosi quam aliis plerisque piscibus.

Piscem hunc alicubi in Germania observavit & descripsit *D. Willughby.*

§. XIV. *Umbra altera* Rondeletii.

PIscem hunc *Lemani* lacus accolæ *Umble chevalier* vocant, fortasse ob magnitudinem, præstantiam & robur, neque enim à superiore solum differt vel sexu, vel ætate.

Salmonibus & *Truttis* quæ *Salmonatæ* dicuntur similis est, rostro recurvo, quo à superiore differt, id enim longius habet & acutius. Maxillæ inferioris extremum incurvum in maxillam superiorem, ejus rei gratia excavatam, recipitur, ut in *Salmonibus* videre est. Maxillæ lineis multis distinctæ sunt. Dorsum ex cæruleo nigricat. Venter aureo colore est. Hepar flavescit, in eo est fel: splen nigricat. Ventriculus gulæ subjectus est, longus, spissus: cujus innumerabiles sunt appendices, quemadmodum in superiore. In insignem excrescit magnitudinem.

Carne est sicca & dura. Speciem hanc *Gesnerus* non agnoscit, nec in lacubus *Helveticis* reperiri putat.

De priore specie, quam à suis *Root* vocari scribit, hæc habet *Gesnerus.* Piscis est dentatus, 3 aut 4 dodrantes longus, ventre rubicundo; cætera *Salmoni* aut *Truttæ* similis. Vescitur pisciculis. Magis albicat quam minor. Debilis & infirmus est piscis &c.

§. XV. *An Umbla altera* Rondeletii Gesn. *p.* 1201. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 48. *Germanis* ein Salvelin?

DOrsum huic nigricat [præ multo livore opacum est. *Bellon.*] Latera maculis flavicantibus στικτά. Venter & pinnæ ventris flavescunt, aliis intensius, aliis pallidius. [Ventrem aureo colore es[t] scribit *Rondeletius.*] *Linea* recta à branchiis ad mediam caudam ducitur. Squamæ parvæ sunt: Nares duplices: In superiore maxilla à *naribus* ii *utrinque ordo punctorum* incipit, qui supra oo oculos delati ad angulos branchiarum producuntur, deinde reflexi in medio occipitio m concurrunt, figura in margine posita. Est autem *maxilla* superior inferiore longior $\frac{1}{4}$. Media in palato *dentium* area fere prorsus caret; at in circum- *Color.* *Linea.* *Puncta a naribus ad branchias.*



Maxillæ. *Dentes.*

ferentia maxillæ ſuperioris duplicem ſeriem obtinet, quas intercedit cutis nuda ceu labium quoddam, cui cum os clauditur, maxilla inferior applicatur ſeu coaptatur, & exteriorem dentium ordinem ab ore excludit. *Oculi.* *Oculi* cute laxa non obteguntur. *Branchiæ.* *Branchiæ* quaternæ, quarum pectines exteriores longi, interiores vix viſibiles. *Appendices.* A pyloro *appendices* inteſtinum non ſolum in circulum ambiunt, ſed etiam ex una parte ad aliquod ſpatium ei appenduntur. *Pondus.* Majores ſex fere libras pendent, ut nobis retulere ichthyopolæ. Quam deſcripſimus pedalis erat, aut tantillo longior. *Pinnarum ſitus.* Diſtantia apicem roſtri inter & primi paris *pinnas* digitorum erat $2\frac{1}{2}$; ſecundi paris *pinnas* $5\frac{3}{4}$; anum $7\frac{3}{4}$; dorſi pinnam anteriorem $5\frac{1}{4}$; poſteriorem carnoſam $8\frac{3}{4}$. *Et radiorum numerus.* *Pinnæ* dorſi radiorum ſumma 12: *pinnarum* branchialium ſingularum 15: ventralium 9. ejus quæ ab ano incipit 11 aut 12. *Pinnarum* ventralium radii primi albi, craſſi & pingues ſunt. Latitudo piſcis ſeſquidigitalis. Nares duplices: Appendices numero 50. Caro cocta rubet.

Locus. In Auſtria circa *Lintz* urbem capiuntur frequentes, in *Danubio* ut puto.

A præcedente ut differat. *A præcedente* [umbla priore *Rondel.*] *diſtinguitur.* 1. punctis capitis. 2. quod media [in palato] dentium area careat.

§. XVI. *Umbla minor* Geſn. *p.* 1201. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 47. Torgoch *Wallis*, *Weſtmorlandis* The red Charre *lacus* Winander-mere. *Germannis* Reutele *aut Roetele.*

Figura. Color. Corpore eſt quam trutta longiore & graciliore: in piſce $8\frac{1}{4}$ digitos longo latitudo maxima ſeſquidigitalis erat [*D. Willughby Torgoch* Wallico Truttæ figuram tribuit.] Dorſum ex viridi olivaceum, maculis albicantibus ſubobſcuris punctatum. [*Torgocho* dorſum fuſcum; latera ſupra lineam punctatam areolis latis obſcurioribus novem, totidemque intermediis albicantibus varium; ubique tamen maculæ flavicantes ſubobſcuræ cernuntur.] *Venter rubet.* *Venter* ſemidigitum latus, pleriſque rubro colore tingitur, aliis intenſiore, aliis dilutiore; nonnullis, maxime fæminis, albet. *Squamæ.* *Squamæ* perexiguæ: *Lineæ.* *lineæ* laterales à branchiis ad caudam recta decurrunt. Pronæ partis pinnæ omnes rubro colore tinctæ. [In *Torgoch* pinnarum ventralium & ejus quæ ab ano incipit primi radii pulchre albent.] *Maxillæ.* Rictus oris amplus: mandibulæ proxime æquales; inferior namque acutior & tantillo productior videtur. Nares duplices: *Branchiæ.* *Branchiæ* quaternæ, unica dentium pectinatorum ſerie donatæ: interiores enim vix apparent. *Dentes.* *Dentes* parvi, acuti, duplici in maxilla ſuperiori ſerie, atque etiam in lingua: Palatum medium dentes non habet. *Veſica natatoria.* *Veſica natatoria* qualis in truttis conſimili à ventriculo ductu donata. *Viſcera.* Hepar in lobos non diviſum: cyſtis fellea magna, lien parvus. nigricans: cor triquetrum: ova magna, rotunda.

Pinnarum ſitus. In piſce quem diximus fere dodrantali à roſtri apice ad dorſi *pinnam* anteriorem (quæ in hoc piſce alta eſt, & mediam fere longitudinis partem occupat) digiti erant $3\frac{1}{4}$; ad apophyſin carnoſam $5\frac{3}{4}$; ad *pinnas* branchiales $1\frac{3}{4}$; ad ventrales $3\frac{7}{8}$; ad anum $5\frac{1}{4}$; ad oculos $\frac{3}{4}$; ad nares $\frac{1}{8}$; latitudo caudæ $\frac{5}{8}$. *Earundem radii quot.* Dorſi pinnam nervi cartilaginei 13 roborant; branchiales ſingulas 13; ventrales 10. eam quæ ab ano eſt 12. *Appendices.* *Appendices* plurimæ, & longiores quam in Albula. *Caro qualis.* *Caro* mollior & tenerior eſt quam truttacea; cocta vix rubeſcit; plurimum celebratur apud Wallos, inque magnatum & nobilium lautioribus dapibus primas obtinet.

Locus. Quatuor in Cambria lacus hunc piſcem alunt, nimirum *Llanberris*, *Llin-Umber*, *Feſtiniog*, & *Bettus* in agro Carnarvienſi; inque agro Merionethenſi lacus quidam prope *Caſageddor* in Dominio generoſiſſimi Ba-

ronis

ronis *Vaughan*. In lacubus Carnarvienſibus in magnitudinem magis proficiunt quam in Merionethenſi. Diverſis temporibus in lacubus diverſis capi aiunt, in Merionethenſi primo, menſe nimirum *Octobri*, in Carnarvienſium primo menſe *Novembri*, Secundo, *Decembri*, tertio, *Januario*; adeoque ordine cum piſcatio in hoc incipit, in illo deſinit. Gregatim degunt: quamvis in ſuperficie aquæ per æſtatem quandoque apparent, nec retibus, nec ulla eſca capi poſſe aiunt: ſed per illud tempus ſolum piſcatio inſtituitur, cum ad loca vadoſa & minus profunda pariendi causa ſe conferunt: Retia, *Trammels* Anglice dicta, aquis immiſſa, & ut par eſt eſcis inſtructa totos dies noctesque ibi relinquuntur, in quæ piſces ſponte ſe recipiunt. *Torgoch* à ventris colore dicuntur; hoc enim nomem Wallicum Anglice *Red-belly* ſignificat. Ab hoc ventris & pinnarum rubore Germanis quoque *Rotele* dictum *Geſnerus* teſtatur.

Quando capiantur.

Ratio nominis.

Eundem omnino piſcem eſſe minime dubito *Charram rubram* i. e. *the Red Charre* dictam in lacu *Wenandermere* Weſtmorlandiæ captum. Nam *Charra alba* i. e. *the gelt or gilt Charre* à rubra omnino ſpecie diverſa eſt, & (ni multum fallor) Carpioni Benaci lacus tantopere celebrato eadem. Charra rubra quam vocant, alba (*the gilt Char*) plus duplo major eſt; hæc ventre argenteo, illa rubro; hæc carne rubra, illa viciſſim alba; hæc dorſo maculis nigris, illa albicantibus diſtincto. Quocirca quamvis piſcatores eas ſexu tantum differre exiſtiment, & albas ſeu minores mares, rubras ſeu majores fœminas eſſe affirment, mihi tamen tota eas ſpecie differre plane perſuaſum eſt. Quamvis autem rubræ majores ſint, albæ tamen pluris fiunt & delicatiores cenſentur. Per hyemem capiuntur. Æſtate (ut mihi narratum eſt) in ſummis aquis fluitant ſupra retium quæ iis tenduntur margines. Albam ab argenteo (ut puto) laterum & ventris colore *the Gilt Charre* vocant.

Charra rubra Weſtmorlandica huic eadem.

§. XVII. *Carpio lacus Benaci* Rondelet. Bellon. Geſn. *p.* 217. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 50. The Gilt Charre.

CArpiones truttis ſimiles ſunt, niſi quod multo latiores & ventre prominentiore, præſertim majores. *Rondeletius* pedali magnitudine eſſe ait: *Bellonius* pedem nunquam excedere. Quem *Veronæ* deſcripſimus pede brevior erat, nimirum $10\frac{1}{4}$ digitorum, nec multo majores vidimus. *Squamæ* ei valde exiguæ. *Color* in dorſo minus obſcurus quam truttis, guttulis nigris varius. Maculas in dorſo ruffas, qualium *Rondeletius* & *Bellonius* meminere, nullas, obſervavimus. Venter, ut & latera infra lineam punctatam argentea. Cranium pellucidum. Roſtrum cæruleſcit. *Branchiæ* utrinque quatuor. Primæ radii pectinati externi longi, interni valde exigui aut nulli; in ſuccedentibus deinde interni longiores fiunt, externi breviores. In *maxilla* inferiore puncta utrinque octo. In palato quinque *dentium* areolæ: in lingua duo *dentium* ordines. *Veſica aerea* per totam dorſi longitudinem extenditur, & canali intermedio cum ventriculo committitur. Cyſtis fellea magna. *Appendices* initio pylorum in circulum ambiunt, deinde ex una tantum inteſtini parte continuantur. Caro cocta rubeſcit.

Figura & Magnitudo.

Squamæ.

Color.

Branchiæ.

Maxillæ.

Dentes.

Veſica natatoria.

Appendices.

Pinnarum numero, *ſitu*, figura, radiis cum reliquis hujus generis fere convenit. A roſtro ad pinnam dorſi anteriorem in piſce nobis deſcripto digiti erant 4, ad cartilagineam apophyſin 7. ad pinnas branchiales 2; ad ventrales 5; ad foramen ani $6\frac{1}{2}$; ad oculos $\frac{3}{8}$; ad nares $\frac{1}{4}$. In *pinna* dorſi *radii* numerabantur 13; in branchialibus ſingulis totidem; in ventralibus 9; in ea quæ ab ano incipit 11. Summa appendicum inteſtinalium 70.

Pinnarum ſitus.

Earundem radii.

Salubritas. Piſcis hic apud *Italos* in deliciis habetur; imo tanti fit ut vix ullum vel lacuſtrem vel marinum cum eo conferendum putent, ut ait *Rondeletius*; & nos quoque intelleximus cum in *Italia* eſſemus. Hinc diſtichon illud *Italicum* de eo circumfertur, *Chi beve malvaſia & mangia Carpion, in capo s' en va in prigion.* Saluberrimos autem judicant, ut ægrotis etiam & capite vulneratis concedant. Piſcem illum lacus *Winandermere* in Weſtmorlandia *Gelt* vel potius *gilt Charre* dictum huic eundem eſſe aſſerimus. Conveniunt, longitudo pedali brevior, puncta ſeu maculæ nigræ in dorſo, venter argenteus, caro rubra. Fruſtra ergo ſunt, qui ſolius lacus Benaci hunc piſcem incolam eſſe aiunt.

§. XVIII. *Trutta lacuſtris* Geſn. *p.* 1210. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 49. *Trutta Salmonata Gallorum.* A Salmon-trout.

Figura. Color. F*Igura* corporis truttam fluviatilem refert. Venter planus, per medium tanquam ſulco ſeu canali impreſſo. Dorſum & caput pulchre ex viridi cæruleſcunt. Maculis nigris undique aſperſus eſt, præcipue ſupra lineas laterales. Pinna in medio dorſo multis nigris maculis variatur, ut recte *Geſnerus*, nec pinnula adipoſa iis prorſus deſtituitur. *Squama. Pinnæ. Oculi. Dentes.* *Squamæ* parvæ, argenteæ. *Pinnarum* numero, figura, ſitu cum reliquis hujus generis convenit. Cauda forcipata. Verſus extremitatem caudæ ordo tranſverſus macularum nigrarum. *Oculi* cute non obducti. In maxilla inferiore *dentium* acutorum ordo unus; ſupra linguam duo: in palato areolæ tres *dentibus* conſitæ; nec ſui maxillæ ſuperiori *dentes* deſunt. *Branchiæ.* *Branchiæ* quaternæ: prima ſimplici dentium pectinatorum ſerie donata; ſecunda duplici, exteriore longiorum, interiore breviſſimorum: tertia & quarta duplici pariter ſerie, dentibus in exteriore à primo ſenſim brevioribus, in interiore à primo longioribus. *Appendices. Magnitudo.* *Appendices* 63, non in toto circuitu inteſtini, ſed ab una tantum parte. In *Lario* lacu ad 50, quinimo, *Jovio* authore ad 100. etiam libras excreſcere conſuevit. *Salvianus.* In *Rhodano* circa *Sedunum* permagnæ ſunt, quæ pondere non raro ad 30 libras vulgares accedunt. *Geſnerus.* In lacu *Tigurino* noſtro ad 20. libras (libra 18 unciarum eſt) frequenter perveniunt. *Idem.*

Carnis color ejuſque mutatio. Initio æſtatis *Caro* in eis rubere incipit, duratque is color uſque ad Auguſtum: poſt vero *D. Jacobi* diem, partu jam abſoluto, colorem rubicundum amittit. *Idem.*

Salmoni ſimillima. Cum omnes truttæ Salmonibus ſpecie naturaque cognatæ videntur; tum inprimis lacuſtres, quæ circa partum roſtrum quoque ſimiliter incurvant, ac nomen mutant.

Carnis ſapor. Truttæ lacuſtres omnium delicatiſſimi piſces judicantur à noſtris, inquit *Geſnerus*; *Caro* eis ſolida, rubicunda, & boni ſaporis eſt; & quæ ad Carpionis Benaci naturam accedat. Ea tamen aliquando præ pinguedine nonnihil faſtidii movet, ut & Salmonum; quamobrem modice ſumenda eſt. Opſophagi quidam Salmoni etiam præferunt. Mortua pauciſſimis horis ſummam illam ſaporis gratiam amittit, quoniam ob pinguem illam teneritudinem quam ocyſſime computreſcit. *Jovius.*

In Lacu Lemano excreſcunt ad 30 & 33 libras (libra 18 unciarum eſt) quod ſæpe vidi & expertus ſui dum *Genevæ* morarer, incolæ ferunt ſe vidiſſe truttas 48 & 50 librarum ex *Obſ. D. Tancredi Robinſon.*

D. Joh. Muraltus exhibuit examen Anatomicum hujus piſcis in Ephem. *Germ.* An. 11. *Obſ.* 47.

§. XIX.

§. XIX. *Trutta fluviatilis* Huch *Germanis dicta*, Geſn. *p.* 1213. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 14.

Piſcis *Viennæ* Auſtriæ *Huch* dictus ibidem in pretio eſt. Quem deſcripſimus longus erat digitos 26, latus ad pinnas branchiales tres. A ſummo roſtro ad anteriorem dorſi pinnam digiti erant 11; ad poſteriorem cartilagineam $18\frac{1}{2}$; ad pinnas branchiales $5\frac{1}{2}$; ad ventrales 14; ad exitum excrementorum $17\frac{1}{4}$. In pinna dorſi radios numeravimus 11, [potius 13] in branchialibus ſingulis 18; in ventralibus 10, in pinna retro anum 11, [potius 13.] Squamæ ei exiguæ: maculæ nigræ in dorſo creberrimæ; aliquæ etiam infra lineam punctatam, quæ media latera dividit. Latera, pinnæque rubeſcunt. In maxilla inferiore puncta cernuntur aliquot, in reliquo capite nulla. Minores piſces albidiores ſunt pluribus maculis aſperſi, quin & areolis nigricantibus tranſverſis inſignes. Dentes in medio palato nulli, quo à truttis differt, cum alias maxillarum & linguæ dentibus cum iis conveniat. Branchiæ quaternæ, prima longiſſimis ariſtis ex parte exteriore pectinata, ex interiore nullas habet. Ventriculus ut in truttis. A truttis differt. 1. Magnitudine qua eas excellit. 2. Figura corporis longiore & graciliore. 3. Maculis, quas nigras obtinet, non rubras. 4. Dentium in palato mediorum carentia. *Geſnerus* pinnas omnes præter eas quæ ad branchias ſunt & caudam, fuſcas & maculoſas eſſe ſcribit, maculis partim nigricantibus, partim aureis.

§. XX. *Trutta fluviatilis* Geſneri, Rondeletii, Bellonii, *& aliorum.* A Trout.

Eruditis hominibus (inquit *Rondeletius*) non immerito mirum videtur, nullum, ſaltem nobis nunc notum, apud veteres Romanos truttæ nomen Latinum fuiſſe; cum truttarum magnam copiam, ut nunc, ita olim ſuburbanos amnes ſuppeditaſſe maxime veriſimile ſit. *Jovius* Lupum varium antiquorum eſſe cenſuit, cujus ſententiam *Salvianus* defendit, quibus ſe opponunt *Rondeletius* & *Geſnerus*, quos conſule. Græcum equidem vetus truttæ nomen, tum *Æliano*, tum viris hactenus eruditis & ὀνοματοθήραις ignoratum omnibus, primus ego noſtro ſeculo deprehendiſſe mihi videor; (inquit *Geſnerus.*) *Mneſitheus* apud *Athenæum* lib. 8. truttas appellavit Pyruntas. Ex fluviatilibus inquit optimi ſunt, qui in rapidiſſimis fluviis verſantur, ut pyruntes (οἵτε πυρῶντες: malim ὡς οἱ πυρῶντες) hi enim non gignuntur niſi in rapidis ac gelidis fluviis, & facilius quam cæteri fluviatiles concoquuntur. Conjicio autem ſentire eum de truttis vulgo dictis, qui in frigidis tantum rapidiſque fluviis aut rivis degunt, & præ cæteris pleriſque ſalubres exiſtimantur vulgo, & propter maculas rubicundas πυρῶντες, quaſi igniti vel ardentes dici merentur. Trutta nomen forte à Germanica *Trutt*, id eſt, grato & deſiderato deducitur. *Geſner.* *Nomen, Etymon.*

Trutta, quod ad *figuram* attinet, longa eſt potius quam lata, Salmoni ſimilis vel Lupo marino, capite brevi ſubrotundo, roſtro obtuſo, corpore ſpiſſo, in caudam latam deficiente; *rictu* ſeu hiatu oris amplo, maxillis in ambitu ſimplici *dentium* ordine munitis. Palato inſunt tres *denticulorum* areolæ oblongæ, in angulum prope roſtrum extremum coeuntes. *Lingua* decem plerunque, interdum ſex tantum, dentibus recurvis armatur. *Oculi* majuſculi ſunt: pupillam circellus rubens proxime ambit, reliquum iridis ex flavo albicat [potius argentei coloris eſt.] Nares duplices ſunt. *Squamis* integitur parvis, & cute quæ facile rugatur; *Figura. Rictus. Dentes. Lingua. Oculi. Squama.*

gatur, & à carne divellitur abſceditque, ut recte *Rondeletius.* Dorſum fuſcum in grandioribus, maculis nigris crebris conſperſum: in nonnullis piſcibus maculæ rubræ nigris intermiſcentur: quin & opercula branchiarum & ſummum caput, & in aliquibus ipſæ etiam oculorum irides maculoſæ ſunt. Latera purpureis ſeu miniatis maculis picta, infra lineas à branchiis ad caudam mediam extenſas flavicant.

Pinnæ. *Pinnæ* in dorſo duæ eriguntur; anterior circa mediam longitudinem ſita radiis 12 aut 13 ſuffulta, maculs nigris crebris notata: poſterior non procul à cauda, parva, adipoſa, radiis nullis, margine miniato. *Cauda.* *Cauda* lata, parum forcipata, non maculoſa, angulis & radiis extimis plerunque rubentibus. In prona corporis parte ut reliqui fere piſces duo pinnarum paria obtinet, alterum ad branchias, alterum in medio ventre. Branchiales pinnæ ſingulæ radiis 13 firmantur, ventrales 9. Sub ventralibus appendix hinc inde cartilaginea, ad exterius pinnæ latus ſubnata, introrſum reflectitur, ſitu ad pinnarum radios tranſverſo. Utriuſque paris pinnæ vel flavicant vel rubeſcunt. Quæ ab ano hæret pinna nervis decem inſtructa eſt, ejuſque ora ſeu margo anterior albicat.

Viſcera, ventriculus, inteſtina. Cor huic piſci triquetrum; lien nigricat; Hepar indiviſum, cyſtis fellea ampla. *Ventriculus* longus, non admodum grandis, in quo diſſecto phryganea, aliaque hexapoda animalcula aquatica invenimus. *Appendices.* *Inteſtino* ad pylorum utrinque, & à pyloro ab uno latere per digiti aut ſeſquidigiti ſpatium apophyſes creberrimæ adnaſcuntur, è quibus in inteſtinum chylus facile exprimitur. Inteſtinum poſt reflexionem à pyloro ad anum recta pergit.

Menſura. In piſce digitos $19\frac{1}{2}$ longo à ſummo roſtro ad initium pinnæ dorſi anterioris digiti erant $8\frac{1}{2}$, ad pinnam adipoſam 15; ad pinnas branchiales $4\frac{1}{2}$; ad ventrales 10; ad ano ſubnexam 12. Cauda ad radicem pinnæ in quam deſinit lata erat digitum $1\frac{3}{4}$.

Trutta Salmoni ſimilis. Sunt ſane (inquit *Geſnerus*) multa Truttæ & Salmoni communia: nempe forma tota, & corporis partes externæ: internæque caro rubicunda, ſquamæ exiles, maculæ ſeu puncta, [magnitudo, formæ mutatio, circa roſtrum præſertim, ac ſimul nominis in Truttis Salmonatis peculiariter] aſcenſus ad ſummas aquas, ſaltuum vis & agilitas, ſuavitas in cibo, &c. Caudæ latitudine maxime truttæ magnæ à Salmonibus, & parvæ ab iis quos tacones appellant, diſcernuntur: in iis enim cauda gracileſcit, in truttis ſemper lata eſt: in illis caudæ pinna longa & bifida, ut in Aloſis, in truttis brevis & non [multum] diviſa. *Rondel.*

Locus. Truttæ in fluviis minoribus, frigidioribus, ſaxoſis & inter montes delabentibus naſcuntur & degunt. *Salvianus.* In altis montium rivis etiam tenuibus & exiguæ aquæ truttæ ſatis magnæ, & pulcherrimæ repeRiuntur. Aſcendunt altiſſime, & amnes ſubeunt vel è præruptiſſimis etiam cautibus decidentes; cum & contra aquam luctari magna & vi, & ſaltu ſe promovere ad 3 vel 4 fere cubitos interdum in aſcenſu queant; unde (inquit *Bellonius*) ſæpius miratus ſum (cum Alpes conſcenderem) etiam in ipſis fere montium Saneſii & juniperorum jugis truttas in torrentibus ab indigenis capi ſolere. Et *Jovius*: Ab *Nare* fluvio in *Velinum* lacum, qui hodie *Pedelucus* eſt, ſtupenda velocitate volucrum modo aſcendere creduntur: qui lacus ab altiſſimo montis vertice, certis primo coarctatus anguſtiis, & mox tota aquarnm mole præcipitatus, nec ſubjectis quidem cautibus madefactis, veluti è cœlo in ipſum profluentem Narem effunditur. Et *Geſnerus*: Has enim ſcio in fluviis quibuſdam ſeu rivis montanis aſperioribus ubi nullus alius piſcis vivit, ſive propter locorum frigiditatem [*quod mihi quidem veriſimilius videtur*] ſive potius præcipitia, ſolas reperiri. Quæ quidem omnia veriſſima eſſe experientia conſtat.

Veſcuntur muſcis quibuſdam fluviatilibus & phryganeis & vermibus aliiſque inſectis aquaticis: quin & Percarum ſobolem, alioſque piſciculos

culos

culos; apprime vero fundulos, barbatulos & phoxinos læves appetere dicuntur. Muscarum adeo avidæ sunt, ut etiam artificiose factis inescentur.

Truttæ apud nos in Anglia non raro etiam manibus comprehenduntur, dum sub radicibus alnorum & salicum stabulantur. Piscator enim accedens palpat fricatque ventrem, eaque contrectatione & titillatione delectari videntur hi pisces, donec manum promovens branchiis injecerit ac retinuerit. *Gesnerus ex Angli cujusdam relatione.* Eodem modo Cyprini capiantur, Philosoph. Transact. N. 95. p. 6066. *Capiendi modus.*

Trutta piscis longe nobilissimus omnium qui in dulcibus aquis generantur æquali cunctarum gentium judicio censetur. *Jovius.* Truttæ, præsertim senioris, caro siccior est Salmonis carne, nec æque friabilis, ideoque concoctu difficilior. Sed quo puriores undas sectantur eo meliores sunt. *Rondeletius.* *Caro* truttarum nobis quidem omnium fluviatilium sapidissima videtur; an vero ægrotis ejus usus permittendus sit dubitamus. *Caro qualis.*

Decembri mense fætificant in scrobibus, quas sibi in glareosis aut petrosis torrentium alveis excavant: præter aliorum piscium morem non censentur optimi cum maxime prægnantes & partui proximi; sed *Julio* & *Augusto* mensibus pinguescunt præcipue & sapidiores sunt. *E Manusc. L. Baltneri.*

§. XXI. *Salmarinus* Salviani.

Piscis quem Tridentini, apud quos reperitur, *Salmarino* & *Salamandrino* appellant, cum dulcis aquæ alumnus sit ac paucis duntaxat quibusdam locis nascatur, neque Græci neque Latini scriptores ullam ejus mentionem fecerunt. Capite est rotundo, rostro brevi & retuso: ore mediocri & robustis dentibus munito, oculis mediis & orbiculatis. *Branchias* utrinque quaternas habet: & pinnas etiam utrinque geminas, duas ad branchias & duas circa medium ventrem: præter quas duæ aliæ in dorso eriguntur: prior & major in medio, posterior & minor prope caudam, è cujus regione alia etiam parva imo ventri hæret. Cauda lata est & lunata. Squamis mediocribus & non facile deciduis tegitur. Pinnæ & cauda rubræ sunt. Venter & latera ex albo rubescunt. Dorsum vero ex rubro flavescit, ac luteis quibusdam maculis (*Carpionis* instar) notatur. Totius piscis figura rotunda (*teres* est & oblongiuscula. Ventriculum habet amplum & carnosum: hepar pallidum, à quo fellis vesica pendet: lienem subatrum & intestina lata, ac plurima pinguidine convoluta. Cum maxime excreverit duas libras non excedit: qui vero crebrius capiuntur vix libram superant.

Fluviatilis hic piscis est, in frigidissimis ac saxosis fluminibus nascens, non tamen in iis omnibus aut quamplurimis reperitur, sed in paucis solum quibusdam. Nascitur enim in flumine cujusdam loci vulgo *Valdenon* dicti, circiter 20 m. p. à *Tridento* distantis, atque in alio fluvio apud Priscinam qui 40 m. p. à *Tridento* distat, ubi crebriores etiam procreantur. Verno tempore coit: parit autem æstate, circa saxosa fluminum loca. Pisciculis vescitur, in quorum penuria quibusdam fluviatilibus purgamentis & sordibus nutritur. Gregatim non admodum degit: & perraro copiosa eorum fit captura.

Sicuti *Benaci* accolæ Carpionem, sic Tridentini Salmarinum, non fluviatilium solum sed marinorum etiam omnium piscem nobilissimum esse contendunt: unde nonnisi lautiores divitum mensas dignatur. Carnem uti sapidissimam ita teneram habet atque pinguem, non tamen viscidam (cujusmodi plerique pinguium piscium habere solent) sed satis friabilem. Quamobrem boni succi & concoctu facilis est. Condiri

varie poteſt, & quovis modo condiatur ſuaviſſimus ſemper eſt. Hactenus *Salvianus*.

Truttis cognatus eſſe videtur, & Salmurinus forte ab aliqua cum Salmonibus ſimilitudine dictus eſt. Ego equidem Umblæ ſpeciem eum eſſe crediderim, Rotele Helvetiis dictam.

§. XXII. *Eperlanus* Rondeletii Geſn. *p.* 430. Aldrov. *lib.* 4. *cap.* 12. a Smelt. *Viola nonnullis ab odore dicta.*

Longitudo. Figura. LOngitudine eſt dodrantali, [unde *Bellonius* errore manifeſto nunquam dimidium pedem æquare ſcribit] latitudine unciali, *figura* corporis *Truttæ* aut *Salmonis* æmula, tenuiore tamen pro magnitudinis ratione, & longiore. *Color.* Dorſum nonnihil fuſceſcit. Venter & latera argenteo colore ſplendent. Caput & dorſum curioſius intuenti maculis nigris parvis aſperſa videntur. Lineæ punctatæ primo ſupra branchias incurvantur, deinde recta ad caudam deſcendunt. *Squamæ.* *Squamis* integitur levi tactu deciduis. *Cerebrum pellucet.* *Cranium* adeo *pellucidum* eſt, ut omnes cerebri lobi clare & diſtincte cerni queant. *Oculi.* *Oculi* plani, cute communi minime obducti: irides argenteæ, ſuperius tamen ex interiori parte vireſcunt. *Maxillæ.* *Maxilla* inferior ſuperiore paulo longior: utraque tam ſuperior quam inferior *dentata*. *Dentes.* E *dentibus* duo in maxilla ſuperiore totidemque in lingua reliquis longiores ſunt. Nares duplices. *Branchiæ.* *Branchiæ* quaternæ ſimplici radiorum ſerie pectinatæ.

Appendices. *Appendices* tres quatuorve, parvæ & breves admodum, ut tubercula potius quam appendices dici mereantur.

Pinnarum ſitus. *Pinna* dorſi anterior 4 à roſtro extremo digitis diſtat, poſterior illa mollis & craſſa $6\frac{1}{2}$; pinnæ branchiales $2\frac{1}{4}$; ventrales $4\frac{1}{2}$; foramen ani 6; oculi $\frac{1}{2}$; nares $\frac{3}{8}$. *Radii.* Dorſi pinnam nervi 11 firmant, quorum primus longiſſimus indiviſus, reliqui ramoſi: branchiales ſingulas 11; ventrales 8; caudam 9; pinnam ano contiguam 14.

Caro qualis. *Carne* eſt molli & friabili, ſapore delicato, gratiſſimum violæ odorem ſpirante. A reliquis hujus generis differt, 1 parvitate, ſiquidem (digitales nobis dictos excipe) omnium longe minimus eſt: 2. figura corporis longiore & graciliore: 3. Appendicum carentia: 4. odore violaceo.

Piſcis eſt anadromus, in Thameſi aliiſque fluviis majoribus frequens; *Schonfeldio* ſub titulo ſpirinchi deſcribitur.

§. XXIII. *Epelanus Sequanæ ſeu fluaviatilis* Bellonii.

EPelanum Sequani cum *Lutetiæ* frequentem, quaſi excellanum à præſtantia qua cæteros ſui generis piſciculos excedit, *Ferrarienſes* Borbolum vocant, Alburno ſimillimum, atque hoc tantum ab eo diffidentem, quod rufas radices pinnarum Gardonis & Veronis modo habeat, ac lineam quæ latera ejus ſecat verſus caudam admodum inflexam & velut arcuatam. Quinque digitorum longitudinem, pollicis latitudinem interdum exſuperat. Piſciculus eſt odoratus, de bonitate & principatu cum aliis omnibus contendens. *Rothomagenſes* Ovellam eo argumento nominant, quod ſemper ovis prægnans ſit. Epelanum, ſi ſuas ſquamas habentem conſpicias, præ nimia albedinis terſitudine tibi refulgere videbitur. *Squamis* autem exutus tergus oſtendit variis coloribus emicans in iridis aut arcus cæleſtis morem. Marino craſſior eſt & brevior.

Piſcis hic ſi ab Epelano priore & *Haſela* Germanorum diverſus ſit, mihi certe incognitus eſt.

C A P.

CAP. V.

§. I. Amore pixuma *Brasiliensibus*, *vulgo corrupte* Amorea, Marggrav.

MAgnitudine est *Tamoatæ*, capite lato, ore amplo & edentulo, corpore oblongo, ita ut fere *Tamoatam* referat. Coloris est obscure ferrei, in ventre, qui extuberat, albi. Tegitur cute molli. Pinnas habet septem, & octavam pro cauda, in ambitu circinatam. Carne est sicca & bona ut *Tamoata*.

§. II. Amore guacu *Brasiliensibus*, Marggrav.

IN semipedis longitudinem excrescit, corpore oblongo, capite crassiusculo, branchiis amplis, minutissimis in ore denticulis. Oculi illi parvi, nigri, circello aureo. Pinnas habet septem, viz. duas postbranchiales, oblongas, quasi triangulatas, duas sub his junctas, duas in dorso, anteriorem minorem posteriore, & è regione posterioris unam in infimo ventre. Cauda oblongiuscula, parallelogramma, in extremitate circinata. Tegitur squamis pro sua magnitudine majusculis. Piscis in totum ferrei coloris, in ventre tamen paululum è ferreo albicat. Est edulis.

§. III. Amore tinga *Brasiliensibus*, Marggrav.

EJusdem plane figuræ est cum præcedente, sed tantum minor, habetque squamas in totum albicantes seu pallidi coloris; & in totum maculatur maculis fuscis ut *Taiasica*. Cauda tamen illius est fusco undata. Edulis est ut præcedentes.

CAP. VI.

Tareira d' Alto, *id est, marinus*, Marggrav.

TEreti est corpore, decem digitos longus [reperiuntur & majores] quinque crassus ubi crassissimus, nam versus posteriora sensim minuitur. Caput habet colubrinum, supra oculos in duo tubercula elatum, oculos pupilla nigra, circulo flavescente; os acuminatum, satis amplum, interius flavum, denticulis acutissimis munitum, quales & lingua habet. Pinnas obtinet octo, in quolibet latere post branchias unam, uno plus digito longam, trientem latam, directe à latere protensam: post has interstitio pene sesquidigiti in infimo ventre duas junctas, figura trapezii, duos digitos longas & totidem fere latas in extremitate: versus caudam in infimo ventre unam, duos digitos longam, in corpore extensam, sed plane angustam: supra hanc in dorso parvula est, instar cuspidis cultelli: in medio dorso una pene quadrata, duos digitos lata, plus unum longa: octava est cauda vix sesquidigitum longa & furcata.

Pinnæ autem omnes instar foliorum Papaveris sunt tenues, & mollibus spinis sustentantur. Squamulis vestitur peltatis, ita affabre compositis ut ad tactum glaber videatur. Venter totus albicat: latera & dorsum

ſecundum longitudinem lineas habent alternatim flavas & virides. Oræ ſquamularum circumcirca brunneæ ſunt, & videntur quaſi rhombi ordine poſiti eſſent, brunneis lineis circumſcripti, & ac ſi per unum ordinem tenderet linea flava, per alterum viridis. Pinna in dorſo ſecundum longitudinem lineas habet brunnas, reliquæ flavas: Cauda autem ſtriata brunno. Caput ſuperius maximam partem brunnum. Piſcis aſſandus, nam coctus non ita bonus eſt.

CAP. VII.

Piracoaba *Braſilienſibus* Marggravii.

PEdalem longitudinem adipiſcitur, corpore oblongo ut *Zandat* Pomeranorum. Os habet acuminatum, amplum, edentulum; mandibulam ſuperiorem longiorem inferiore, & ſuperior pars oris prominet in rotundum conum è cartilagine conſtantem. Oculi illi ſatis ampli, pupilla cryſtallina, circulo aureo. Pinnas habet octo, duas in dorſo triangulares, erectas, interſtitio ſeſquidigiti; poſt quamlibet branchiam unam, oblongam, anguſtam: duas his breviores in infimo ventre junctas, & prope anum unam, triangulatam: octava eſt cauda furcata. Sub qualibet pinna poſtbranchiali barbam habet ſex pilis craſſiuſculis conſtantem, tres digitos fere longis: eſtque ejus exortus prope exortum pinnarum vergens retrorſum. Totus veſtitur ſquamis mediocris magnitudinis, argentei coloris, & in dorſo ac ſummitate capitis paulum caneſcit. Pinnæ quoque omnes cani ſeu cinerei ſunt coloris: poſtbranchiales tamen nigredine dilutæ ſunt. Barba alba. Capitur arenoſis locis in mari. Boni eſt ſaporis.

CAP. VIII.

Piabucu *Braſilienſibus*, Marggrav.

PIſciculus ſex digitos longus, ſeſquidigitum latus ubi latiſſimus; ventre paulum extuberante, oculis elegantibus, pupilla cryſtallina, circulo argenteo, cui ſuperius parum rubri admixtum. Septem habet pinnas, octavam pro cauda furcatam: nimirum poſtbranchiales duas; duas in infimo ventre; unam in medio dorſi; circa anum unam longam, extenſam verſus caudam, & è regione hujus in dorſo parvulam. Tegitur ſquamis argenteis ſplendentibus. Per medium laterum tendit linea alba, lata non ſplendens. Dorſum autem ad hanc lineam olivacei eſt coloris, cui viridis hyacinthinus perſplendet. Pinnæ albæ. Capiuntur facillime aciculis, vel corbe aut olla immiſſa in aquam, cui parum farinæ de *Mandioca*, aut mica panis intrita. Cocti comeduntur & frixi. Siquis vel leviter vulnerato uno aut altero membro, vel ulcuſculum tenens aquam ingrediatur, ſtatim hic piſcis vulnus petit mordendo, ita ſitiens eſt humani ſanguinis.

C A P. IX.

Asellus Callarias Bellonii, Salviani, *Tinca marina* Aldrov. *Phycis* Rondeletii Gesn. *p.* 845. *Mustelæ affinis.*

Longitudo. Figura. Color. Squamæ. Os, Dentes.

L*Ongitudine* pedem unicum interdum æquat, raro excedit. *Figuræ* latioris est & compressioris quam Anguilla, nec multum dissimilis Turdo viridi majori. *Color* griseus quem vocant, vel ad Tincæ colorem accedens. *Squamis* integitur minoribus. Circa caput veluti purpura tinctus rubescit; idem color & oculos inficit, verum dilutior. *Os* amplum; labia crassa, minus tamen quam Turdi. *Denticuli* in maxillis perexigui: summo palato pulvillus triangulus denticulis asper inest; fundo oris 4 tubercula aspera. Lingua lævis, latiuscula. Sub mento seu in ipso maxillæ inferioris angulo *barbulam* promittit unicam, digitum longam. *Oculi* grandiores, extantes, membrana communi tecti, iridibus albis. *Pinnæ* in dorso duæ, anterior triangularis, fastigiata, parva, nervis circiter 10 donata; supremo margine nigro, ipsis tamen nervorum apiculis albis. Posterior illi fere contigua longissima, & ad ipsam caudam proxime extensa, ima parte reliquo corpori concolore, summam niger limbus coronat, ipsa acie seu margine excepto, qui albus est. Radii ægre numerabiles, 62, aut circiter. In imo ventre pinna ab orificio excrementorum initium sumens ad caudam proxime producta, radiis 56 fulta, ei quæ in dorso per omnia similis. *Cauda* cum expanditur subrotunda est, & coloribus suis pinnis jam descriptis similis. Pinnæ in hoc pisce, à reliquorum squamosorum pinnis in eo sunt diversæ, quod ipsa cute producta utrinque integantur, ut in Muræna & Anguilla. Pinnæ ad branchias sitæ mediocres, singulæ nervis circiter 12 stipatæ. Quæ in ventre, vel potius thorace anterius sitæ (si modo pinnæ & non rectius cirri seu barbulæ dicendæ sunt) longissimæ, duobus singulæ cirris compositæ, ima parte junctis, summa divisis & discretis, geminam barbulam imitantibus.

Barbula. Oculi. Pinnæ. Cauda.

Victus. Viscera & intestina. Caro.

E cujusdam dissecti ventriculo cancellum & duas squillas exemi; alias pisciculos. Appendices ad pylorum plurimæ, exiguæ: Hepar pallidum; Vesica aerea crassa, tripartita, hac figura , maxima cella est quæ ano subjacet, ori proxima gulæ adhæret velut bifida, uno lobo dextro, altero sinistro incumbente lateri. Sub vesica aerea lobi carnei inter costas, pulmonum simillimi, spongiosi & spumosi. *Caro* tum colore, tum sapore, tum etiam consistentia Aselli mollis, *Whiting* Anglis dicti, carni simillima est.

Venetiis, *Romæ* & alibi in *Italia* sæpius vidimus.

Mensuræ.

In pisce 17 digitorum, anterior dorsi pinna ab extremo rostro distabat digitos $4\frac{1}{2}$; posterior 6; pinnæ branchiales $4\frac{1}{2}$; ventrales $3\frac{3}{4}$; Anus 6.

Synonyma.

Est hic Asellus Callarias *Bellonii*, quem vulgo Cretico Gaideropsarum vocari ait; Indigenis ad Portum Veneris Pegorellam, Genuensibus ac Massiliensibus Mustelam. *Gesnero* & *Rondeletio* Phycis. *Rondeletius* se eum in media alga nidificantem vidisse scribit, id quod sola phycis facit testibus *Aristotele* lib. 8. de hist. Animal. cap. 30. & *Plinio* lib. 9. *Phycis piscium sola nidificat ex alga, atque in nido parit: & id certissimum esse piscatores multi observarunt. Hinc nomen pisci factum.*

Carnis qualitas.

Phycides concoctu faciles sunt, & salubre alimentum (nempe sanguinem medium consistentia) præstant, ut & reliqui saxatiles: inter quos Scarus excellere suavitate creditur; post hunc Merulæ ac Turdi; tertio loco Julides, Phycides ac Parcæ. *Galenus.*

CAP. X.

De Gobionibus.

§. I. *Gobius niger* Rondeletii, Gesn. 469. Aldrov. *lib.* 1. *cap.* 20. *Venetiis Go vel* Goget. *Pensantiæ* Rock-fish: Sea-Gudgeon.

Figura. *Longitudo.* *Color.* FIgura corporis huic pisciculo longa est & teretiuscula. *Longitudine* interdum spithamam aut dimidium pedem excedit. *Color* varius, fuscus scilicet albicante vel flavicante mixtus [albo-cæruleus pallide virenti aut olivaceo mixtus; ductibus olivaceis in areolas transversales dispositis: quinetiam maculis nigris punctatus est.] Cauda, pinnæ dorsi & ani pallide cæruleæ, radii tamen earum maculis crebris nigris punctati. Branchiarum opercula & venter flavicant. *Caput.* *Oculi.* *Caput* grandiusculum, maxillæ tumidæ: *Oculi* parvi, sibi mutuo vicini, sursum spectantes, membranis tecti. Pupillam circellus aureus ambit, reliquum iridis maculosum & pisci concolor. *Os, Dentes.* *Os* amplum; maxillæ *denticulorum* duplici ordine asperæ: ad imum quoque palatum duo *denticulorum* globuli. *Lingua.* *Lingua* satis grandis, obtusa. A summo capite ad primam prope dorsi pinnam sulcus quidam seu cavitas extenditur medio dorso insculpta. *Pinnæ.* *Pinnæ* in dorso duæ; anterior radiorum sex, quorum ultimus à penultimo longius distat, quam reliqui à sibi proximis: posterior priori fere contigua, altior est longiorque, nervis quatuordecim radiata. *Cauda.* *Anus.* *Cauda* cum extenditur extrema circumscriptione circularis est. *Anus* paulo cis medium longitudinis situs. Pinna ei subjuncta radiis 12 aut 14 fulcitur. Pinnæ branchiales singulæ nervis 16 aut septendecim stipatæ, quorum medii longissimi sunt, reliqui utrinque sensim breviores. *Pinnæ ventrales coalescunt.* *Ventrales pinnæ* (quod singulare est & huic generi proprium) *in unum coalescunt*; hoc est, pro duplici pinna simplicem in medio ventre, eadem cum branchialibus à summo rostro distantia, obtinet; cujus etiam duo exteriores radii memranula connectuntur; adeo ut cum extenditur, infundibuli figuram quadantenus imitetur. Pinna hac eum rupibus adhærescere aiunt nostrates piscatores, unde *Rock-fish* Cornubiensibus circa *Pensantiam* appellatur.

Viscera & Intestina. Hepar album, non divisum in lobos, colore albido aut incarnato pallidiore, intestinis incumbens, & ventriculum etiam processibus suis velut amplectens. Ventriculus amplus, longus, ad ipsum usque anum extenditur. Lien exiguus. Cystis fellea rotunda. Vesica aerea, tenuis, pellucida, non intercepta: Juxta quam sita sunt duo vasa seminalia triangula, oblonga alba; in fæmina uteri duo longi, rotundi.

Squamosus est. *Locus.* Lubricus est & mollis; *squamosus* tamen squamis parvis, asperis. *Venetiis* in foro piscatorio raro desideratur: unde eum in litoribus & stagnis marinis vivere *Rondeletius* vere scripsit; qui tamen in eo erravit, quod hanc speciem, quam Gobium nigrum vocat, Paganello minorem fecit.

Carnis qualitas. *Carnem* habet tum pinguem tum etiam friabilem, ut recte *Matthiolus*; unde apud *Venetos* ut olim, ita nunc dierum in pretio est.

§. II.

§. II. *Gobius secundus, Paganellus* Venetorum, *Gobius marinus maximus flavescens* Rondeletii.

HIc à priore in his præcipue differt. 1. Quod raro in parem magnitudinem excrescat: quamvis *Rondeletius* eum maximum faciat. Non fuit ergo cur *Gesnerus* pictorem vituperaret qui Gobii nigri ad se *Venetiis* transmissam effigiem, majorem expressit quam Paganelli: *Rondeletius* enim non pictor erravit, quamvis illi quam huic *Gesnerus*, & merito magis crediderit. 2. Quod color plerunque dilutior sit & pallidior. 3. Quod pinna dorsi anterior summitate sua linea lutea aut miniata ad radios transversa notetur. 4. Quod fossula dorso insculpta nec adeo longa sit, nec pariter profunda. 5. Quod caput nonnihil brevius sit & maxillæ tumidiores. 6. Quod membrana in ventris pinna exteriores radios connectens humilior sit, unde pinna ipsa ad infundibuli figuram propius accedit. 7. Quod Paganellus saxatilis sit; Gobius autem niger (ut diximus) paluſtris.

In reliquis partibus tum externis, tum internis supra descripto respondet.

Gobius Veteribus, seu quia exiguus esset piscis, seu quia caro ejus minus delicata censeretur, parvo væniit, ut ex illo Juvenalis apparet, *Ne quæras mullum, cum sit tibi Gobio tantum In loculis.*

§. III. *Gobius tertius, Jozo Romæ* Salv. *forte Gobius albus* Rondel.

HIc à duobus præcedentibus insignibus notis differt, 1. Quod utrolibet eorum plerunque sit minor. 2. Quod squamas habeat grandiores & ad tactum magis asperas. 3. Quod colore sit pallidiore & ad glaucum vergente. 4. Quod in anteriore dorsi pinna radii supra membranas connectentes altius assurgant, velut setæ quædam. 5. Quod linea punctata (quæ in tribus hisce speciebus utrumque latus medium dividit) ex lineolis nigris non ex punctis componatur. 6. Quod oculorum pupillas argenteus ambiat circellus. 7. Quod pinnæ omnes summitatibus suis cæruleæ sint: pinna autem ventris tota colore cæruleo diluatur. In reliquis cum præcedentibus fere convenit.

Piscem hunc *Venetiis* primo, postea *Romæ* vidimus, unde liquet eum tum supero tum infero mari communem esse.

§. IV. *Aphua cobites, Marsio* Venetorum Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 32. *Venetiis* Pignoletti *vel* Marsicone.

PAganello simillimus est, & forte non nisi ætate ab eo differt. Pinnarum idem numerus, situs, figura. In pisciculo digitos $2\frac{3}{4}$ longo anterior dorsi pinna vix digitum à summo rostro aberat, sex nervis radiata; posterior $1\frac{7}{8}$, nervis 17: pinnæ branchiales $\frac{5}{8}$, à rostri apice remotæ, nervis 17: pinnæ ventrales $\frac{3}{4}$, sex nervis: meatus excrementorum $1\frac{1}{4}$; pinna ei subjuncta $1\frac{1}{2}$, radiis 11 donata. Oculi prominentes, & altius superiusve siti quam aliis plerisque piscibus. Dentes ut in Paganello. Pinnæ dorsi rigidiusculæ & spinosæ esse videntur: Pinnæ insuper dorsi & cauda lineolis transversis fuscis variantur, ut in Gobio fluviatili. Dorsum pariter & latera lineolis seu maculis fuscis varia. Intestina semel reflexa; hepar albidum. Vesiculam natatoriam nullam invenimus.

Pisciculum hunc *Rondeletius* his verbis graphice descripsit.

Ad

Ad Gobionum magnitudinem nunquam accedit; alioqui marinis Gobionibus fimillimus: corpore rotundo, pellucido, dorfo latiufculo, colore candido, nigris aliquot maculis afperfo, cauda varia, oculis quodammodo fupra caput pofitis. Pinnæ eædem illi funt quæ Gobionibus, maxime illa Gobionibus peculiaris, barbæ inftar propendens ex ea ventris parte in qua binæ funt in aliis pifcibus. Hepar lactei coloris, & in eo fellis vefica. Splen rubet: inteftina & peritonæum ex albo nigricant. Gravis eft & difficile coquitur, veluti reliquæ Aphyæ.

Noftri *Loches de mer* appellant: eft enim iis pifciculis quos *Galli Loches* appellant tam fimilis, ut vix ab his diftinguatur.

Quod Ariftotelis *tradit creari hanc fpeciem a Gobionibus parvis & vilibus, non autem ipfam Gobiones creare, nobis minime probatur.*

§. V. *Lumpus Anglorum.* Gefn. 1284. The Lump or Sea-Owl. *Scotis* Cock-Paddle.

Figura corporis. CRaffus eft & informis, ut nomen Anglicum arguit. Venter latus, feffilis; Dorfum acuminatum. *Color.* *Color* ex nigricante & dilute rubente varius. Venter rubefcit. *Squamis caret.* *Squamis caret,* verum cutis tuberculis acutis, nigris, undique afpera eft. *Spinæ.* In utroque latere ternos habet aculeorum aut recurvarum *Spinarum* ordines. Superior fupra oculos incipit, & ad tertium caudæ radium definit, fpinis 26 compofita: media feries à fuperiore angulo pinnarum branchialium initium fumit, & 16 fpinis conftat: infima ad ventrem 5 tantum fpinas continet. Quinetiam fummo dorfo ejufmodi fpinarum feries innafcitur, in qua fpinæ 8. [*Spinarum numerum in variis pifcibus nonnihil variare puto, nec eundem in omnibus obfervari.*] *Pinnæ.* *Pinnæ* in dorfo duæ; anterior craffa, cartilaginea, feu potius carnea, radiis nullis. Ab hac pinna dorfum latius evadit, & duas utrinque fpinas obtinet. Sequitur in dorfo pinna novem radiis firmata. Radii pinnarum lati, afperiufculi. Primi paris pinnæ ab angulis branchiarum fubtus verfus os vergunt, & proxima fui parte ab ore vix digitos $2\frac{1}{2}$ diftant. Pinnæ fecundi paris, extremitatibus fuis utrinque connexæ, in unum circularem pinnam infundibulo nonnihil fimilem ut in Gobionibus marinis coalefcunt, cujus ope maris fundo & rupibus adhærefcunt. Pinna retro anum 7 radiis extenditur. *Os.* *Os* fimile fere Molæ *Salviani,* fed majus, ab angulo nempe ad angulum tres uncias latum. Labia craffa & pinguia. *Oculi.* *Oculi* laxa cuticula tecti: irides albidæ rubello colore diluuntur. *Nares.* *Narium* foramina ceu tubuli fupra reliquæ carnis fuperficiem eminent, ut in Cuculo ave; funtque fingularia, non duplicia utrinque, ut in nonnullis pifcibus. Maxillæ innumeris denticulis afperæ, qualium in imo palato duo tubercula denfo agmine confita.

Vifcera & inteftina. Hepar magnum indivifum. Neque cyftin felleam, neque veficam aeream in hoc pifce obfervavi. Renes magni: ultra anum vefica urinaria. Vafa fpermatica ingentia, lacte turgida, in varias partes divifa. Ventriculus ingens, rotundus, 40 aut pluribus longis appendicibus donatus. Inferius *inteftina* mefenterio adnexa, & Quadrupedum inftar convoluta, quæ non procul ab ano in majufculum colon exeunt. Pifcis eft marinus.

Locus. *Londini* in foro pifcatorio frequens. Pluribus in locis circa *Angliam* capitur. Caro ejus non magni æftimatur.

Menfuræ. Pifcis quem defcripfimus 16 digitos longus erat. A roftro extremo ad initium pinnæ dorfalis 11 digiti erant, indidem ad initium primi paris 3; fecundi $2\frac{1}{2}$; ad podicem 8; ad pinnam retro anum $10\frac{1}{2}$. ad oculos $1\frac{1}{4}$; ad nares 1; ad branchiarum angulos $4\frac{1}{2}$. Latitudo maxima 10 unciarum, latitudo caudæ duarum, nervi caudæ 9.

Schonfeldio

Schonfeldio Lepus marinus nostras dictus est hic piscis: ab eodem aliisque ichthyographis pro orbis specie habitus. Verum quo minus Orbibus accenseatur plures notæ impediunt. Nos ob convenientiam in pinnis ventralibus, quæ in unam pariter coalescunt, eum Gobionibus subjunximus.

Invenitur altera species Lumpi in Balthico, & Scotico Oceano; describitur à *Gesnero* sub nomine orbis gibbosi, paralipomen. p. 1285. Nostro Lumpo fere similis est, nisi quod in dorso gibbus attollitur figura fere pyramidali. Hunc piscem gibbosum *Scoti* appellant *Hush-Paddle*, & *Bagaty*. Exuvias vidi *Coloniæ Agrippinæ*, admodum crassæ erant, multis tuberculis exasperatæ; dorsum in aciem acuminatum erat in modum carinæ, in cujus medio gibbus assurgebat instar montis mucronati. Hæc *D. Tancredus Robinson*. *Lumpus Gibbosus.*

CAP. XI.

Pisciculus Anguella Venetiis *dictus: forte Hepsetus* Rondeletii, *vel Atherina* ejusdem.

PIsciculus est squamosus, oblongus, gracilis, pellucidus nisi ubi spina dorsi & intestina visui obstant, cauda forcipata, dorso nigricantibus maculis aut punctulis vario. In desquamatis maculæ clarius apparent, eo ordine dispositæ, ut quatuor plerunque rhombum efficiant. Quinetiam lineæ nigricantes squamas in rhombos dividunt. Latera argentea sunt; os amplum, cujus clausi apertura sursum spectat, ut in pisce *Scheert* dicto. Labia demissa: maxillæ denticulis admodum exiguis asperæ. In imo quoque palato tubercula denticellis obsita. Oculi magni nulla præter proprias suas tunicas membrana obducti: irides albæ. Branchiæ quatuor utrinque, aristis pectiniformibus parvis donatæ. Pro vesica natatoria in suprema abdominis regione cutem transversam valde tenuem obtinet. Ova vesica nigra inclusa sunt. Pinnæ ei in dorso duæ.

In pisce $3\frac{1}{4}$ dig. longo pinnæ branchiales à summo rostro $\frac{3}{4}$ dig. aberant: ventrales $1\frac{1}{8}$; pinna dorsi anterior $1\frac{3}{8}$ anus $1\frac{1}{2}$; pinna ad anum $1\frac{3}{4}$. Pinnæ autem dorsi anteriori aristæ 7, posteriori 11 inerant, branchialibus singulis 14, ventralibus sex, ei quæ ab ano est 14.

Hepsetus *Rondeletii* esse videtur, quem ille sic describit. Pisciculus est digiti magnitudine, argentei coloris, corpore pellucido dempta ea virga quæ à branchiis ad caudam extenditur: oculis depressis, magnis pro corporis parvitate, ore ita scisso & conformato, ut inferior maxilla protensa major sit superiore, sitque veluti oris operculum. *Hepseti* Rondel. *descriptio.*

Hepsetus autem dicitur ἀπὸ τοῦ ἕψειν i.e. à coquendo seu elixando, estque multorum exiguorum pisciculorum nomen commune, privatim tamen unius cujusdam pisciculi etiam proprium esse videtur, apud *Athenæum* & alios.

Huic etiam affinis est, si non idem Atherina *Rondeletii*. Atherina (inquit ille) pisciculus est marinus, litoralis, reperitur & in marinis stagnis, Aphyis similis, dodrantali magnitudine, parvi digiti crassitudine, dorso spisso, ventre leviter depresso, ore parvo sine dentibus [in hoc differt ab Anguella nostra, cui maxillæ denticellis asperæ fuere.] Oculis magnis. Colore est vario: nam venter argenteus est, dorsum fuscum: circa caput ex flavo rubescit Sardinarum modo. Locus qui inter oculos est cælatus videtur. Pinnas habet 4, duas ad branchias, duas in ventre, aliam à podice; præter has alias duas in dorso. Omnes *Atherinæ descriptio è* Rondel.

candidæ sunt. Cauda ex duabus pinnis constat. Pro linea in medio corpore à branchiis ad caudam protensa spissum quid habet sub cute, quod non possum aliter quam fasciam per similitudinem vocare, quæ cum cocta Atherina editur evidentissima est, & cum lumini objicitur, quia reliquo corpore pellucida est, hac parte opaca.

In litore nostro raro capitur, diciturque *Melet*; *Massiliæ* & in stagno quod *Martegue* vocatur frequentissime & *Sauclez* nominatur.

Carne est satis sicca, media scil. & optima, gratique saporis: quod si cum spinis edi posset, multo suavior foret, hæ autem inter edendum negotium facessunt. Hinc fortasse Atherina ab aristis dictus est. *Phavorinus* autem Atherinam dictam putet ὅτι ἀθερίζεται, id est negligitur & contemnitur διὰ τὸ εὐτελές.

CAP. XII.

Atherina Bellonii Gesn. 83.

Ad alterum genus pertinet.

VEneti (inquit) Angoellam vocant: [At qui nobis *Venetiis* pro Angoella ostensus est, & superius descriptus, omnino diversus piscis est: habuit enim duas in dorso pinnas.] Massilienses *Sencle* [*Rondeletius* pro *Saucle* Massiliensium alium piscem proponit, duabus itidem in dorso pinnis.]

Pisciculus est raro digiti magnitudinem excedens, neque extenso digito longior: argentei coloris, translucente corpore, & quod Soli objectum, ut vitrum transpareat: lineamque ostendit interne obscuram, rectam à capite ad caudam, à sanguine qui in spina diffunditur provenientem. Oculis est grandibus, lingua candida. Pinnam utrinque in lateribus, & geminam alteram sub ventre habet, quæ piscem in æquales partes secat: ac præterea tenuem aliam & parvam fert in medio tergore pinnulam. Branchias habet utrinque 4: costas item utrinque decem omni capillamento tenuiores: vertebras adeo exiles, ut vix ab acie oculi perspicacissima discernantur.

Forte hic piscis est quem *Venetiis* aliquando descripsimus his verbis. Pinna dorsi radios obtinet 15: branchiales singulæ 16 aut circiter; ventrales 7; quæ infra anum est 18. Fascia seu ductus latus niger ab oculo ad oculum supra caput protenditur. Cauda forcipata. Podex inter apicem rostri & extremam caudam medium locum obtinet. Oculi grandiusculi, iridibus argenteis. Os amplum pro pisciculi magnitudine: maxillæ dentatæ. Intestina semel tantum reflectuntur. Appendices nullæ. Vesica aerea costis affixa, longa, non intercepta. Vesica fellea mihi non comparuit. Ova in singulari oblongo sacculo, exterius nigro, continentur. Totus piscis pellucidus est, excepta modo linea nigra utrumque latus medium percurrente, ubi caro supposita subrubida & opaca est, & loco ubi intestina & viscera sita sunt.

CAP.

CAP. XIII.

Tamoata *Brasiliensibus*, *Lusitanis* Soldido, Marggrav.

PIscis est fluviatilis seu aquæ dulcis, edulis. Longitudo corporis ab occipitio ad initium caudæ 3½ dig. longitudo capitis unius digiti, latitudo paulo major. Crassities corporis ubi maxima, nimirum post occipitium, 3 dig. circa caudam 2. *Caput* latum Ranæ fere modo; *os* haud amplum; ad cujus quodlibet latus filum habet unum dig. longum instar barbæ: os edentulum. *Oculi* minimi crystallini, magnitudine seminis papaveris, circello aurato cincti. *Pinnas* obtinet 8; ad quamlibet branchiam unam, digitum longam, firmam instar cornu in uno latere, directe à latere protensam: duas in infimo ventre, non ita firmas, at ejusdem magnitudinis: unam in medio dorso; alteram in eodem dorso prope caudam minimam: unam parvam in infimo ventre prope caudam, & octavam pro cauda, digitum longam & latam. Totum caput superius tegitur testa dura instar clypei: & universum corpus vestitum est lorica ex oblongis squamosis corporibus composita: suntque hæc corpora per ambitum minutissime serrata, & quadruplici ordine tota lorica dispofita: id est coeunt partes seu squamæ loricæ in utriusque lateris medio, in dorso & in infimo ventre. Color totius piscis obscure ferreus præsertim in capite. Carne bona est.

Locus. Magnitudinis mensura. Caput. Os. Oculi. Pinnæ. Squamis osseis velut lorica tegitur.

Piscis hic aqua carens in fluvio ubi est, tempore sicco, per terram abit ut aquam quærat.

CAP. XIV.

Cataphractus Schoneveldii. *Septentrionalibus Anglis*, a Pogge.

NOvis nominibus ab accidente aliquo inditis, ubi vel Latinæ vel Græcæ appellationes desunt, in novis rebus explicandis pro arbitrio recte utimur. Quamobrem pisciculus qui circa Nortstrandiam insulam Oceani Slesvicensi Ducatui subjectam frequenter & per totum annum, in ostio Albis & Eideræ sæpe capitur, non inepte Cataphractus nominis vetustioris penuria vocabitur.

Est hic palmorum duorum longitudinis ad summum, capitis fere triangularis, depressi, angulosi, ac lati pollices vel digitos duos, cujus duo latera tuberculis plerisque horrent in ambitu: anteriora quæ ad os spectant cirros multos tenuissimos alunt, posteriora aculeis retrorsum spectantibus minacia sunt.

Rostrum habet resimum, quatuor apiculis munitum, quorum duo anteriores instar Lunæ cornutæ vel semicirculi se rotundant, reliqui post hos suis aculeis retro conversis conspicui sunt. Os in supina parte semicirculare habet, parvum, ad incisuram ejus utrinque binis, sub mento pluribus cirris tenuibus barbatum. Truncus proxime caput depressior, octagonus est, prope caudam hexagonus, prona parte fuscus, nigris lituris interspersis; circa ventrem planum, in cujus medio podex est, albicat. Totus squamis osseis contectus est, in quarum medio tumor durus aduncus erigitur, qui in omnibus continuatus corpus angulatum efficit, quod versus caudam valde gracilescit. Pinnas circa branchias habet latiusculas duas, sub ventre totidem, sed longe minores, binis fibris constantes: in dorso, inter squamarum extantias concavo, duas contiguas, parvas, omnes nigris lituris pictas. Cauda in pinnam subnigram, exiguam

& rotundam definit. Dentes nullos habet cataphractus, sed horum loco labia aspera & in faucibus officula aliorum in morem hirta. Squillis & aliis pisciculis minoribus victitat.

Nortstrandenses eum vocant vernacula lingua *Steinbicker* & *Muller*, item *Turssbull*, & ob carnis dulcedinem in deliciis habent: resecto capite coquunt ex aqua, hinc abrasis crustis cum butyro & aceto utuntur.

Piscis hic in mari Dunelmensem Episcopatum & comitatum Eboracensem alluente non raro capitur, & a Piscatoribus nostris A Pogge *dicitur, ut a* D. Johnson *Eboracensi certiores facti sumus, qui & piscem ipsum ibidem captum ad nos transmisit.*

C A P. XV.

Cataphractus Brasiliensis Musei Soc. Reg.

CAtaphractum *Schonfeldii* proxima similitudine refert. Dimidium pedem longus est, capite $1\frac{3}{4}$ digit. longo, & tantundem fere lato. In posteriore capitis parte tres habet angulos, unum in alterutro latere, in medio tertium. Frons propemodum plana est, mandibula superior elliptica: oculorum orbitæ rotundæ, in transversum $\frac{1}{4}$ digiti latæ; unciali retro rostrum extremum distantia sitæ, $1\frac{3}{4}$ dig. intervallo à se invicem remotæ. Pro dentibus labia aspera habet. Maxilla inferior & venter plana. Corpus anteriore parte sescunciam latum, unciam $1\frac{1}{4}$ altum. Dorsum subrotundum, latera in angulos duos terminantur. Cauda sensim angustata & ad latera nonnihil plana.

Aperturæ branchiarum dimidia pars in lateribus existit, dimidia sub pectore. Pinnis octo instruitur. Branchiales insolitæ sunt structuræ & compositionis; extimum enim radium seu spinam obtinent valde asperam, crassam & robustam, sescunciam plus longam, compressam & incurvam seu hamatam falcis instar, reliquis pinnæ radiis septies aut octies majorem. Pinnæ ventrales multo minores, & plus digito posterius sitæ, quibus perpendiculariter imminet dorsi pinna. Caudæ una subtus & altera supra innascitur pinna, eaque in tertiam definit. Caput galea scabra, ossea, colore Batico tegitur. Dorsum, latera, cauda squamis capiti concoloribus, sed colore minus saturo, scabris, lineolis parallelis insculptis, figuræ rhomboidis vestiuntur; pectus & venter cute duntaxat molli & tenui.

L I B.

LIBER QUARTUS

SECTIO IV.

MEMBRUM III.

PISCES

Non aculeati, quibus unica in dorso pinna, marini.

Primo in loco eos ponemus quibus prælonga est pinna, à capite ad caudam fere extensa; deinde eos quibus pinna modica medium circiter dorsum occupat, aut gravitatis centro opponitur; ultimo in loco eos quorum pinna dorsalis posterius sita est, non longè à cauda. Prioris generis sunt prioribus septem capitibus descripti; secundi sunt proximis quinque capitibus comprehensi; tertii generis reliqui ad hujus membri finem. Postremus tamen piscis, nimirum Lucius fluviatilis est, non marinus.

CAP. I.

§. I. *Hippurus* Rondeletii Gesn. *p.* 501. *An* Dorado *i. e.* *Piscis auratus Lusitanorum?*

HIppuron *Gaza* Equiselim vertit. Unde nomen hoc pisci impositum sit non constat. Caudam enim ejus equinæ similem esse etsi nomen præ se fert, probabile non est, neque authorum aliquis tradit. Forte ita dictus fuit διὰ τὸ ἵππου δίκην ὀρούειν καὶ ἐξάλλεσθαι, unde & ἀρνευτὴρ vocatur. *Gesn.* Hispani *Lampugo* vocant. *Nominis ratio.*

Piscis est marinus, nostris undis incognitus. Ego quidem in Hispania tantum natos hactenus vidi. *Locus.* Hæc præ aliis omnibus piscibus illustris est & spectabilis in isto pisce nota, quod statim à rostro vel à capite veluti crista erigitur, continensque pinna magna ad caudam usque protensa. *Pinnæ.* Huic similis alia est à podice ad caudam usque, sed brevior. *Pinnæ* branchiarum breves, latæ, auris æmulæ: quæ in ventre sunt longiores, nigricantes, podicem fere attingentes qui in medio corpore situs est. *Os* mediocre est, *dentes* exigui, acuti, in maxillis, palato & lingua. *Os, Dentes,* *Oculi* magni. *Oculi.* Squamæ minutissimæ. Glauco, colore, internisque partibus similis est, ab eo dissidens, quod hic à capite sensim tenuior fit strictiorque, ille à podice tantum donec in latam caudam desinat.

Celerrime crescit. *Aristoteles* lib. 5. *Hist. animal.* cap. 10. scribit. Hippuri ex ovis foetus ex minimis celerrime in maximos evadere; quod in nullo pisce manifestius quam in hoc observari potest. Cum enim *Hispani* piscatores parvos Hippuros ceperint, nassis includunt, illicque crescere sinunt brevi tempore, utpote quorum incrementum indies conspiciatur. Et eodem *Aristotele* autore, cum pisces multi serpentum more *hyeme latent*, apertissime Hippurus id facit & Coracinus. Nam hi soli nusquam capiuntur nisi statis quibusdam temporibus, eisdemque semper. Quæ in hoc pisce verissima esse comperi. Cum enim in *Hippaniam* hujus piscis recipiendi gratia scripsissem, frequentius, diversis anni temporibus, nunquam nisi Autumno ad me missus est, id omni asseveratione affirmantibus piscatoribus, nunquam nisi æstatis certis diebus capi.

Hyeme latet. æstate tantum capitur.

Caro. *Carne* est pingui, suavi & dura, qualis Thynnorum Glaucorumque est caro.

Hæc omnia *Rondeletius*, nam piscis hic nobis incognitus est.

§. II. Guaracapema *Brasiliensibus* Marggrav. *Dorado i. e. Auratus piscis* Nieremberg.

HUic [Hippuro *Rondeletii*] *vel idem est, vel simillimus piscis:* Marem Doradæ esse ait, corpore lato & compresso, non ita crasso; in 6 7^ve^ pedum longitudinem excrescit, latitudine seu altitudine maxima prope caput sesquipedali. Caput desinit in figuram quadratam, estque in aciem eductum, ut facilius fluctus maris natando secare possit, os haud ita amplum habet pro magnitudine corporis, mandibulas compressissimas, denticulos acutos. Paulo supra os, & quidem versus ejus interiora, oculi positi sunt, ne nimirum in aquis imperiose ageret, qui alias Lynceus. Oculi autem magni sunt, rotundi, pupilla crystallina, iridibus argenteis. Branchias habet amplas: Pinnas 7. nimirum unam insignem à summitate capitis per totum dorsum extensam usque ad caudæ exortum, in medio 7 aut 8, digit. latam, quæ sensim minuitur, constans membrana ad tactum coriacea, & spinis mollibus interius sustentata: hanc natans in æquore erectam tenet. A medietate infimi ventris ad caudæ initium itidem pinna protenditur, sed vix unum digitum lata, in exitu triangulata. Pinnæ branchiales 8 vel 9 digit. longæ; ventrales paulo longiores. Cauda circiter sesquipedem longa, in duo cornua ampla distenditur. Squamulis minimis vestitur totus, quæque ad tactum vix sentiuntur, ita ut glaber videatur. Color in capite, dorso, lateribus ex viridi & argenteo mixtus, uti & in pinnis: in ventre vero albicat. Per totum autem corpus, nimirum latera, dorsum, caput, maculis est variegatus cæruleis, variæ magnitudinis, milii, grani hordeacei, ervi. Carnem habet siccam, boni saporis.

Velocitate natandi superat *Toninhas* seu porcos marinos, & eodem modo saliendo progreditur.

CAP. II.

Novacula piscis Rondeletii Gesner. *p.* 741. *Romanis* Pesce Pettine Salviani.

CUm Piscis hic nobis nondum conspectus sit, plenam & accuratam partium ejus omnium descriptionem è *Salviani* opere desumptam proponemus.

Capite

Capite est permagno, valde tamen (non secus quam corpore toto) *Caput.*
compresso, & omni prorsus rostro carente. Linea namque anteriorem
capitis, sive totius corporis partem terminans, longa satis & recta, at-
que fere ad perpendiculum à summo capitis vertice ad inferiorem us-
que maxillam defertur. In infimo cujus anterioris & fere perpendicu-
laris partis loco *Os* positum est parvum, dentibus acutissimis & parvis, *Os.*
præter 4 anteriores & longiores, munitum. *Oculi* parvi sunt & in su- *Oculi.*
periore capitis sede collocati. Branchias utrinque quaternas habet; &
binas etiam utrinque *pinnas*, duas latiores ad branchias; & duas alias *Pinnæ.*
angustiores in ventre. In dorso unica erigitur pinna, non multum là-
ta sed satis longa; à primo namque dorso exorta, per dorsum totum
fere usque ad caudam extenditur. Imo præterea ventri alia una singu-
laris pinna ab ano (qui in hoc pisce propius ad caput quam ad caudam
accedit) nata, & usque fere ad caudam producta subditur. Cauda in
unam & latam pinnam degenerat. *Ventriculum* habet mediocrem; *in-* *Ventriculus,*
testina pinguedine plurima obducta, & multis gyris circumacta: hepar *Intestina,*
pallidum, & fellis vesicam jecinori annexam. Piscis est latiusculus, *viscera.*
valde Fabri instar compressus, *squamis* magnis contectus, & variis atque *Figura.*
pulcherrimis *coloribus* egregie depictus. Caput enim, maxillæ, & bran- *Squamæ.*
chiarum opercula plurimis cæruleis lineis insignita apparent. Imi ven- *Color.*
tris & caudæ pinnæ subflavis & virentibus lineis inter se cancellatim
commissis decenter admodum depictæ sunt. Pinna dorsi rubra est, non-
nullis cæruleis conspersa maculis. Corpus reliquum ex rubro flavescit.
Ad multam molem non excrescit: palmi namque mensuram excedere *Magnitudo.*
non solet.

Piscis est marinus, litoralis & non pelagius: ac litorum, maxime quæ *Locus.*
saxis abundant, incola. Nec omni mari communis est. *Romæ* rarior
est; *Rhodi* frequens & in *Melita* insula. Capitur & in *Majorica Mi-*
noricaque insulis. Solivagus est, imbellisque: loligunculis parvis, sepio- *Victus.*
lis, Apuis reliquisque minutioribus pisciculis vescitur.

Carnem habet teneram ac friabilem, boni succi, atque concoctu faci- *Caro.*
lem: unde in saxatilium penuria ipsis substitui, atque valetudinariis ap-
poni potest. Gustui suavissimus est, & propterea ubi capi solet, in ma-
xima habetur existimatione.

Rondeletius piscem hunc Novaculam *Plinii* facit, vulgarem appella- *Nominis ra-*
tionem, quam ex Latina sumptam arbitratur, secutus. Dicitur enim *tio.*
Rason, quæ vox *Gallis Narbonensibus* & *Hispanis* Novaculam significat.
Et merito quidem, inquit, Novacula dicitur, est enim dorso cultellato,
quo majorem Novaculam apte repræsentat. *Salvianus* Græcum aut La-
tinum nomen priscum hujus piscis non invenisse ait.

CAP. III.

Pompilus Rondel. *p.* 250. Gesn. 887.

Pompilus ἀπὸ τῆς πομπῆς dicitur, quia naves comitatur & deducit.
Thynni sæpe navigia velis euntia comitantes, mira aliqua dulcedi-
ne per alquot horarum spatium, & passuum millia à gubernaculis non
separantur, ne tridente quidem in eos sæpius jacto territi. Quidam eos
qui hoc è Thynnis faciunt Pompilos vocant. *Plinius.*

Piscis est pelagius squamis carens. A branchiis ad caudam linea ma-
gna, curva ducta, à qua ad ventrem lineæ multæ transversæ interpunctæ
descendunt. Supra lineam dorsum varium est & maculatum. Os est
medium, dentes parvi pro corporis magnitudine. Pars quæ supra &
inter

inter oculos est flavescit, aurique colorem æmulatur. Pinnas habet quatuor, duas ad branchias, duas in ventre. Aliam à podice ad caudam, in dorso aliam. Cauda in unicam desinit non divisam, neque crescentis Lunæ figura Thynnorum Pelamidumque modo. *Rondeletius.*

Rarus est admodum apud nos piscis, ita ut vulgare nomen nullum invenerit, nisi quod pro Pelamide venditur. *Idem.*

Piscis hic si modo recte describitur, à Pelamide longe diversus est, necdum nobis conspectus.

CAP. IV.

Monoceros Minor Mus. Soc. Reg. D. Grew.

LOngitudine est sesquipedali, latitudinis dupla, corpore ad latera valde compresso, non plus $2\frac{1}{2}$ digitis crasso; dorso Percæ instar assurgente, quodque minus usitatum est, ventre arcuato. Caput aliquam habet cum Papione similitudinem, à summo ad imum $4\frac{1}{2}$ digitos extensum. Os ima parte situm, angustum scissura digito non multum longiore; dentes in utraque maxilla acus modicæ crassitie $\frac{1}{8}$ digiti longi. Branchiæ oculis & ori, segmenti circuli in modum subtensæ. Oculi prope summum caput collocantur diametro unciali.

A vertice porrigitur Cornu rectum, rotundum pyramidale, glabrum, in exsiccato pisce nigricans, deorsum modice depressum; in ambitu ad basin duorum digitorum, tres digitos longum: nullo intus osse firmari videtur, neque in os inseritur, ut in Monocerote cetaceo, verum cutis ipsa producta (ut cuticula pedum in clavos dictos) in corneam quandam substantiam induratur.

Pinnis septem instruitur. Branchiales duos digitos longæ sunt, unum latæ: Dorsalis à capite ad caudam extensa, $1\frac{1}{2}$ digito altior est. Pectorales pinnæ uno propemodum cis anum digito sitæ, duas proxime uncias longæ. Ventralis dorsali respondens & similis ab ano ad extremam caudam producitur, extremam caudam finiens triangularis est $2\frac{1}{2}$ digitos longa, tres lata. Anus vix digitum $1\frac{1}{2}$ retro perpendicularem lineam à branchiis ad ventrem demissam aperitur. Cute tegitur per siccitatem nigricante, crassa & lenta, & si digitos antrorsum ducas, scabrosa.

CAP. V.

Nhaquunda *Brasiliensibus* Marggr.

MAs corpore est oblongo, fere ubique æquali, 7, 8 aut 10. dig. longus, duos altus ubi altissimus. Caput & os fere Lucii habet: superius labium extendere, & oris hiatum rotundare potest: dentium loco habet limas; linguam tenuem; branchias amplas: oculos conspicuos, pupilla nigra, circulo fusco: pinnas 7: post quamlibet branchiam unam, 2 fere digit. longam: sub his in infimo ventre duas junctas, & post anum unam pene quadratam. Ab initio fere dorsi una protenditur pene ad caudæ exortum, 3 dig. longa, unum ferme lata, æqualis, mollibus spinis suffulta, quæ in fine paulo latior & in triangulum desinit. Cauda testa dura tegitur nigra. Totum corpus squamis mediocris magnitudinis vestitur, ac totum dorsum & latera obscure grisei sunt

sunt coloris cum argento transplendente. Venter albus. In utroque latere unum ordinem habet macularum, rotundarum, nigrarum, pisi magnitudine, & inter has dispersa punctula multa cœrulea. Pinnæ omnes aureæ, ut & cauda; & pinna dorsi insuper variegatur per totum punctulis cœruleis. In utroque latere per ordinem macularum nigra tendit linea, incipiens à fine superiore branchiarum, & ad regionem finis pinnæ dorsalis desinens, & semidigiti fere interstitio ab hujus fine alia linea incipit, ac in medio exortus caudæ desinit. Lineæ hæ elatæ sunt ac aureæ. Capitur in fluviis, ac boni est saporis.

CAP. VI.

Paru *Brasiliensibus* Marggrav.

Piscis est latus & subrotundus, verum haud crassus, novem aut decem digitos longus ab ore ad pinnam caudæ, quæ duos & semis digitos longa, ac totidem lata. Latitudo piscis 7 digitorum. *Pinnas* obtinet 6; duas magnas ac latas duos circiter digitos; *unam in dorso*, alteram in ventre, quæ utrobique ad caudam extenduntur; habetque quævis pinna in fine prominentiam instar funiculi, ea videlicet quæ in dorso 5 digitos, quæ in ventre tres digitos longam. Post branchias in quolibet latere etiam pinna est duos digitos longa, unum lata, & duæ in inferiore ventre sub his duos digitos longæ, angustissimæ. *Capite* est parvo, *ore* elato, angusto, minutissimis *dentibus* albi coloris: oculis conspicuis, flavo circulo circundatis. Totum corpus vestitur *squamis* mediocribus, quarum dimidius numerus niger est, dimidius autem flavescit, ita ut lunulas flavas in nigricante corpore gestare videatur. Circa branchias flavedo est, & in initio pinnarum: post aures macula flava in qualibet. Piscis est edulis.

Figura. Magnitudo. Pinnæ. Una in dorso. Caput; Os, Dentes. Squamæ.

CAP. VII.

Acarauna *Brasiliensibus* Marggrav.

Magnitudine exæquat *Paru*, sed non est ita latus, & squamulas habet nigricantis coloris. Cauda est bifida, pinna 3 digitos longa, 2 lata. Pone utramque branchiam etiam pinnam habet: inferius in antica parte duas angustas. Per totum dorsum & per ventrem etiam pinnam utrobique extensam, acutam, continuam, in postica parte corporis circiter unum digitum latam. Os parvum, angustum, denticulis minutissimis. Oculi haud magni. In utroque latere prope caudam acutissimum habet aculeum: quos in latera potest recondere & evaginare & alios pisces lædere. Quilibet aculeus fere digitum longus osse piscino constat.

Acarauna quadrata, nautis Vetula dicta.

Cum *Acarauna Marggravii* notis quibusdam convenit, aliis tamen multis ab eodem differt, ut descriptiones conferenti patebit.

Quem descripsit $8\frac{1}{2}$ digit. longus erat, 3 altus seu latus, $1\frac{3}{4}$ crassus: in exsiccato anterior pars corporis & cauda coloris erant straminei pallidioris, reliquum corpus fuscum. Squamis undique integitur, lineis tenuibus, parallelis cælatis, excepta fronte & maxillis anterioribus, ubi cutis nuda deorsum digitos ducenti scabra sentitur. Vertex in obtu-

ſum angulum aſſurgit; frons plana, dimidio digito latior: Oculi rotundi, diametro ſemunciali, altius ſiti; paulo anterius duo parva foramina narium æmula. Os etiam elatius, valde exiguum; ut quod vix tertiam digiti partem latum ſit; dentes contigui, acubus parvis ſimiles.

Superiori maxillæ 4 utrinque ſpinulæ innaſcuntur; inferiori hinc inde duo ſpicula grandiora, rigida, acuta, digitum circiter longa, deorſum oblique ſpectantia, & Galli calcarium inſtar nonnihil inflexa. Ab horum baſi ſeu exortu ad oculos ſpinulæ aliquot breves rectis lineis excurrunt.

Branchiæ retrorſum rectis lineis extenduntur, & in angulum concurrentes inde antrorſum producuntur.

Pinnis 7 natat. Branchiales duæ ſub ſpiculis dictis dependent, $1\frac{1}{2}$ unciæ longæ, unciam fere latæ. Pectorales digitum pariter & dimidium longæ, $\frac{1}{3}$ digiti latæ. Dorſalis pinna à Vertice, ventrales ab ano ad caudam extenſæ ſibi mutuo fere parallelæ decurrunt, ut piſcis quadratus videatur, unde eum denominavit *Acaraunam* quadratam. Caudæ pinna $1\frac{1}{2}$ dig. longa, extrema circumſcriptione convexa.

CAP. VIII.

Guarerua *Braſilienſibus* Marggrav.

CORpore eſt lato compreſſoque, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latiſſimus; ore patulo [parvulo] denticulis minutis. Pinnas habet 6; nimirum poſtbranchiales duas, parallelogrammi figura; in infimo ventre duas oblongas & latas: in ſuperiori dorſo, & infimo ventre poſteriori, longam & latam, quæ in acumen deſinunt figura ſubulæ. Cauda quadrata, ſeu potius parallelogramma, unum digitum longa, & duas tertias partes digiti lata. Squamulis tegitur nigri coloris ſplendentis inſtar bombycini; quarum oræ (quarundam tantum non omnium) fimbrias habent flavas inſtar ſemilunularum. Pinnæ omnes nigræ. Circa os autem linea craſſa eſt ferrei [purpurei] coloris, & alia illi perpendiculariter ſuperpoſita [ſuppoſita:] corpus 3 lineæ latæ ambiunt, quarum duæ per latas & poſticas pinnas extenduntur. Caudam etiam talis linea ſecat, & ejuſdem coloris. Una pro fimbria ipſi eſt. Oculorum pupilla nigra, circulus aureus.

CAP. IX.

De Harengiformibus.

HOrum nota characteriſtica eſt linea ſerrata è ſquamis compoſita in ima ventris carina, color in lateribus & ventre argenteus ſplendens, ſquamæ grandes & facile deciduæ.

Ad hoc genus Encraſicholus proprie non pertinet, ſiquidem ſquamarum ſerratarum ordinem (quantum memini) in ventre non habet.

§. I.

§.I. *Harengus* Rondel. Gesn. *p.* 486. Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 10. *Chalcidis species* Bellonio. A Herring.

HArengus piscis notissimus longitudine est dodrantali & interdum pedali; latitudine pollicum duorum triumve. *Caput* ei compressum: *Os* sursum spectans: Dorsum ex cæruleo fuscum: Venter & latera alba; desquamato argentea. Maculæ lateribus nullæ. *Squamæ* magnæ, rotundæ. *Venter* acutus, spinosus, squamis denticulatis continua serie à capite ad caudam usque dispositis. *Lineæ* punctatæ *laterales* in hoc pisce vix conspicuæ. Oculorum irides rubescunt. *Mandibula* inferior superiore longior seu productior, *denticellis* aspera, uti est & lingua & palatum medium: Lingua autem acuta est. *Branchiæ* ut in aliis plerisque piscibus quatuor; quarum aristæ seu radii pectinati, ex interiori parte multo quam in aliis piscibus longiores, colore rubicundo. Prima, secunda & tertia unum tantum ordinem radiorum obtinent, ultima duos, interioribus tamen admodum exiguis. Quinetiam officulo ultra branchias ordo unus radiorum pectinatorum adnascitur. *Pinna* in dorso unica medium fere longitudinis totius piscis obtinet, h.e. æquis spatiis à summo rostro & extrema cauda distat, radiis cartilagineis circiter septendecim donata, quorum quartus aut quintus longissimi. *Cauda* bifurca. Pinnæ branchiales radios obtinent 17 singulæ. Ventrales, in imo ventre è regione ei quæ in dorso est, novem. Quæ ab ano nervis 17 à se invicem remotioribus instructa est. Ad radices pinnarum squamæ transversæ in acutum productæ observantur. *Magnitudo.* *Caput, Os.* *Color.* *Squamæ.* *Venter.* *Lineæ laterales.* *Mandibula.* *Dentes.* *Branchiæ.* *Pinnæ.* *Cauda.*

Vesica natatoria secundum dorsum per totum abdominis longitudinem extenditur; ad quam meatus seu canalis longus à ventriculo producitur, ubi vesicam penetrat reflexus: quin potius Ventriculus ipse in canalem degenerat: Vesica autem coloris est argentei. Cystis fellea ampla, felle viridi repleta. Lien rubicundus. *Intestinum* à ventriculo recta ad anum descendit. *Vesica natatoria.* *Viscera & intestina.*

Citissime extra aquam moriuntur ob magnam branchiarum scissuram. *Rondel.* Statim ut aeris serena contigerit expirat, absque ulla mora. Hinc adagium illud Anglicum. *As dead as a Herring.*

Carne est pingui, molli, & delicata. Recens in craticula tostus, aut in sartagine frixus, & butyro conditus, maximam cum palato gratiam init, & saporis præstantia lautissimis piscibus vix cedit, unde & *Rex piscium* nostratibus dicitur. *Caro qualis.*

An Harengus sola aqua vivat necne quæstio est. *Schonfeldius* hoc non verisimile esse ait; cum Harengo ventriculus nunquam adeo vacuus sit, ut non aliquid vel limo nigro, vel ubi partus tempus ingruit ovis rubicundis simile contineat. Appendices certe, quas numero septendecim à pyloro calloso deorsum continuo ordine longiusculas à principio intestini unici habet, chilo suo nunquam vacant.

Harengus in usum culinæ (inquit *Schonfeldius*) variis modis accipitur. Recens elixatur, & cum rhaphano atque aceto manditur: vel (ut superius diximus) in craticula torretur, vel in sartagine cum butyro frigitur, magnum pauperiorum solatium. Verum cum piscis mollis sit & excrementitius, facile febres generat incaute utentibus.

Nostratibus non minus salubris quam sapidus censetur, præsertim in craticula tostus, nec febribus aliisve morbis generandis infamis est; quamvis sub initium autumni, cum ad oras nostras primum adnatat, avidissime ab omnibus appetitur, & ad satietatem usque ingeritur.

Sale & muria conditus in vasa apte componitur: hinc conditaneus vel muriaticus appellatur. Hic cum justam ætatem habet, & salsuginem

satis combibit, crudus initio cum primis magna voluptate, hinc per totum semestre vel solus vel cum cepis detracta prius pelle editur. Maceratus item per biduum, & cum aceto & butyro vel aceto solo comeditur. *Nostrates sale & muria conditos sartagine frigunt, & cum butyro admixto aceti tantillo comedunt. Quod si nimis salsus fuerit ut plerunque fit, debet prius aqua macerari. Harengus muriaticus seu conditaneus nostratibus, quod sciam, non editur crudus: nec enim condiendi artem norunt qua Hollandi utuntur.*

Sale leviter aspersus & postea in fumo suspensus & induratus, Harengus passus & infumatus dicitur, Anglis *a Red Herring*, Gallis *Harenc Saure*. De Harengorum captura, deque modo eos saliendi & fumo indurandi hæc ad nos perscripsit D. *Philippus Skippon.*

In mari *Suffolciæ* & *Norfolciæ* littora circa *Yarmouth Lestoffe* & *Southwold* oppida alluente Harengis piscandis opportunissimum anni tempus censetur à medio *Septembri* ad *Octobrem* medium. Retia quibus utuntur piscatores $2\frac{1}{2}$ circiter orgyias lata seu alta sunt, viginti ulnas longa, absque ullo à postica parte extenso Sacculo. Hoc genus retia quotquot opus fuerit inter se connectunt, ut ad integri interdum milliaris spatium extendantur. Restibus illis quæ singulis retibus prætenduntur, & globulos subereos excipiunt, brevibus funiculis *Seasins* dictis in mediis & ad extremas partes cujusvis firmiter adnectitur funis crassus & validus (*Wallop* vocant) qui per omnia retia extenditur, ad restes modo dictos roborandos, si forte tempestas procellosa inciderit, vel magna vi piscium inclusa retia graventur, ut iis extrahendis magna contentione opus sit. Ex avibus maritimis supervolitantibus, quibus in locis Harengorum greges sint conjecturam capiunt: hæ enim eos prædæ causa perpetuo sectantur, eorumque motum omnem observant. Retia piscatores dum sensim remigando provehuntur in mare demittunt, cursum interim quantum possunt ad æstus fluxum transversim dirigunt, æstu tamen secundo plerunque retia trahunt. Harengi nunc secundo æstu natant, nunc adverso, nunc cursu ad ejus fluxum transverso feruntur. Quamprimum navicula aliqua piscibus captis satis onusta est, ad littus festinat, eosque ibidem exponit; quos deinde excipit cui abluendorum, saliendorum & exiccandorum cura commissa est [*the Tower.*] In sex autem species seu potius ordines Harengos hosce distinguunt. Primus *Harengus pinguis* dicitur, qui grandis est & obesus duosque vel tres menses durat. 2. *Harengus carnosus*, [*The meat herring*] qui pariter grandis est & carne multa, minus tamen pinguis quam præcedens. 3. *Harengus nocturnus*, *The Herring of the night.*] Hic mediæ magnitudinis est, minus tamen pinguis aut carnosus quam præcedentium alteruter. 4. *Harengus ruptus* [*Pluck* dictus] qui dum retibus implicitus aut inhærens avellitur, aliqua corporis parte læsus aut ruptus est. 5. *Harengus vacuus* [*a shotten Herring*] qui jam peperit, ovis & lacte seu genitura exhaustus. 6. Denique Harengus acephalus, [*a Copshen*] cui caput dum è reti extrahitur aliove aliquo casu avulsum aut ablatum est.

Omnes hasce species hunc in modum saliunt. Dolio lastæ unius aut saltem dimidiæ capaci primo salis quantum satis sit injiciunt, deinde una vice *Harengos* circiter 500 [mensuram *Swillam* vocant] immittunt, immissos semel atque iterum pala versant, sale inter versandum continue insperso; hoc modo novis harengis immissis saliendo & versando idem opus repetunt, donec impleatur dolium. *Harengi* in imum dolium immissi & saliti mox rigidi evadunt, neque cum superioribus inter saliendum agitatis miscentur. Post 16 aut summum 24 horas harengos eximunt, & in corbes vimineos imponunt, texturæ adeo raræ, ut salem, squamas reliquasque sordes, dum pisces aqua perfunduntur & abluuntur, facile transmittant. Exemptos veruculis ligneis tenuibus & oblongis imponunt, inque domibus suspendunt ad infumandum, ma-

chinis

chinis ligneis ad id factis in ſuprema domus parte fixis, & à tecto eouſque dependentibus, ut mediocris ſtaturæ homo extenſo brachio eos facile contingat. Verucula hæc harengis onuſta perticis ligneis, *Loves* dictis, utraque extremitate tignis quibuſdam [*Bawks* vocant] affixis ordine imponuntur, quincunciali inter ſingula diſtantia relicta. Tigna [*the Bawks*] arrectariis tecto affixis inſeruntur, adeoque plura ſunt verucu-lorum quaſi tabulata, decem plus digitorum intervallo inter ſingula relicto. In pavimento ſubjacente pyras extruunt ex lignis in taleolas cæſis, quas quarta quavis hora ſuccendunt. Foribus occluſis ignis quo-dammodo ſuppreſſus effumigat, ſpiraculo nullo relicto, fumo inter te-gularum rimas & interſtitia eluctante. Quingentæ circiter taleolæ [*billets*] laſtæ uni exiccandæ ſufficiunt Spatio unius menſis perficiun-tur domi venales; qui vero in regiones tranſmarinas intra fretum Ga-ditanum exportantur, ſex ſeptimanas requirunt. Quod ſi tempeſtas plu-via ſit aut ventoſa, *Harengi* tardius exiccantur à domus parte vento ad-verſa. Quocirca domus haſce in locis vel aliorum ædificiorum, vel arborum, aggerum, montium, ſepium objectu à ventis tutis quantum poſſunt extruunt. Ad Harengos condiendos ſeu curandos ut vocant ſale Hiſpanico utuntur, ut præ aliis ad id maxime idoneo. Cadus ſalis [*a barrell*] unus & dimidius uni laſtæ ſaliendæ ſufficit. Cadus ſeu barel-lus unus *Harengos* pingues circiter ſeptingentos capit; ex aliis ſpecie-bus mille plus minus cadum implent. Decem cadi [barrelli] Laſtam dictam efficiunt.

Piſcatores nonnunquam, quum paucos piſces ceperint in naviculis medio mari eos ſaliunt ſeu curant; verum hi minus probi cenſentur, quam qui in litore condiuntur, ubi commodius curantur.

Harengi albi ſeu conditanei, Solſtitiales dicti quia circa æſtivum Sol-ſtitium capiuntur, perampli ſunt & pingues, hi branchiis, inteſtinis, lactibus exemptis muria condiuntur, unde *pickled Herrings* appellan-tur. Hos *Hollandi* lautius & elegantius parare norunt quam noſtrates. Tres plus minus Salis Hiſpanici cadi uni Laſtæ ſaliendæ ſufficiunt.

Galli aliique *Harengos* in ſole exiccandi artem callent & exercent. Exiccandis anni tempus maxime opportunum eſt, quum littora *Norfolciæ* & *Suffolciæ* frequentant.

Gregatim natant, & tractus amant littoreos, pariunt ſemel in anno circa æquinoctium autumnale: quo tempore in utero geſtant, melio-res & præſtantiores ſunt, ut reliqui piſces fere omnes. *Schwenckfeld.*

§. II. *De piſciculis* Sprattis *&* Sparlingis *noſtratibus dictis, qui nihil aliud eſſe videntur quam Harengorum fœtura.*

PIſciculis hiſce cum *Harengis* diligenter collatis nullam neque in fi-gura, neque in partibus corporis externis aut internis, neque vero in ſapore carnis differentiam animadvertere aut invenire potui. Ca-piuntur autem quotannis magno numero circa Solſtitium hybernum, & vili ſatis pretio non numero neque pondere, ſed menſura apud nos veneunt. Piſcator quidam ſenior *Cornubienſis*, quem ſuper hac re aliiſ-que conſuluimus, nobis retulit duo *Sprattorum* genera in mari Cornu-biam alluente capi, alterum Harengorum, alterum Pilcardorum ſeu Celerinorum ſobolem, quæ à ſe invicem facile diſtingui poſſint. Pilcardi Cornubiæ & Devoniæ littora frequentant, ulterius in mari Britannico orientem verſus raro progrediuntur; unde alibi circa Angliam uni-cum tantum Sprattorum genus invenitur.

Hoc genus piſciculos in lacu quodam agri Ceſtrienſis *Rotherſton* (vul-

go *Rostern-mear* dicto,) per decem minimum dies continuos circa festum Paschatis quotannis capi solitos à *D. Langley* Tamworthensis Ecclesiæ Rectore dignissimo certior factus sum, qui sibi relatum scribit tum ab aliis, qui & lacustres hosce aliquoties & marinos Sprattos sæpius esitaverant, tum præcipue ab honesto viro *Roberto Thorley*, *Knotsfordiæ* oppiduli prope *Rostern* siti incola, per aliquot annos in lacu prædicto piscari solito, eosdem omnino specie pisces esse, lacustres hosce & marinos. Decem autem aut interdum viginti hoc genus pisces una vice verriculo extrahi. Quo autem tempore in lacu capiuntur, eodem aut paulo ante in aquis salsis infra pontem *Warringtonensem* in *Merseia* fluvio, quem æstus maris influit, septem aut octo m. p. infra hunc lacum pariter capi. Quamvis autem per totum annum tempestate idonea piscibus in lacu capiendis operam dare solent, qui à Domino soli piscandi jus annuo pretio redimunt, Sparlingos tamen extra tempus prædictum nunquam retibus includunt: aliquibus in locis aqua 34 plus ulnas profunda est.

Lacum hunc influit rivulus quidam à lacu *Mear* dicto egressus, æstivo tempore tenuis, hyeme plenior, qui in fluvium *Berkin* dictum se exonerat; cum quo conjunctus non ita multo infra alii cuidam amni *Bollen* dicto admiscetur; & hi tandem uniti in *Merseiam* tribus circiter supra pontem *Warrington* Milliaribus evolvuntur: qui locus non plus quatuor m. p. recta linea mensurando à lacu distat. In *Merseia* autem fluvio (ut diximus) duobus infra *Warrington* m. p. Sparlingi frequenter capiuntur, maxima tamen copia 4 infra pontem *Warr.* passuum millibus, circa locum *Runkern* dictum. Quamvis autem inter lacum *Rosternensem* & *Berkin* amnem, aliisque infra locis antequam in *Merseiam* influit obstacula *Weræ* dicta extructa sint, nunquam tamen Sparlingos inter *Merseiam* & lacum *Rosternensem* captos à quoquam cognitum aut auditum est, ut neque in *Bollen* aut *Berkin* amnibus.

Quod si æstuum marinorum accessibus *Merseiam* fluvium subeant, à *Merseia* certe ad lacum ascensuri inundationis opportunitatem captant, & ad lacum recta progrediuntur, spretis ut videtur & præteritis *Bollen* & *Berkin* amnium aquis, in quibus nunquam inveniuntur: quemadmodum & Salmones *Danum* fluvium subeuntes, *Weeveram* qui cum *Dano* ad *Nordvicum* confluit non ingrediuntur.

Summa, Sprattos hosce seu Sparlingos (ut vocant) à mari diluvii aut inundationis tempore lacum *Rosternensem* olim subiisse suspicor, ibidemque jam toto anno durare, & fortasse etiam generare. Qui quoniam in profundo plurimum versantur, quemadmodum & in mari, & circa Pascha duntaxat in summas aquas emergunt, aut loca vadosa adeunt, ea tantum tempestate piscatorum retibus implicantur, ut & de Carpionibus in lacu *Winandermere* captis observatum est. Quin si diluvii tempore rivum subeant, & ad mare iterum non revertantur, non mirum quod in sepibus transversis seu obstaculis *Wears* dictis non capiantur: Hæc enim ita disposita sunt ut pisces ascendentes admittant, descendentes tantum retineant. Hactenus *D. Langley*. Ego potius ad mare quotannis remeare censuerim: partim quia si in lacu per totum annum manerent, in harengos adolescerent; cum Spratti (ut ostendimus) harengi juvenes sint: partim quia alii hujus generis pisces marini v. g. Alausæ lacus intrant per flumina ascendendo; eorumque sobolem *Sardellarum* nomine consimili errore pro specie diversa quæ & in lacubus pariat, nec unquam in magnitudinem proficiat, habitam, in Agoni historia declaravimus. Quod si experientia certum sit pisciculos hosce in *Weris* dictis nunquam capi, non invalidum est pro D. *Langley* sententia argumentum, & cui respondendo non sum. Quocirca nihil temere pronuncio, sed rem totam ulteriori examini subjiciendam relinquo.

§. III. *Harengus minor ſive Pilchardus.* The Pilchard. *An Apua membras* Rondel. *de Aquatilibus p.* 85. Geſn. *Chalcis i. e. Celerinus Gallorum* Bellon.

PIſcem hunc *Bellonius* Antiquorum Chalcidem facit, inque Oceano Celerinum, in Mediterraneo Sardinam dici putat. *Aldrovandus* ſub titulo Harengi minoris figuram ejus exhibet. *Longitudine* eſt ſummum dodrantali: Corpore pro magnitudinis ratione paulo craſſiore eſſe videtur quam Harengus, ventre minus acuto. *Squamæ* ampliſſimæ, tenues, ſubrotundæ. Dorſum cæruleo-viride, venter & latera argentea. Juxta ſuperiorem branchiarum angulum macula utrinque nigra in omnibus, & in nonnullis aliæ præterea quatuor aut quinque ordine in eadem recta caudam verſus diſpoſitæ: quo cum Aloſa convenit. *Caput* compreſſum: *Os* cum aperitur amplum. *Dentes* nulli, neque in maxillis, neque in lingua, neque in palato: Roſtrum acutiuſculum: *Nares* ſimplices. *Oculi* mediocres iridibus argenteis, fuſcis tamen nubeculis ſuffuſis. *Branchiæ* omnino ita ſe habent ut in harengo. *Pinnarum* numero, ſitu, & ſingularum radiis cum harengo convenit. *Lineam ſerratam* in ima ventris carina efficiunt ſquamæ clypeiformes, quæ in medio ſui in mollem ſpinulam retrorſum ſpectantem, ventri proxime appreſſam procurrunt, ad latera duobus longiſſimis proceſſibus ventrem amplectitur, inque eum inſeritur: quæ nota aliis etiam hujus generis communis eſt. *Nomen. Longitudo. Figura. Squamæ. Color. Caput, Os, Dentes. Nares, Oculi. Branchiæ. Pinnæ. Linea in ventre ſerrata.*

Quod ad interiora attinet, Peritonæum intus nigro fuco oblinitur. Hepar rubrum, in duos lobos diviſum, adnexam habet in dextro latere veſiculam felleam. Ventriculus carnoſus figuram literæ Y aliquatenus imitatur, cujus alterum cornu orificium ſuperius, alterum pylorus refert: ad quem & deinceps inteſtino appenduntur apophyſes ſeu inteſtinula cæca innumera. Poſt apophyſes inteſtinum ſurſum reflectitur ad ipſum uſque diaphragma, & deinde recta ad podicem tendit. Infra ventriculum lien oblongus, ruber. Veſica natatoria ut in Harengo. A fundo Ventriculi meatus ſeu canalis ad eam fertur ſurſum nonnihil reflexus, eamque infra mediam partem perforat. *Partes internæ.*

Gregatim natant ingentibus agminibus. *Caro* tenera eſt & ſapidiſſima, firmior & delicatior nobis guſtantibus quam ipſorum harengorum; nec ſalubritate minus quam ſapore commendabilis. In mari extremis *Cornubiæ* adjacente circa oppida *Penſance* & *S. Ives*, itemque oram Angliæ meridionalem alluente uſque ad *Devoniam*, aut etiam *Dorceſtriam*, magno numero quotannis capiuntur, indeque in exteras regiones tranſportantur maximo *Cornubienſium* emolumento, qui ex eorum mercimonio non levem quæſtum faciunt. A ſolſtitio æſtivo ad exitum Autumni, & interdum etiam natalitia Chriſti capiuntur. Piſcatio eorum hoc modo inſtituitur. In montibus ſeu clivis maritimis excelſis diſponuntur Speculatores [*Huers* Anglice vocant] qui turmam ſeu gregem, *Shole*, aut *Scole* dictum, conſpicati; (ubi autem turma ſit ex aquæ colore, interdiu nigricante ſeu purpureo, noctu flammeo diſcernunt) navicularíis & piſcatoribus, qui in mari expectant, ſignis conventis manu datis oſtendunt quid agere debeant. Piſcatores ſpeculatoribus in ſagenis (Anglice *Saines*) diſponendis trahendiſque obſequuntur, adeoq; e magnam perſæpe vim piſcium includunt, ut una vice centies mille aut plures capiantur. Mille Pilchardi ſex ſeptemvè ſolidos noſtræ monetæ plerunque valent. Piſces captos ſuper terram in acervum extruunt, ſeriatim diſponentes primo areolam piſcium, tum ſalis, dein iterum piſcium, adeoque viciſſim ſtratum ſuper ſtratum (ut loqui *Caro qualis. Locus. Capiendi modus. Quomodo condiantur.*

loqui amant Chymici) ad ulnæ & dimidii altitudinem. Poſtquam per 15 aut 18 dies hoc modo manſerint, & probe ſaliti fuerint, eos eximunt, & veruculis ligneis imponunt per os & branchiarum aperturas adactis, quo facilius abluantur; Aqua bis lotos in dolia condunt, & ingenti pondere ſuperimpoſito oleum copioſum exprimunt quod in foſſas ſubjectas ei excipiendo deſtinatas defluit, multis uſibus idoneum. Oleo expreſſo dolia denuo complent, piſceſque mercatoribus vendunt; qui in exteras regiones, *Hiſpaniam* præcipue, eos tranſportant, & aliis mercibus permutant.

Mihi piſcis hujus & Sardinæ ſeu Sardellæ Romanis dictæ deſcriptiones diligenter conferenti idem plane videtur quod *Bellonio*, nimirum *Sardinas* maris Mediterranei cum Pilchardis ſeu Celerinis Oceani eundem ſpecie piſcem eſſe, & magnitudine tantum differre, cum in Oceano paulo magis excreſcant.

Rondeletio ergo, ni multum fallor, bis deſcribitur, primo pro apua membrade; ſecundo pro *Sardina*; quam *Trichidem* veterum facit; quicum *Geſnerus* etiam, mutata ſententia priore, (qua trichidem cum thriſſa id eſt alauſa eundem eſſe ſuſpicatus eſt) conſentit. De *Aquatil.* p. 992. 10.

Harengus major ſeu primus differt à Pilchardo in centro gravitatis; hic ab apice pinnæ dorſalis apprehenſus pendet in æquilibrio; ille vero eodem modo tractatus delabitur pronus.

§. IV. Sardina Rondel. Geſn. *p.* 890. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 38. Sardina *Romæ*, Sardella *Venetiis*. *Chalchis* Bellonii, *quem in Oceano Celerinum dici putat.* A ſmall Pilchard.

Figura corporis longa eſt & ſubrotunda, magnitudine quas Romæ vidimus non multum Gobionem fluviatilem ſuperabant. Color in dorſo cæruleus ſplendens, in lateribus & ventre argenreus. Squamæ pro piſciculi magnitudine ampliſſimæ. In lateribus ſupra lineam punctatam quinque aut ſex maculas nigras à capite caudam verſus recto ordine ſitas obtinet. Pinnarum numero, ſitu, radiis cum Pilchardo convenit. Cauda admodum forcipata. Os amplum dentium omnino expers. [Oculi grandes, iridibus argenteis. Extrema branchiarum opercula velut aureo colore tincta relucent. Ventriculi figura qualis in reliquis hujus generis. *Pylorus* appendicularum plurimarum velut corona cingitur. In ima ventris carina ordo eſt ſpinarum ſerræ denticulos imitantium, ut in Pilchardo.] In mari mediterraneo capiuntur plurimæ, & Romam venales aſportantur.

Mihi deſcriptiones hujus & Pilchardi noſtri ſeu Celerini Gallorum diligenter conferenti idem plane videtur quod *Bellonio*; nimirum hunc ab illo ſpecie non differre; ſed magnitudine tantum; cum paulo magis in mari Oceano quàm in Mediterraneo excreſcat.

§. V. *Sardanus Italorum Romæ, Chalcidis ſpecies* Bellonii, *Harengus recentiorum.*

Hæc ſpecies corpore eſt latiore quam præcedens; Dorſo viridi: maculis lateralibus caret. Linea quoque in medio ventre huic minus aſpera eſt quam illi, ut *Bellonius* obſervavit. De hoc quoque piſce *Bellonii* ſententiæ accedo, eundem ſpecie eſſe harengo Oceani, quamvis in

in oceano magis proficiat in magnitudinem, quam in mari Mediterraneo.

Romæ vidimus & deſcripſimus in mari infero captos.

§. VI. *Lycoſtomus Balthicus* Schonfeldii.

IN ſinu Chilonienſi piſcis capitur, raro tamen, duorum palmorum longitudinis, pinnarum ſitu & numero Harengo non diſſimilis, ſed inſigniter pinguis, carnoſus, & ob craſſitiem tereti fere corpore. Squamas habet exiles & facile deciduas, ventrem argenteum, dorſum opacum aut ſubnigrum, latera candida. Caput non magnum, in acumen deſinens; roſtrum ſuperius acutum ultra inferiorem mandibulam, quæ acuta eadem eſt, ſuperioremque pyxidis modo ingreditur, prominens. Rictus amplus eſt, oculorum iris argentea, pupilla nigra. In utraque mandibula dentes ſerrati, exigui. Lingua conſpicua. *Mareneken* piſcatores vocant, ſed male, rectius *Sche Mareneken* dicerent.

Lycoſtomus à profunda oris inciſura appellari poteſt, & Balthicus ad differentiam *Rondeletiani*, qui minor palmi longitudinem nunquam excedit, ſquamis caret, & linguam nullam habere, nec linguæ rudimentum, creditur.

§. VII. *Encraſicholus* Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 32. *Aphya Encraſicholus, quos alii Engraules, alii Lycoſtomos appellant* Rondel. Geſn. *p.* 78. *Haleculæ* Bellonii Anchovies.

PIſciculi ſunt digiti magnitudine, aliquando paulo majore, ut recte *Rondeletius*; *Bellonius* enixius ſe ſtuduiſſe ait, ut ex longioribus & craſſioribus nanciſceretur, ſed nunquam palmi longitudinem pertingere, & pollicis craſſitudinem aſſequi comperiſſe. Nos *Ceſtriæ* palmo longiores vidimus & pollice craſſiores, non procul ab ea urbe in mari captos. Corpore magis tereti ſunt quam Harengi aut Pilchardi; pellucido niſi ubi obſtat ſpina, ſine ſquamis: dorſo fuſco aut ex cinereo viridi, ventre argenteo. Maxillæ ſplendent, & rubro colore tinguntur. Roſtrum acutum. Mandibula ſuperior longe ultra inferiorem procurrit. Rictus ſive apertura oris pro piſciculi magnitudine immanis. Aperturæ branchiarum etiam ampliſſimæ. Oculi grandiores laxa cuticula tecti; irides argenteæ. Branchiæ quatuor ariſtis longioribus ex una tantum parte donatæ. Pinna in dorſo unica; in piſce digitos $4\frac{5}{8}$ longo duobus digitis à ſummo roſtro incipit, radiis 15 inſtructa. Pinnæ ad branchias nervis 14 radiatæ, digitali à ſummo roſtro diſtantia. Pinnæ ventrales duobus fere digitis à ſummo roſtro remotæ, nervos ſeptem obtinent ſingulæ. Quæ retro anum eſt, digitis à ſummo roſtro $2\frac{5}{8}$ diſpoſita, nervis 17 firmatur. Cauda forcipata.

Inteſtina duplicem habent convolutionem. Appendices ad Pylorum prælongæ circiter octodecim.

Venetiis valde frequentes ſunt, *Genuæ* etiam & *Romæ*. *Rondeletius* magnam iſtorum copiam in Provincia capi ait noctu, è naviculis igne accenſo: magnam item *Baionæ*; ſed hos majores eſſe, illos ſuaviores & molliores.

Sale conditæ in doliolis aſſervantur, & ad nos deferuntur. Verum nonniſi truncato capite condiuntur, cum quo fel una cum hepate cæteriſque viſceribus & inteſtinis tollitur. Saliti crudi cum oleo apud nos eduntur. Ex his optimum conficitur garum. Hi enim piſciculi ſaliti in quovis fere liquore prunis impoſito facile diſſolvuntur, unde

omnes fere intinctus delicatiores ingrediuntur. Ad dejectam appetentiam recreandam, crassæ pituitæ attenuationem, citandamque alvum plurimum valere auctor est *Rondeletius*, cui etiam experientia suffragatur.

Enchrasicholi nomen inditum huic piscitio apparet (verba sunt *Gesneri*) tanquam fel in capite contineat, (fellicipitem Latine dixeris) διὰ τὸ χολὴν ἐν τῷ κρατὶ ἤτοι κεφαλῇ ἔχειν. Quanquam enim fel intestinis annexum habeat, sed protensum cum illis confusumque, ut minime sit conspicuum, (ut *Bellonius* docet) Caput tamen ei amarum & velut bile infectum est; unde & mutilari solet. Lycostomi ab oris forma dicuntur.

§. VIII. *Agonus* Bellonii, *Agonus vel Chalcis* Rondel. Gesn. 17. *Sarachus* Aldrov. *lib.* 3. *cap.* 58. *quem Clupeæ seu Alausæ, & Sardellæ lacus Benaci eundem putamus.*

Effigie ac sapore Alausis seu Clupeis persimiles sunt, verum magnitudine inferiores, utpote qui ad summum pedalem magnitudinem non excedant. Vere quoque sunt graciles, natura à clupeis plurimum diversa, autumno autem quam optimi. *Paulus Jovius*. Quin omnes historiæ piscium scriptores Agonum ab Alausa diversum faciunt. Verum *D. Willughby* Sardellas lacus Benaci, quas *Veronæ* accurate descripsit, Pinnarum numero, situ & radiis, maculis lateralibus, Branchiis, oris crena, ventriculi & vesicæ figura, aliisque omnibus accidentibus & partibus tum externis, tum internis sola magnitudine excepta, cum Alausis convenire observavit. Quod vero ad magnitudinem attinet, sibi à piscatoribus (ut credo) relatum scribit, hoc genus pisces Peschieræ primo anno Scarabinos dici, secundo Sardellas, tertio Agonos. Quibus suffragatur piscator quidam Lucarnensis, (alios etiam præterea in eadem sententia esse video; unde Agonum, Sardellam, & Alausam eundem specie piscem esse nullus dubito) qui Agonos minimos (vulgo Gabianos) dici *Gesnero* asserebat, majusculos Agonos, maximos Cepias i. e. Clupeas, quæ è mari in *Verbanum* ascenderent per *Padum*. Quod mihi quidem verisimillimum videtur. Fieri enim potest, ut in alios etiam lacus, nimirum *Larium* sive *Comensem*, *Benacum* & *Luganum* per eundem *Padum* è mari ascendant, ibidemque pariant, iterumque ad mare descendant, per hyemem enim in Lacu *Lario* non capiuntur, neque, ut puto, in aliis lacubus. Verum ego nihil temere statuerim, si tamen in lacubus hisce perpetuo maneant, nec ad mare unquam descendant, argumentum est non invalidum ab Alausis specie distinctas esse. Nullum enim alium piscem marinum novi, qui in dulcibus aquis perpetuo degat; quamvis plurimi flumina subeant, anadromi idcirco dicti.

Sarachum Epirotarum *Bellonius* eundem facit *Mediolanensium* Agono. Horum inquit comperiuntur species major & minor. Minores quadrante longiores non sunt: majores pedalem implent longitudinem, suntque Clupeis magnitudine fere pares.

Aquonem appellat hunc piscem *Benedictus Jovius*, qui *Larii* lacus (vulgo *Comensem* vocant) pisces erudito carmine descripsit: *Mollis aquo vitam qui solis ducit in undis*: quasi ab aqua nomen habeat, quod illi ad vitam adeo necessaria sit, ut ab ea semotus celerrime omnium extinguatur. Ego potius hoc nomen assecutum crediderim ab ossiculis illis acutis, quæ asperam spinosamque in ventre ejus lineam constituunt. *Gesner*.

§. IX.

§. IX. *Clupea* Salv. *Alausa, Clupea vel Trissa* Rondel. Gesn. *p.* 21. *Alosa lib.* 4. *cap.* 4. Aldrov. *Italis* Chiepa; *Angl.* A Shad, the Mother of the Herrings.

Thrissa ἀπὸ τῶν τριχῶν denominari videtur hic piscis, quod ossicula pilis similia habeat; unde etiam nonnullis Trichis seu Trichias Antiquorum censetur.

Figura capitis atque etiam corporis totius Harengum refert, nisi quod latior sit, & tenuior seu ad latera magis compressus: magnitudine eum superat, ut qui ad cubitalem longitudinem, quatuor pollicum latitudinem excrescat. Color ei Pilchardi, in dorso scilicet nigro-cæruleus, in ventre & lateribus argenteus. Opercula branchiarum interdum cum splendore flavicant, interdum leviter purpurascunt. Juxta branchias magna utrinque macula, rotunda, nigra. Ab hac in eadem recta caudam versus dispositæ paulo supra lineam punctatam quinque, sex, septemve aliæ utrinque, minores; quæ in pisce desquamato clarius cernuntur. Lineæ laterales à branchiis ad caudam ductæ subobscuræ sunt. Squamæ magnæ, facile deciduæ, circa margines guttulis nigris velut irroratæ. Venter in acutam carinam definit; linea à branchiis ad anum decurrente, falcis messoriæ instar denticulata, ex squamis imbricatim positis quadraginta numero, quarum singulæ in acutam spinulam caudam versus inclinatam exeunt; composita. Caput mediocre. mandibula inferior superiore paulo longior: Oculi grandiusculi, membranis laxis non ultra irides obducti; quod ei cum Pilchardo commune est: irides argenteæ, cæruleo & interdum purpureo colore diluuntur. Os amplum: maxilla superior inferiore tantillo brevior, denticellis perexiguis in extremis tantum marginibus aspera est: alias dentes ei nulli, neque in lingua, neque in palato, neque in inferiore maxilla. Lingua exigua, acuta nigricans. Medio rostro seu mandibulæ superiori crena rotunda insculpta est. Ab oculis ad occiput ruga utrinque extenditur: inter has in medio capite tubercula parva mollia. Cranium pellucidum est. Branchiæ utrinque quatuor radiis pectinatis longis ex una tantum parte donatæ; ex altera tum globulis tum aristis carent, ut in Violacea. Pinna in dorso unica, circa mediam piscis longitudinem, nervis cartilagineis ramosis 18 aut 19 donata. Cauda admodum forcipata. Pinnæ quæ ad branchias sunt, humili situ, radiis 15. Ventrales pinnæ è regione ei quæ in dorso existit, radiis novem singulæ extenduntur. Anus vix tertia longitudinis parte ab extrema cauda distat. Quæ retro anum est pinna radios 20 aut plures obtinet [ego in pisce quem descripsi 11 tantum numeravi.] Omnes hæ pinnæ pro piscis magnitudine parvæ sunt.

Ventriculi eadem figura est quæ in Harengo & Pilchardo. Pylorum cingit integer fere appendicum circulus, & præterea ad unciæ circiter longitudinem crebræ ex altero intestini latere exeunt. Intestinum simplex & minime reflexum à pyloro ad podicem recta extenditur. Vesica aeri continendo inserviens longa, minime intercepta, ad cujus mediam partem canalis ab ipso ventriculi fundo porrigitur. Vide figuram in margine positam, in qua *(a)* gulam significat, *(b)* ventriculum; *(c)* canalem à fundo ventriculi quæ in vesiculam natatoriam mediam inferitur, *(d)* appendices ad pylorum. Cystin felleam habet, & lienem oblongum. In ventriculo dissecto pulices marinos invenimus. Musculi super costas rubescunt.



Alosæ *Sabrinam* fluvium mense *Martio* & *Aprili* subeunt pingues & ovis prægnantes; mense *Maio* macilentæ & effœtæ ad mare iterum redeunt. Ascendentes ossiculis intermuscularibus carere aiunt; descen-

dentes numerosissimis scatere: quod tamen mihi vix persuaserint. *Rondeletius* è contra in dulcibus aquis pinguescere eas scribit, & molli suavique carne reddi, ideoque quo longius à mari capiuntur eo meliores esse. Subeunt *Lacciæ Tyberim* amnem ad prima veris signa (inquit *Jovius*) sed tum strigosæ, & ab quadam marinæ salsuginis ariditate parum amabiles, quæ mox paucorum dierum mora Tyberinis in undis mirificè pinguescunt & incipiente statim æstate in maria revertuntur, sic ut reliquo tempore rarissime appareant........ Pulparum mollitie saporeque admodum delicatus est: verum adeo frequentibus & molestis spinulis prætenerae ejus carnes impediuntur, ut in conviviis illorum tædio atque periculo summæ suavitatis gratiam amittat. De carnis aristis sive spinis eadem fere habent *Isidorus* & *Albertus*.

Accedunt gregatim ad sonum nolarum, cymbalorum & campanarum parvarum, adeoque piscatores, ut eas in retia invitent, funi, qui supra aquas fluitat, campanellas alligant, *Albertus*. *Rondeletius* quoque in Alosis idem se expertum scribit. Cum enim (inquit) in Arverniæ oppido Maringuesio essem, & in fluvii ripa sæpe animi causa deambularem, ad testudinis sonos Alosas vidi adnatantes & saltantes, id quod noctu manifestius apparebat. Abundat autem fluvius ille tanta & Salmonum & Alosarum copia, ut supra 1200 uno retis jactu captos viderim. Hæc si vera sunt, pisces auditu pollere minime dubium est.

Alausæ Batavis *Meyvisch*, id est, Pisces Maiales appellantur, vel quia *Maio* mense capiuntur plurimæ, vel quia tunc temporis pinguiores & sapidiores evadunt. *Sardellæ* Italis dictæ, quæ vere incipiente *Veronæ*, *Mantuæ* & alibi in *Lombardia* frequentissimæ in foro piscatorio cernuntur, non alii pisces esse videntur quam Alausæ juniores, ut in Agono ostendimus. Nos enim Sarachum Epirotarum *Aldrovandi* & *Bellonii*, Agonum lacus Comensis, Sardellam lacus Benaci, & Clupeam seu Alausam pro eadem piscis specie habemus.

Piscem *Kentmanno* descriptum sub titulo zigæ Albis fluvii, qui & *Goldfish* ab aureo circa caput colore dicitur, pro Alausa cum *Gesnero* habemus.

Aprili mense fluvium (*Rhenum*) subeunt, & ad nos commeant; quo tempore antequam ova jecerint laudatissimi sunt. Circa finem *Maii* pariunt, quo tempore gregatim natant magnis agminibus, & in summis aquis versantur, ut pinnæ dorsales etiam supra aquarum superficiem emineant, & porcorum gregis instar grunnitum quendam edunt, ad *Julium* usque mensem nobiscum manent, amplissimi 4. libras pendent. è *Manusc*. L. *Baltneri*.

§. X. Blicca Schonfeldii.

BRamis junioribus (inquit) & colore & pinnis non absimilis pisciculus est, quem ad Eideram vocant *Blick*, sed sui generis, ventre serrato, & ultra digiti longitudinem non excrescens, nec lato sed castigato corpore instar harengi emaciati. Pinnas eo numero & positu habet quo Bramæ. *Hamburgenses* piscatores censent eum esse piscem quem Angli *Sprat* vocant. Nobis idem videtur, nihil tamen temere pronunciare audemus.

Quod ad pisciculos illos attinet quos nostrates Sprats *vocant, ego illos Harengos juvenes seu pusillos esse existimo, siquidem tum figura sua, tum partibus omnibus & accidentibus (magnitudine excepta) harengos exacte referunt. Forte hic piscis idem fuerit Capitoni anadromo Gesneri a Kentmanno descripto, quem Miseni zerte vel Blicke nominant, cujus descriptionem inferius vide inter Capitones.*

CAP.

CAP. X.

Marena Schonfeldii.

LAcus Plonensis in *Holsatia*, ut & Swerinensis & Scallensis in *Megapoli* piscem alunt copiose, quem suis linguis *Marenen* [Marenam] vocant; occurrit idem in ea Billæ parte, quæ arcem *Holsatiæ* Trittoviam contingit. Harengo omnibus fere partibus respondet, pinnis, branchiarum incisione ampliore, dorsi subnigro, laterum argenteo colore, & squamis facile deciduis: sed minor est aliquanto, duorum ut plurimum palmorum longitudinis, pleniore item carne, duriore & friabiliore: ventre molli, non serrato; nisi quod in Scallensi lacu *Marenas* cubitales capi certum est.

Harum captura in lacu Plonensi circa festum *S. Jacobi* nonnunquam uberrima est, non tamen omnibus illius locis, sed paucis, iisque profundioribus. An vero in mari cubitales capiantur (ut *Gesnerus* putat se audivisse) ego in dubio pono. A lycostomo certe, qui & ipse *Marenehe* appellatur, hæc lacustris longissime discrepat.

Piscis hic magnitudine est Pilchardi seu Harengi minoris, verum ab eo specie omnino diversus, siquidem lacustris est, & ventre molli non serrato.

CAP. XI.

Pisciculus Romæ *Argentina dictus*, *Sphyræna parva*, *sive Sphyrænæ secunda species* Rondeletio Gesn. 1061.

COrpore est oblongo, tereti, à squamis nudo, Merlucio, vel, ut *Rondeletius* vult, Sphyrænæ valde simili: Rostro longo [tenui & acuto *Rondel.*] Dorsum seu superior corporis medietas ad lineas media latera dividentes cinerea est viridi diluta, seu pallida: medietas inferior h.e. venter & latera infra lineas argentei coloris, ac si argentum foliatum iis induceretur, præcipue branchiarum opercula. Os modicum; Dentes in maxillis nulli, at circa linguæ apicem sex aut octo recurvi, & in palato asperitates quædam. Oculi grandes, iridibus argenteis. In superiore capitis parte inter oculos obscure purpurascit. Cerebrum per cranium transparet, in tres divisum lobos, quorum anterior perexiguus est, posteriores duo simul juncti figuram cordis, qualis in chartis lusoriis pingitur, repræsentant. Dorso unica innascitur pinna non procul media longitudinis parte, radiis decem mollibus stipata. Cauda forcipata est: quæ ad branchias sunt pinnæ radios obtinent quatuordecim aut circiter: quæ in medio ventre ei quæ in dorso ex adverso, undecim: quæ ab ano hæret novem. Anus autem caudæ vicinus, vix sexta longitudinis parte intercedente. Ventriculus nigricat. Appendices ad pylorum sex septemve. Folliculus aeri excipiendo destinatus non divisus, utraque extremitate in figuram conicam fastigiata, exterius pulchre velut argento politissimo foliato obductus resplendet. Hujus usus est gemmariis ad margaritas artificiales efficiendas quæ naturales & genuinas mentiantur.

Piscem hunc *Romæ* nacti sumus, unde eum in mari infero inveniri constat.

CAP. XII.

Vubarana *Brasiliensibus* Marggravii.

Figura corporis Truttæ nostrati similis est, ubique ferme æqualis crassitiei, paulum tamen in dorso exaltatus, versus caudam autem angustior: corpore oblongo, quadrate cylindraceo: pedalis longitudinis, semipedem crassus. Caput acuminatum seu coactum, haud magnum: oculi stuferi magnitudine, pupilla nigra, circulo primum aureo, exterius argenteo: os edentulum, & lapis illi pro lingua. In medio dorso *unicam* habet *pinnam*, 2 pene digitos longam, unum anterius latam, trapezii figura, non tamen duris spinis firmatam. Post branchias in quolibet latere versus inferiora parvam pinnam oblongam & angustam obtinet, & duas tales laterales ad infimum ventrem è regione dorsalis: prope anum unam parvam. Cauda constat pinna furcata, instar harengi, plus duobus digitis longa. Squamulas habet ordine lineari secundum longitudinem corporis positas ita affabre, ut ad tactum quaquaversus glaber videatur. Superne si aspiciatur olivacei est coloris, at eminus, aut lateraliter si intuearis argenteus ac splendens videtur, & dorsum cærulescit ex argenteo: venter plane albus: Branchiæ ita glabræ sunt ut laminæ argenteæ videantur.

Assatus boni est saporis, nec opus est desquamare: coctus non ita commodus ob multitudinem spinarum per carnem dispersarum.

CAP. XIII.

Camaripuguacu *Brasiliensibus* Marggr.

Dorso est recto, ventre paululum extuberante, pinguis ad tactum, & revera. Caput habet anterius acuminatum; os amplum, edentulum, quod in rotundum diducere potest, nimirum superiore mandibula, inferiori immota permanente, ita ut duos pugnos humanos juxta se vel etiam humanum caput possit admittere. Linguam habet conicam crassam: superior autem mandibula brevior est inferiori, ita ut clausum os superius habeat: oculos latiores imperiali, rotundos, crystallinos & argenteos: branchias amplissimas. Longitudinem adipiscitur 11 aut 12 pedum, crassitiem viri. Pinnas obtinet 7: duas haud procul dissitas à branchiis, in lateribus proxime ventrem anteriorem, longas, triangulares: cuilibet autem harum parvula subest, quæ tamen natando vix videri potest: in medio inferiore ventre itidem duas conjunctas, triangulares, latiores prioribus sed breviores: Has versus posticam partem corporis inferioris sequitur alia pinna solitaria, triangularis, lata, squamata, quæ appendice continua, angusta, protenditur ad caudæ fere exortum. In dorsi altera medietate versus posteriora, pinna est elata triangularis, lata, quæ appendicem habet versus posticam partem vergentem, elevatam, triplo longiorem instar funis crassioris. Septima pinna est pro cauda, quæ secta est & in amplam extenditur furcam. Squamis vestitur magnis, obrotundis, seu peltatis, majoribus imperiali, in dorso tamen minoribus: materia squamarum alba, pellucida instar matris perlarum. Sunt autem arcte sibi impositæ squamæ, ita ut quadru-

plices

plices aut quintuplices jaceant, ac de qualibet ante aliam prominet pars figura Lunæ bisectæ, (quæ argento obducta est) & rivulos hinc inde discurrentes monstrat argenteos in argenteo campo: ita ut totus piscis argento obductus videatur, præterquam in dorso ubi cæruleus est, argento tamen translucente. Pinnæ omnes argenteæ præter dorsalem, quæ eundem colorem habet cum dorso. Carnem habet lentam quæ diu coqui debet; multæ in carne spinæ, sed satis crassæ, ut facile inter edendum extrahi possint. Magis aspectu quam esu piscis delector. Os superius ossa habet duritie æqualia ossibus alicujus animalis.

CAP. XIV.

Acus vulgaris sive Oppiani Aldrov. *lib.* 1. *cap.* 23. *Acus prima species* Rondel. Gesn. *p.* 10. Βελόνη *&* Ραφὶς *Græcis.* The Horn-fish, *or* Gar-fish.

Piscis est longus, gracilis, teretiusculus (ventre tamen plano & sessili) caudam versus quodammodo quadratus. *Rostro* est acuto, longissimo, tenui; capite plano. Venter & latera argenteo *colore* splendent; dorsum virescit, linea purpura obscuriore maculata medium percurrente. Caput cæruleo-viride. *Linea* recta fere à superiore branchiarum parte utrinque ad caudam decurrit. [Lineam hanc è squamis contextam scribit *Rondeletius*, reliquis partibus lævibus & sine squamis.] *Maxilla* inferior superiore longior, in mollem quandam substantiam degenerans; utraque *denticulis* acutis frequentibus armata. Est autem maxilla superior mobilis, ut in Crocodilo; quod inprimis notandum est. *Nares* juxta oculos magnæ, patentes. Oculi aut nulla membrana communi, aut arcte adhærente tecti. *Pinna* dorsi quarta longitudinis parte à cauda distat, radiis 18 donata. *Pinnæ* ad branchias parvæ, radiis 13, quorum primus major & latior reliquis, secundus longissimus; Quæ in ventre sunt sex radiis, omnibus præter primum in ramos divisis. Quæ ab ano incipit radiis 20. constat primo longissimo, à sexto omnibus æqualibus. Cauda forcipata. *Figura. Rostrum. Color. Lineæ l.te-rales. Maxillæ. Dentes. Nares. Pinnæ.*

Intestinum à ventriculo absque ulla reflexione recta ad anum tendit. Appendices nullæ. *Spina* dorsi viridis saltem à coctione. *Hepar* non divisum in lobos: *fel* ex atro cæruleum. *Intestinum. Spina, Color. Hepar. Fel.*

His à nobis observatis adde è *Rondeletio*, Oculos magnos esse, rotundos, luteos; ante hos meatus ad audiendum vel odorandum trianguli figura.

Haud excrescit in multam magnitudinem, ex illis enim qui crebro capiuntur seni vix libram implent. Aliquando tamen, etsi perraro eorum aliquem bilibrem aut trilibrem se vidisse testatur *Salvianus*.

Carne est dura & sicca, quam ob causam difficilius coquitur, bonum tamen gignit succum. *Rondel.*

Acus major Bellonii, si modo ab eo recte descriptus, ab hoc nostro omnino specie diversus est. Supra enim & infra ad caudam, septem pinnulas seu appendices à se invicem distinctas habet, quæ deinceps ad caudam deferuntur: quas noster non habet. *Acus maj r. Bellonii.*

Græcis Βελόνη i.e. veru, & Ραφὶς i.e. Acus à rostri figura dicitur: Ἀβλέννης etiam i.e. muco carens, quo alii oblongi & anguilliformes pisces oblini solent, ut recte *Rondeletius*

In hoc pisce reperitur unus continuus ductus ab ore ad anum absque ulla

ulla manifesta diftinctione gulæ & ventriculi; attamen verfus os paulo amplior evadit hic canalis, gradatim fe contrahens verfus anum; intus nullas valvulas obfervavi. *Ex Obferv. Clariffimi viri D. Tyfon.*

CAP. XV.

Acus altera minor Bellonii Gefn. *p.* 9.

EST (inquit) aliud genus magnitudine tantum à priori differens, tenuibus etiam veftitum fquamis, linguam exilem, & dentes molares obtufos in ore habens, non ut prædicta [acutos,] branchias quoque utrinque quatuor; feptem etiam, ut in majoribus fuperne, & inferne, & in cauda propendentes pinnulas. Caudam bifurcam habet. Nunquam digito craffior excrefcere folet, nec pede longior evadere In infula nomine *Liffa*, olim *Phana*, affatim capitur: quas indigenæ, cum multa dolia fale condierint & impleverint, navigio inde transferunt, ut externis maximo quæftu divendant. Eft enim conditura admodum fuavis: fiquidem fale inveterata cruda cum pane edi folita eft. Hactenus *Bellonius*. Hanc Acus fpeciem nos nondum vidimus.

CAP. XVI.

Lacertus vel Saurus Acui fimilis Rondeletio, *forte idem cum præcedente.*

E Rondel. PIfcis eft marinus, pedis magnitudine, acubus brevior & craffior roftro acutiore, fed breviore & furfum recurvo. Huic loco dentium maxillæ funt ferratæ. Branchiæ quaternæ: quibus, & oculis & ante hos foraminibus, ventrifque fquamis ac lineis, quæ ventrem fere quadratum efficiunt firmantque Acubus eft fimilis. Reliqua vero corporis parte à podice ad caudam, caudaque ipfa Scombris par five partis hujus caudæque figuram, five ejufdem pinnulas fpectes. Ventriculo eft oblongo, inteftinis gracilibus, longis, in gyrum non convolutis: Hepate longo rubefcente, in eo fellis vefica eft. Fel & fplen nigricant.

Carne Pinguiore eft quam Acus, nec à Scombris differente. Rarius eft admodum pifcis, & à pifcatoribus noftris velut novus aliquando ad me delatus.

Nobis unam duntaxat fpeciem Acus videre contigit: at vero pifcatores Italici duas apud fe capi nobis retulerunt, quarum alteram Agugliam *i. e. acum fimpliciter, alteram* Agugliam [*h. e. Acum*] imperialem *dici.* Cornubienfes *quoque noftri cum pifcium in mari vicino captorum nomina ab iis exquireremus, inter alia* Girrocks *&* Skippers *duo Acus genera recenfebant.*

CAP.

CAP. XVII.

Mugil alatus Rondeletii, *Geſn. Hirundo* Plinii Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 6. Peſce Rondine *Italis.*

MAgnitudine quem deſcripſi Scombro æqualis fuit, gracilior nonnihil & longior; ut recte *Rondeletius*, ſi alas auferas ad Mugilis figuram quam proxime accedit. Squamæ quoque grandes ſunt veluti Mugilis. Color in dorſo cæruleus obſcurus, in lateribus argenteus, ſub ventre albus. Caput depreſſum; roſtrum acutum; Os parvum, prorſus edentulum: lingua gracilis. Pinna in dorſo unica, vix quarta longitudinis parte à cauda diſtans, radiis tredecim non ſpinoſis inſtructa. Cauda magis forcipata quam vel in Scombro, vel in Amia, aut Pelamide. Orificium excrementorum una minus quarta longitudinis parte cis caudam ſitum, quod obſervatu digniſſimum eſt, & pauciſſimis piſcibus contingit: quæ ei ſubnectitur pinna parva, eſt cujus radios neſcio quomodo obliti non numeravimus. Pinnæ ad branchias, quibus ad volandum interdum abutitur, longiſſimæ ſunt, ut quæ ad caudam proxime pertingant, cumque explicantur ſatis latæ, velut alæ, nervis quatuordecim, validis, articulatis, ramoſis inſtructæ. Singuli nervi in duos primo ramos dividuntur, hi rami denuo in duos minores ſubdividuntur. Secundarii iterum rami in ſurculos binos; & ſurculi tandem altera vice in alios minimos. Membrana radios connectens tenuis eſt. Quæ in ventre exiſtunt una tertia longitudinis parte à cauda abſunt, radiis ſex pariter ramoſis donatæ. Notatu dignum eſt pinnas haſce majores eſſe & longiores in hoc piſce, quam in ulla alia, quam quidem ego hactenus viderim, ſpecie. Venter autem planus eſt. *Linea quæ in cæteris piſcibus a branchiis vel a capite per latera ad caudam ducitur, in hoc piſce a pinnis ventris orta per imum ventrem ad caudam fertur.* Rondel.

Piſcis hic neque apophyſes habet ad inteſtina, neque ventriculum ab inteſtinis diſtinctum: neque revolvitur inteſtinum; verum unus & ſimplex meatus à gula ad anum recta extenditur. Hepar magnum, ſanguinei coloris, ventriculum ſeu ſuperiorem inteſtini partem amplectitur, eique arcte adhæret, & ſub eo latitat. In dextro latere cyſtis fellea ampla. Lien ſatis grandis, triquetrus, nigricans. Veſica aerea tenuis, dorſo adnexa, neque ſecundum longitudinem, neque ſecundum latitudinem diviſa aut diſſepta. Rhegii in *Calabria* hunc nacti ſumus: *Romæ* (teſte *Salviano*) rariſſime conſpicitur. *Rondeletius* ad ſe frequenter delatum ſcribit ex ea parte maris quæ *Rhodanum* excipit.

CAP. XVIII.

Petimbuaba *Braſilienſibus* Marggrav. The Tobacco-Pipe-fiſh.

TRes aut 4 pedes *longus* eſt, corpore inſtar Anguillæ. *Os* edentulum, acuminatum, ſuperiori mandibula breviori quam ſit inferior: eſtque longitudo oris ſeſquidigiti, amplitudo ubi maxima vix unius. *Longitudo. Figura, Os.*
Caput 9 digitos longum eſt ab oculis ad oris extremum, craſſities ejus poſt oculos 5 digitorum, hinc paulatim minuitur, ita ut prope os ſit *Caput.*

trium tantum digitorum. In summa autem longitudo capitis à fine branchiarum ad oris extremum est unius pedis & unius digiti. *Oculi.* *Oculos* habet satis magnos, magnitudine nucis avellaneæ & pæne figura; pupilla splendida cœrulescente, quam tunica ambit argentea, in parte anteriori & posteriori macula miniata notata. Post branchias in utroque latere, *Pinnæ.* *pinna* directe protenditur à latere sesquidigitum lata & longa, rufescentis coloris: hinc $6\frac{1}{2}$ digitorum intervallo versus posticam corporis partem duæ *pinnæ* parvæ rufescunt, in quolibet latere una, sed magis versus ventrem. Post has pedis intervallo sequitur *pinna* rufescens, duos digitos longa, sesquidigitum lata: sub hac autem ejusdem magnitudinis & coloris una in infimo ventre; demum à fine harum, intervallo fere 5 digitorum, sunt adhuc duæ *pinnæ* rufescentes, paulo minores superioribus, una sursum, altera deorsum elata, & inter has ortum sumit cauda instar murænæ tenuis, teres, 6 digit. longa. Corporis autem longitudo à fine branchiarum ad caudæ initium 2 est pedum, & trium digitorum. *Cute est glabra. Color.* *Cute* est instar Anguillæ *glabra, coloris* in toto corpore & lateribus ab ore ad caudam hepatici; in dorso triplici, in capite duplici, in lateribus unica serie macularum cærulearum, magnitudine nummi *Misnici* fere: hæ maculæ à medio corporis in lateribus ad caudam usque in lineas coeunt: inter omnes autem maculas cæruleas ordine intercedunt virescentes. In inferiori corpore tam sub capite quam ventre albescit, & videtur aliqua rubedo interspersa. Corpus autem universum non exacte teres est, sed compressum & latiusculum: ventris enim latitudo prope secundum par pinnarum, ubi latissimus, duorum est digitorum; crassities ibidem totius corporis sex: hinc paulatim attenuatur, donec prope exortum caudæ sit sesquidigitum paulo plus aut minus crassum. Edulis est piscis.

Pinnarum numero & situ piscis hic a reliquis Acubus differt; Rostri figura & longitudine convenit, quocirca hunc iis subjunximus, quamvis ad hunc locum proprie non pertineat.

CAP. XIX.

Piraya & Piranha *Brasiliensibus* Marggrav.

Longitudo. Figura. Os, Dentes, L*Ongitudine* est pedali, 6 dig. latus: dorso incurvato; capite obtuso ut *Dorada*. *Oris* hiatus parabolicus, quod exacte claudere potest, habetque labia parva quibus *dentes* tegit, quos obtinet triangulatos, albos, acutissimos, 14 in qualibet maxilla, in unum ordinem dispositos, quibus uno morsu partem carnis ex quacunque parte hominis potest abripere, quasi novacula esset abscissa. Si quis ingrediatur aquam, vel saltem immittat pedem vel manum statim ab illo lædi potest, ita sitiens est sanguinis & cupiens carnis humanæ: quare caute ab illo cavendum. *Oculi.* *Oculos* habet rotundos, parvos, crystallinos, pupilla nigra & inter illos duo foraminula seu spiracula: branchias amplas, exterius duras & osseas: *Pinnæ.* 6 *pinnas*, & 7^{am}. pro cauda: duas nimirum postbranchiales, elatas paulum à ventre infimo, 2 dig. longas, unum latas, in medio infimo ventre duas junctas parvulas vix unum digitum longas, & angustas: è regione harum in medio dorso incipit pinna, & ad $2\frac{1}{2}$ digit. longitudinem extenditur versus posteriora, paulo plus uno digito lata: duorum autem digitorum interstitio à parvulis in infimo ventre incipit pinna, firma spina anterius munita, cætera mollis, & maximam partem squamulis tecta, & paulo plus $2\frac{1}{2}$ dig. longa, extenditurque ad exortum caudæ, unum digitum lata. Exortus caudæ, sesquidigitum

longus;

longus; ipſa bicornis, & quodlibet cornu in exitu arcuatur. Squamulis tegitur: tota ſummitas capitis, dorſum & latera, uſque eo ſi linea ducatur à poſtbranchiali pinna ad medium pinnæ ſquamoſæ, coloris eſt cinerei diluti cum pauco cæruleo mixti, ac ſquamula quælibet fimbriam habet ignei & cærulei coloris tranſplendentis; reliquum laterum, ſeu inferior pars & venter coloris ſunt flavi obſcuri, ut & capitis inferior pars, ac pinnæ poſtbranchiales, & omnes infimi ventris. Pinna dorſalis & cauda coloris eſt è cinereo cæruleſcentis. Edulis eſt & carnem habet albiſſimam, paululum ſiccam, & boni ſaporis. Hæc ſpecies maxime gaudet cœnoſo fluvii fundo.

Pirayæ alia ſpecies hic reperitur, magnitudine & figura plane ſimilis priori, excepto quod parvulam adhuc habeat pinnam ſquamatam inter dorſalem & caudam, & quod colore differat: nimirum ſummitas capitis, totum dorſum, & laterum ſuperior pars, eo uſque ſi linea ducatur à pinna poſtbranchiali ad medium pinnæ ſquamoſæ, coloris ſunt aurei ac rubri cum cinereo mixti, & cæruleo tranſplendente. Capitis inferior pars, reliquum laterum, & infimus venter inſigni colore croceo fulgent, cui aureus perſplendet. Equidem coloris croceo-aurei ſunt pinnæ poſtbranchiales & infimi ventris. Dorſales duæ & cauda cinerei diluti cum pauco cœruleo mixti, ut & dorſum. Hæc ſpecies magis gaudet arenoſo fluvii fundo. Edulis eſt ut prior.

Reperitur & alia *Pirayæ* ſpecies alba, figuræ ut antecedentes, ſolum caput non ita obtuſum, ſed os paulum prominet figura conica: Color ventris & laterum argenteus: dorſum & ſcaput argentei coloris cum pauco cœruleo tranſplendente. Pinnæ argentei coloris cum gryſeo mixti. Dentes habet parvulos triangulares ordine diſpoſitos, nec ita mordet ut cæteri. Paulo minor quoque eſt reliquis ſpeciebus, cæterum non minus edulis quam illæ.

CAP. XX.

Maturaque *Braſilienſium* Marggrav.

CORpore eſt oblongo & ferme parallelogrammo, figura ſcil. *Tamoatæ*; 5 aut 6 dig. longus, ſeſquidigitum latus ubi latiſſimus. Caput habet latiuſculum, dura teſta tectum. Oris pars inferior paulo longior ſuperiore; & in inferiori 6 denticulos acutiſſimos habet, in ſuperiori aliquot minimos: Branchias ſatis amplas: oculos rotundos nigros, circello aureolo exterius fuſco. Pinnas ſex, nimirum duas poſtbranchiales oblongas, haud latas: duas tales in medio infimi ventris, & unum poſt anum trapezii figura; & ſimilem in medio dorſo. Cauda conſtat pinna quadrata, unum fere digitum longa, in extremitate circinata. Tegitur magnis ſquamis ordine poſitis. Totum caput ſuperius, dorſum & latera nigra ſunt: venter ex albo caneſcit. Pinnæ omnes nigræ. Capitur ſolum in lacubus & paludibus, non in fluviis. Boni eſt ſaporis.

CAP. XXI.

Lucius Rondeletii, Bellonii *&* *aliorum*. The Pike or Pickerell.

Nomen. Etymon. LUcii nomine ex idoneis ſcriptoribus *Auſonium* primum & ſolum uſum eſſe *Rondeletius* & *Geſnerus* conſentiunt. Lucium autem à lucendo *Bellonius* dictum arbitratur, quod ſiccatus noctu luceat. A λύκῳ non deduci probat *Carolus Figulus*, quod λύκος corripit priorem ſyllabam, ſed Lucius apad Auſonium producit antepenultimam. Lucii nomen Græcum, niſi Oxyrhynchos ſit, neſcio, inquit *Geſnerus*. *Bellonius* Lucium in Nilo frequentem eſſe ſcribit, eundemque videri veterum Oxyrhynchum: eſt enim roſtro acuto, & ut *Geſnerus* probat, carnivorus. Lucius in inſignem *magnitudinem* excreſcit: in lacu *Tugienſi* captum vidimus *Magnitudo. Figura.* qui 32 libras penderet. Tereti & oblongo eſt corpore, jaculo aut veru ſimili, unde & Gallis *Brochet* dicitur; capite plano, roſtro exporrecto, & ut vere *Rondeletius*, anſerino; dorſo lato, & fere quadrato, rictu grandi, cauda biſurca. *Squamis* tegitur parvis, denſis & confertis, ſub- *Squamæ. Color.* tus *coloris* albi, marginibus viridi quodam muco, qui facile detergi poteſt, oblitis. Muco huic viridis qui cernitur piſcis color ineſt. Corpus maculis flavicantibus undique aſperſum eſt. Juniores virideſcunt magis. In dorſo & lateribus piſce luci objecto aureus & ſplendens color emicat. Venter punctis albis ſplendentibus plenus: conſimilia & in lateribus puncta curioſius intuenti apparent, non tamen concava ut in ventre. Cauda fuſcis maculis varia, & lineis inſuper rubris, præcipue verſus angulos. *Pinnæ.* *Pinna*, quam in dorſo unicam obtinet à cauda non longe, fuſca eſt, vel (ut vult *Rondeletius*,) aurea nigris maculis notata, radiis 21 inſtructa, quorum ſeptimus altiſſimus. Huic oppoſita infra anum, maculis fuſcis & rubris pingitur, nervis 15 radiata, ſeptimo itidem altiſſimo: unde *Bellonius* pinnas haſce ſibi mutuo opponi, ad pinnarum teli effigiem non inepte ſcribit. Pinnæ ad ima branchiarum ſitæ, (qui ſitus eſt, ut recte obſervavit *Rondeletius*, fluviatilibus piſcibus communis) fuſco & rubro extremis nervis (qui ſingulis 15 inſunt) maculantur. Inferiore ventris loco duæ aliæ ſunt pinnæ magnæ & validæ. Venter plerunque albet, interdum tamen vinaceo colore tingitur. *Maxillæ, Dentes.* *Maxilla* inferior ſuperiore paulo productior, *dentibus* in anteriore parte parvis in os recurvis armata. Superiori maxillæ nulli inſunt dentes, verum palato plurimi, triplici ordine diſpoſiti. *Lingua.* *Lingua* lata, nonnihil bifida, nigricans, dentibus horrida. Dentes alternis mobiles & fixi, ut v. g. primus mobilis ſit, ſecundus fixus, tertius iterum mobilis, & deinceps reliqui. *Oculi.* *Oculi* minus extant quam in aliis piſcibus in orbitarum cava profundius demerſi, ut piſces hi nec certius nec commodius retineri poſſint quam indice & pollice in oculos immiſſis: irides aureo colore ſplendent. Ubi caput corpori committitur, lineæ duæ canaliculatæ ab occipite branchias verſus ducuntur. Caput & branchiæ foraminulis multis punctata ſunt.

Viſcera & inteſtina. Hepar pallide carneum: cyſtis fellea magna, felle ex viridi flavo, ſuperiori hepatis parti adnexa, longo ductu in inteſtinum exoneratur: Lien nigricans, triangularis fere: Cor triquetrum. Inteſtina pinguedine multa obvoluta, ter reflexa: apophyſes (ut recte *Bellonius*) nullæ; quas *Rondeletius* ei falſo attribuit. Ventriculus intus rugoſus. In capite lapillos geminos candidos cum *Geſnero* reperimus. Piſcatores referunt pleroſque piſces ſtatim à captura contenta ventriculi evomere, maxime Lucios: in ventriculis piſcium præter rectas fibras, obſervavi

quoque

quoque circulares, quæ manifestius in coctis apparent. *Wepfer in Epistola sua ad Peyerum de Ruminatione* p. 271.

Lucius stagna, paludes, fluvios incolit, estque apud nos in Anglia ubique frequentissimus. *Amatus Lusitanus* Hispaniam universam Lucio carere prodidit. Marinus plane non est (inquit *Rondeletius*, aliique omnes autores consentiunt) nec nisi raro in ipsis etiam fluviorum ostiis reperitur, nisi aut undarum vi aut suo impetu illuc feratur, & tunc prorsus exuccus, insuavis & veluti tabidus est. *Locus.*

Aviditate deglutiendi pisces quos cepit ventriculum interdum evertit & ejicit; & aliquando parum seipso breviorem glutit piscem: & tunc capite introrsum verso, & aliquanta parte extra os dependente paulatim digerit, attrahitque partes piscis secundum longitudinem, donec totum digesserit. Hæc *Albertus*, quæ vera esse experientia comprobat. Narravit mihi vir fide dignissimus, inquit *Rondeletius*, vidisse se mulæ, quam iter faciens in Rhodanum potatum duxerat, labrum inferius à Lucio dentibus apprehensum; cujus demorsu cruciatam & territam inde fugisse, & crebra capitis quassatione Lucium in terram dejecisse, quem ille palpitantem & in aquam redire conantem cepit, domumque tulit. Certum est feles parvos & canes in vivaria Luciorum conjectos ab illis devorari. Cracoviensis quidam *Polonus* nuper nobis retulit, anseris pullos duos in ventre Lucii à se visos. Apud nos etiam *Fulica* in ventriculo *Lucii* reperta est. *Hæc omnia Gesnerus.* Quod nonnulli affirmant venenosis ut bufonibus eum vesci, falsum omnino existimamus: nam familiares quidam nostri experiundi causa ranam pede funiculo alligatam in vivarium quoddam Luciis refertum projecerunt: Lucii ranam statim deglutiverunt, nec dimittere voluerunt, antequam funiculi interventu vi illam ex eorum ventriculis extraherent: Bufonem vero similiter projectum primo impetu arreptum devorarunt quidem, verum illico revomuerunt. Lucius ne sui quidem generis piscibus parcit, cum cibus aliunde non suppetit. Percæ, ut aiunt, præsertim majores illæsæ circa Lucios degunt, non quod eis faveant, sed quia ob aculeos nocere non possunt. Ego tamen vidi & consideravi, quod cum Percam capit, primum in ore per transversum dentibus perforatum diu portat, & denique mortuum glutit. *Albertus.* *Voracitas, victus.*

Luciorum ova vivariis immissa facile provenire putant. Nam si vel Ardea Lucii ova devoravit, & de arbore in piscinam aliquam excreverit, Lucios inde provenire creditur. *Gesner.* Fæmina paritura, quo longius potest à loco suo, ubi morari consuevit ascendit, ne ova pateant prædæ aliorum Luciorum, quod non est dissimile veri, siquidem & aliorum piscium mares fæminas mox parituras insectantur, ut ova recens edita deglutiant. Quod refert *Encelius*, Lucios ut primum ex ovo editi sunt susceptos intra branchias certorum piscium (ut sunt murileguli *Develn* Germanis dicti, & *Ploceni, Gusteri, Ukelangi*, & qui à rubore oculorum nominantur *Rotaugen*) foveri, quamobrem etiam tales non comedunt, nec lædunt, ne nutrici malam referant gratiam; nec *Gesnero* nec nobis verisimile videtur: ut neque hoc, quod aliqui putant, Anguillas è Luciorum semine oriri: quod iis in locis ubi ova sua sparserint, sæpius Anguillæ minutæ reperiantur. *Generatio.*

Lucius Ausonii tempore nullo in pretio fuit, nunc inter lautos fluviatiles censetur. *Gillius. Carne* est alba, firma, sicca, & proculdubio salubri: Major & ætate provectior maximo apud nos in pretio est. *Lucii* grandes & obesi viginti etiam solidis nostræ monetæ veneunt, cum minores vix tres aut quatuor denarios valeant. *Carnis qualitas.*

Audivi (inquit *Gesnerus*) ab oculato teste, Ventrem Lucii apud Anglos ad duos aut amplius digitos rescindi solere ad ejus pinguedinem ostendendam: & si emptorem non inveniat, piscem vulnere consuto reddi vivario, in quo tincæ insunt, quarum glutinoso humore affricto vulnus

vulnus consolidatur. Idem confirmant *Rondeletius, Paulus Jovius*, & *Cardanus*. Ligneis autem cistis undique perforatis & diligenter obseratis *Lucios* includere, & ibidem escis immissis saginare solent nostrates. Hujusmodi cistas *Luciis* plenas *Cantabrigiæ* in fluvio catenis ripis adalligatas sæpius fluitantes vidimus.

Lucii sanguis siccatus & tritus cum vino albo colorem rubellum efficit. Maxilla *Lucii* usta & in pulverem redacta diarrhæam aliosque alvi fluxus sistit.

Anatomiam *Lucii* exhibuerunt *Amstelodamenses*; de pancreatico ductu hoc adferunt; quanquam in innumeris piscibus pancreas, ejusque ductus evidentissimus est, ægre tamen in *Lucio* ipsius canalis lustratur; licet septies hunc nodum novacula solvere aggressi sumus,necdum tamen ad libitum ex hoc labyrintho extricare nos potuimus;quare mirari liceat quod *D. de Graef* in pancreatis piscium conscribenda historia illos tantummodo pisces nominat, in quibus minutissima sunt visceris lineamenta, & vix agnoscendæ notæ canalium; adde quod de succo hujus visceris abundantissimo, nil minus quam acidum spiritum ne per nebulam quid dixerit. *Blasii Anatom. Animal.*

In utero piscis hujus generis, ejusque non maximi (ut cujus caro musculosa octo tantum libras cum dimidio pendebat) in *Rheno* flumine à se capti *Leonardus Baltnerus* piscator Argentinensis numeravit ovorum granula 148000, præter ducenta minimum inter numerandum omissa aut præterita: quo intelligitur mira & fere incredibilis piscium fæcunditas. *Martio* aut *Aprili* mensibus pariunt, quo tempore eorum captura (Argentinæ) interdicitur.

Ventriculus hujus piscis non solum atterit contenta sua, sed cito consumit fermento glanduloso; sæpe enim piscis à *Lucio* devorati cauda & trunci portio in faucibus & gula hærens illibata & integra invenitur, verum altera in ventriculo ad spinas usque consumpta.

Tareira do Rio, *i. e. fluviatilis* Marggravii.

Oblongo est corpore, dorso recto, ventre paulum protuberante. Inferior illius mandibula longior est superiore. Dentes habet acutissimos, & inter eos duos longiores in medio inferioris mandibulæ, & 4 tales in superiore. Mordet vehementer. Oculi satis magni, prominuli, pulchri, pupilla atra, cætera nigri. Caput *Lucii* capiti parum simile. Longus est piscis 15 aut 16 dig. Pinnas habet 6: unam oblongam post quamlibet branchiam,duas junctas oblongas in infimo ventre;unam post anum parallelogrammi figura; unam in medio dorso magnam, rectam, parallelogrammam, plus 3 dig. longam, 2 latam. Cauda parallelogramma pinna constat. Totus tegitur squamis satis magnis, fuscis in dorso & lateribus, verum in lateribus fuscum argenteo est variegatum, ita ut per fuscum argenteum videatur. Caput tegitur dura testa fusca. Venter totus albicat. Pinnæ omnes fuscæ, sed nigro undulatæ transversim, ut Nisi cauda: itidem & cauda. Capitur in fluviis. Edulis est, sed multas habet spinas.

CAP. XXII.

Sturio, Rondeletio *Acipenser*, Salviano *Silurus*. The Sturgeon.

F*Igura* corporis longa, pentagona, quinque scilicet *squamarum* ossearum ordinibus in quinque angulos tributa. Venter planus, sessilis. *Figura.*
Squamæ superioris ordinis, qui in medio dorso est, cæteris majores altius assurgunt. Harum numerus certus aut definitus non est; in aliis enim piscibus undecim, in aliis 12, in aliis 13 observavimus. Ordo hic usque ad *pinnam dorsi* (quam unicam hic piscis habet non longe à cauda) nec ulterius extenditur. Ordines laterales à capite incipientes ad ipsam usque caudam procurrunt, triginta aut 31 alteruter spinis compositi. Ordines inferiores, qui planum ventris lateraliter terminant, à priore pinnarum pari inchoati, ad secundum par desinunt; constantque singuli 11, 12 aut 13 squamis. Squamæ omnium ordinum in universum omnes spinam habent in fastigio brevem, validam, retrorsum incurvatam. Præter hos quinque ordines squamas duntaxat binas habet infra anum in medio ventre. *Caput* mediocre, punctis asperum, & corpus etiam nonnihil inter spinarum ordines. Linea ab ultima spina ad extremum caudæ continuatur. *Oculi* exigui admodum pro piscis mole, iridibus argenteis. *Rostrum* longum, latum, tenue, in acutum desinens. Nares juxta oculos, binis utraque foraminibus externis. Inferior rostri facies, quæ plana est, in medio longitudinis qua ultra os protenditur, quatuor habet *barbulas* dependentes, in linea recta ad rostrum transversa sitas. *Os* parvum, dentium expers, oculis fere ex adverso, quod veluti tubulus quidam aliquousque protrudi & iterum retrahi potest. Maxillæ nullæ: unde patet eum sugendo vesci. *Branchiæ* quatuor, duplici aristarum admodum exiguarum ordine donatæ, operculis suis non penitus conteguntur: in singulis autem operculis squama seu lamina unica. Primum *pinnarum* par, ut in plerisque piscibus, juxta branchias. Pinna utraque radium habet in anteriori parte validum, osseum. Secundum par juxta anum, quarta circiter totius longitudinis parte ab extrema cauda distans. Sequitur pinna spatio inter podicem & caudæ initium medio. *Cauda* qualis Galeorum, bifida quidem, sed adeo ut superius cornu una cum ipso corpore tenuato ultra inferius longe procurrat. *Color* piscis in supina parte sordide olivaceus, aut ex cæsio nigricans, in prona argenteus. Media insuper squamarum pars albet. *Ventriculus* primo recta descendit, deinde sursum reflectitur, & tandem arcum quendam efficiens, deorsum iterum descendit. Ad pylorum exoritur densa *appendicum* conglobatarum brevissimarum, minutissimarum massa. Hepar pallidum. *Vesicula fellea* manifestum habet in duodenum meatum. *Vesicula aerea* simplex & minime intercepta, membranosa, à dorso separabilis, manifestam habet in superiorem Ventriculi partem seu œsophagum tubulo interveniente aperturam, adeo ut pressa vesica ventriculus statim intumescat. Lien oblongus, sanguinei ruboris. Intestina semel reflectuntur. In cavitate abdominis in duobus quos dissecui piscibus vermes albos Asellorum figura inveni plurimos.

Squamæ Spinosæ, seu Clavi. *Unica in Dorso pinna.* *Caput.* *Oculi.* *Rostrum.* *Barbulæ.* *Os.* *Branchiæ.* *Pinnæ.* *Cauda.* *Color.* *Ventriculus.* *Appendices.* *Vesiculæ fellea & natatoria.*

Piscis quem descripsit *D. Willoughby* 13 digitos longus erat, inque eo dorsi pinna à summo rostro aberat dig. $8\frac{1}{2}$; nares $\frac{1}{2}$; oculi $1\frac{3}{8}$; os 2; primum pinnarum par $3\frac{1}{2}$; secundum par 8; orificium excrementorum $8\frac{3}{8}$; pinna retro anum 9. *Pinnarum situs.*

Alium

Galeus Rhodius *Rondeletii.* Alium præterea *Sturionem* obfervavimus feu fpecie feu fexu folum à defcripto diverfum, cui roftrum multo brevius, caput majus & planius; color minus niger & magis glaucus.

Locus. *Venetiis & Romæ* quotidie fere in foro venales vidimus, unde tam in Adriatico quam in Tyrrheno mari frequentes novimus: omnes tamen minufculi fuere. Nam *Sturio* marinus (ut obfervavit *Rondeletius*) cubiti fere *magnitudinem* non excedit. *Magnitudo.* In fluminibus ad cetacei pifcis magnitudinem excrefcit. Amicus quidam nofter *Antverpiæ* pedes longum 14 fibi vifum nobis retulit (inquit *Gefnerus.*) *Bellonius* 18 pedes longum *Francifco* regi aliquando oftenfum fcribit. Crefcit ad Juvenci magnitudinem, nam qui 180 libras exceffèrint vidit *Cardanus.* In Albi aliquando capiuntur tanti, ut libras 200 appendant. Referunt aliquando captum 60 fupra ducentas librarum pondere à *Joanne Frederico* principe Electore. *Ubi capitur.* Magnos amnes (inquit *Jovius*) perquam libenter fubit. Propterea in *Nilo, Tanai,* & *Danubio, Padoque* fluminibus maxime capitur. Vidimus circa *Geertruydibergam Hollandiæ Sturiones* prægrandes captos. *Bellonius* Ponto & circa Mæotidem paludem frequentiffimos fcribit: quibus ex locis eorum ova, quæ alioqui nigra funt, advecta, atque in molem ingentem coacta, falita, & cadis inclufa apud *Turcas, Græcos* & *Venetos* divenduntur. *Caviarium.* *Caviarium* appellant. Cujus condiendi modum è *Platina Gefnerus* refert. Ova *Sturionis*, exemptis quibufdam nervis, qui hæc intererant, lota ex aceto aut vino albo, in tabulam extendes ut exiccentur. Salita deinde in vafe aliquo, aut involuta fale manu non tudicula refrangantur: in faccum raræ texturæ, ut inde humor exeat, conjicies. Poftremo vero in feriam in fundo perforatam, ut fiquid humoris ineft, inde exeat, in ufum repones, bene premendo & operculando. Aiunt & *Lorei* inter *Ferrariam* & *Venetias Caviarium* fieri.

Conditura. In *Hollandia Sturiones* in frufta fecant, & in doliis quæ *Cags* vocant fingulis fingulos fale & muria ante conditos refervant. Caro hoc modo condita in fummo apud nos honore & pretio eft. Tomi majores *Sturionum* aprugnam referunt afpectu, ut recte *Kentmannus* apud *Gefnerum.* Modum condiendi apud eundem vide.

Pifcis eft anadromus. *Sturio* nunquam fere, vel certe rariffime, in præalto mari capitur. Maria eum gignunt, fed flumina maxime nobilitant. Pinguefcit enim dulcium aquarum hauftu; fubagreftemque illum faporem exuit, qui in præalto mari concipitur. *Jovius.* Dum efcam quærit, more fuis terram fub aquis roftro fodit: inde *Sturionis* forte nomen impofuere *Germani*, quibus *Storen* verbum cœnum aut vadum aquæ fodere & commovere fignificat. *Gefn.*

Capiendi modus. *Sturiones* conftat retibus capi, nunquam vero hamis, præfertim fi cubito majores fuerint: eofque referunt pifcatores magno impetu plagarum fæpe maculas dilatare & abrumpere confueviffe: propterea que accidere ut hamis non capiantur, quoniam *Sturiones* lambendo fugendoque potius quam vorando, inepto ad efcam corripiendam ore, fine controverfia alantur. *Jovius.* Unde nihil cibi craffioris in ventre ejus reperitur, fed humor vifcofus quem exuxerit. *Albertus.* *An Sturio veterum Acipenfer fit?* *Sturionem* veterum *Acipenferem* effe contendit *Rondeletius*, quocum confentit *Gefnerus.* *Salvianus Jovii* opinionem, illum fcilicet Silurum effe, acriter defendit, cujus fententiam *Gefnerus* reprobat. *Aldrovandus* utrumque conciliat, & *Sturionem* tum *Silurum* veterum effe (quod nomen Græcis præcipue ufitatum eft) tum *Acipenferem* ftatuit. Acipenferem nempe Romanis vocatum cum recens effet, inque *Italia* vicinifque locis captus: Silurum vero Græco nomine, cum ex peregrinis, maxime Græciæ vicinis locis, & per ipfam Græciam fale affervatus afferretur. Videfis prolixas his de nominibus difputationes apud *Salvianum, Rondeletium, Gefnerum, Aldrovandum.*

Aliorum opiniones varias *Aldrovandus* rejicit, ut v. g. *Poggii*, quod *Sturio*

rio veterum Lupus sit; *Philelphi*, quod Attilus; *Gazæ*, quod Tursio *Plinii*; *Hermolai Barbari*, quod Hycca; *Caroli Figuli*, quod *Delphinus*: Horum rationes seu argumenta quibus suas singuli opiniones confirmant & stabiliunt, earumque solutiones & refutationes vide apud *Aldrovandum, Gesnerum, Rondeletium*, &c.

Elopem ab *Acipensere* diversum piscem esse *Rondeletius* probat; proinde non recte inde concludi *Sturionem Acipenserem* non esse, quia *Elopis* notæ ei non conveniant.

Ex hujus piscis folliculo secundum longitudinem spinæ expanso Tanais incolæ collam conficiunt, quemadmodum ex *Herodoti Straboni*sve Antaceo, autore *Bellonio*.

Rondeletius spinam dorsi in *Sturione* unicam esse, & in nullas vertebras divisam asserit, unde colligit ὀνίσκον veterum *Sturionem* esse.

Acipenser, ut apud *Perottum* legitur, dictus videtur ab accipiendo, quod frequens mensis accipiatur. Quæ sententia refellitur eo, quod primam corripiat *Lucilius apud Cic. lib.* 2. de Fin. *Ovidius* in Halieuticis, & *Martialis* in Xeniis. Præterea rarus erat piscis, ut constat ex *Plinio* & *Macrobio*, imo & *Martiale*; qui propterea *munera rara* eum appellat. Ideo & à coronatis ministris cum tibicine inferri mensis solet, ut ex *Athenæo* & *Sammonico* scimus. Apud *Gesnerum* triplicem invenio, de vocabulo eo conjecturam. Nempe ut præposito à, fiat à κύων πίων; quomodo *Galeus Rhodius* vocabatur Syracusiis: eundem enim esse hunc ac *Acipenserem* putabat *Archestratus*, ut apud *Athenæum* legitur *lib.* 7. Vel ut prius fuerit *Aquirensis*, idque à Græco Ὀξύῤῥυγχος, ab acuta rostri figura. Vel à Latino *acutus* ob eandem causam. Quibus duplicem originationem addit *Martinius*: ut dicatur ita quia se in aqua pandat (nam *c* & *q* eadem est litera; vel quia est *acie* sive *acumine panso*, hoc est, quia lato est rostro & patente. Denique *Salmasius* censet *Acipenser* κατὰ μετάθεσιν dici pro *Acipesner*, ab *acuminæ pesnæ* hoc est *pennæ*. Nam Antiqui, *Festo* teste, *pesna* & *coesna* dixere pro *penna* & *coena*: uti & *dusmosus* pro *dumosus*, *Casmoenæ* pro *Camoenæ* & similia. Pennam vero dixere pro quavis re in acumen exeunte. Unde, ut idem ait, spicæ cum aristis in Saliari carmine dictæ agnæ pennatæ. Pennæ igitur de acumine rostri, ut inde sit *Acipenseri* nomen. Sane *Cæsar Scaliger* putabat *Acipenserem* eadem de causa Ὀξύῤῥυγχον. Et est quidem *Acipenser* inter pisces ὀξυῤῥύγχους, hoc est, acutum rostrum habentes; verum Veteribus piscis ab *Acipensere* diversus proprio nomine *Oxyrrhynchus* dicebatur, nimirum Nilo peculiaris, ut ex *Strabone* lib. 17, & *Athenæo* lib. 7. constat. Præterea *Acipenser* piscis est innoxius: at *Oxyrrhynchus* plane maleficus: unde de eo poeta οὐκ ἀδαλὲς γένος Ὀξυρύγχου. *Hæc omnia Vossius in Etymologico.*

Acipenseris Etymologia.

N. Schonfeldius Sturionem nisi utriusque aquæ dulcis & salsæ beneficiis vicissim libere fruatur, ægre incrementum sumere scribit; ut in junioribus ex mari in vivaria vel lacus translatis experientia docet.

CAP. XXIII.

Attilus Rondeletii, Bellonii, *de Aquatilibus p.* 126. Gesneri, Aldrovandi.

Attilus, Italis *Adello* & *Adano* seu *Adeno* hodie dictus, piscis est ingens, Pado fluvio peculiaris creditus; de quo *Plinius*: *Attilus in Pado inertia pinguescens, ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec nisi boum jugis extractus.* Is quem vidi (inquit *Gillius*) ad sexcentas libras accedebat.

Nomen. Locus. Magnitudo.

Cælius Calcagninus de Attilo, & quid a Sturione differat.

Calcagninus, qui eum vidit, in epiſtola ad *Rondeletium*, ab *Huſone* & *Sturione* diverſum eſſe ſe exiſtimare ait. Ut autem eum notiorem reddat, oſtendit in quibus à *Sturione* piſce paſſim noto & cognato differat. *Attilus*, inquit, hoc differt ab *Hycca* ſive *Sturione*, quod *Sturio* pelagius eſt, *Attilus* amnicus & Pado peculiaris. *Sturio* non temere viſus æquare quatuor talenta *Attica*, id eſt trecentas libras: *Plinius* ſcribit Attilum ad mille libras, id eſt, ſupra XIII talenta excreviſſe. Quæ magnitudo inſignis eſt & raro perſpicua. Attilus quum ad certam magnitudinem excrevit, ſquamas hiſpidas abjicit, quas per quinque verſus diſpoſitas gerit, in ſumma ſcilicet dorſi ſpina, ex utroque latere geminatas & ſibi quaſi parallelas: extremus verſus pinnas attingit. His abjectis tactu lævis evadit, nec habet quod unguem offendat. Contra *Sturio* ſempor hiſpidas ſquamas tota ætate retinet. Caro *Sturionis* callum habet, & mirifice palatum oblectat: Attili contra fluxa eſt, & mollis, & palato parum jucunda. Exiſtimant piſcatores προτομὴν i e. partem priorem Attili ad poſteriorem vix eam habere proportionem quam quatuor ad unum. Tota enim vis hujus piſcis ſita eſt in capite & parte capiti attigua Quæ obſervatio etſi ad *Sturionem* etiam alioſque piſces pertineat, autore *Ariſtotele* ac *Plinio*: cujus verba ſunt videlicet; *Capita piſcibus portione corporum maxima, fortaſſis ut mergantur*; tamen in Attilo, neſcio quomodo, præter cæteros luculenta eſt atque mirabilis. Parvi ſunt oculi Attilo in tanta mole corporis. Sturio & Attilus habent os in parte prona, eo prope in loco cui in cæteris perfectioribus animantibus reſpondent omoplatæ. Os utrique ſine dentibus, ſed *Sturioni* fere orbiculatum; Attilo multo majus, & ad lineam obliquam inciſum; quo aperto, vaſto illo hiatu piſces devorat, quos reſpirando κατὰ διαστολὴν (ita piſcatores putant) contraxit. Loca piſculenta maxime frequentat, hyberno præcipue tempore vorticoſos voragines, ad quas piſces frigoris impatientes teporis gratia ſe recipiunt. *Roſtrum Sturionis* reſimum ac latiuſculum, ad imaginem fere *Delphini* & *Oxyrhynchi*: Attili planum & paulo minus quam in mucronem deſinens. Attilo tergi color albicans & lanoſus, *Sturioni* vergit in glaucum. Quod *Plinius* tradit de *Clupea* minimo piſcium, ſi Attilo comparetur, quæ quandam in ejus faucibus venam mira cupiditate appetit, eumque ita morſu exanimat: hoc ſibi ingenue incompertum noſtra ætate piſcatores teſtantur. Cæterum quod inertia pingueſcat, quod catenato capiatur hamo, quod niſi jugis boum extrahatur; hæc & certa ſunt, & Padi accolis dant quotidiana ſpectacula. *Hactenus Calcagninus*: quibus addit *Rondeletius*, Os clauſum ad obliquam lineam inciſum eſſe, ſed apertum & hians rotundum. Ante illud pendent è roſtro appendices carnoſæ, & molles. *Branchias* opertas habet, ad quas pinnæ ſitæ ſunt. Clypeata oſſa tergo gerit Sturionis ritu, ſed ea tempore abjicit; quod in cauſa eſt, cur alii ſine oſſibus, alii cum oſſibus depingant, poſt quæ pinna dorſi eſt unica, cui parte ſupina ſubjacent duæ, quales omnino ſunt Sturioni. *Bellonius* Sturionem ab ano duas pinnas habere ſcribit, hunc unam: verum nec Sturio plures una habet.

Capiendi modus.

Capitur interdum ſagena cucurbitulis fulta & tranſverſum in amnem conjecta; præcedentibus utrinque ſandaliis, in quibus piſcatores Attilos ſecundum rapidi fluminis curſum in ſagenam compellant. *Bellon.* & *Rondelet.*

Qui poſt *Rondeletium* & *Bellonium* de piſcibus ſcripſerunt, nihil novi adferunt, verum quæ habent omnia ex illorum commentariis tranſcribunt: quod mirum, cum *Aldrovandus* propter Padum fere ſe natum fuiſſe ſcribit, totamque ætatem *Bononiæ* degerit.

Nos, cum piſcis hic nunquam nobis viſus fuerit, nihil de eo certi habemus, ſuſpicamur tamen ab *Huſone Germanorum* non differre.

CAP.

CAP. XXIV.

Huso Germanorum Gesn. *de Aquatil. p.* 59. *de Piscibus lib.* 4. *cap.* 11. Aldrov. *docti plerique Antacæum interpretantur.*

Rostrum habet longissimum, sub rostro 4 vel 8 barbulas: pinnam in dorso unicam, non procul à cauda; in ventre duo pinnarum paria. Figura *Lucio* non multum dissimilis est. Venter ei flavus ut in *Cyprino*, dorsum nigrum. Squamis caret: vice ossium cartilagines habet. Hactenus *D. Willoughby*, ex relatu (ut puto) ichthyopolarum *Viennæ Austriæ*. Piscem squamosum non esse qui de eo scripserunt omnes consentiunt. *Albertus* speciem Sturionis esse ait, sed pellis albæ & lenis absque omni squama & spina: nullum omnino os habere nisi in capite: loco spinæ dorsi cartilaginem esse, quæ foramen habet magnum & vacuum à capite ad caudam, tanquam terebello perforatum. Mitissimus est ac timidus (inquit Autor de natura rerum citante *Gesnero.*) Huic Sturio per lusum se affricare gaudet: *Albertus* Sturionem subeuntem ventrem ejus spinis suis lancinare scribit. *Caro* dulcis & palato grata, cruda alba, cocta rubra est. *D. Willoughby.* Carni recenter coctæ eximia suavitas: & negant horum lactibus quicquam in cibo aut dulcius, aut delicatius reperiri. *Vadianus.* Caro ejus in dorso saporem vitulinæ refert; in ventre vero porcinæ. Et habet adipem intermixtum pinguedini, sicut porcus. *Albertus.* Caro salita Quadragesimæ tempore *Viennæ* frequens est, & magno pretio à nobilibus emitur, [libra una ternis aut quaternis aut etiam quinis obolis, h. e. cruciatis nummis fere quatuor, alias quinis aut senis *Gesn.*] *Descriptio.* *Carnis qualitas.*

Piscis est *Danubii*, nec reperitur (inquit *Albertus*) in aliis aquis quam *Danubio* & influentibus in eum. *Nos & in Borysthene & in Pado reperiri putamus, Borysthenitem quippe Antacæum & Padanum Attilum non alios esse quam Husones suspicamur.* E Ponto autem *Danubium* subit, & in *Pannonia* inferiore capitur. *Vadianus.* Per spatium 10 milliarium infra *Viennam* & *Posonium*, (*Presburgum* vulgo vocant) capitur, non omni tempore sed quando migrat. Ad insulam *Schutam* nomine cum arce munitissima, ultimus hujus piscis capturæ locus est. Copiosissima autem captura fit in *Walachia* juxta *Chiliam*, non procul ab ostiis *Danubii*, quibus in mare Ponticum se exonerat: inde in alias regiones salsi pisces exportantur. *Joan. Dernschwam* in epist. ad *Gesnerum.* *Locus.*

Mensibus maxime *Novembri* & *Octobri* capiuntur. *Vadian.* Ab Autumno usque ad *Januarium* fere capiuntur: & *Viennæ* die Veneris plerunque veneunt 50 vel 60, aliquando 100, qui integri fere distrahuntur. *Dernschwam.* *Tempus capiendi.*

Gregatim natant, & cantum sequuntur tubarum, ad quem etiam ex adversa ripa accedunt, & sic irretiuntur (ut audio) extrahunturque uncis. In aqua robore valent, & piscatorem si cauda percusserint navi ejiciunt: ut primum vero caput eis extra aquam fuerit, invalidi & tanquam mortui redduntur. *Gesner.* *Capiendi ratio.*

Quod ad *magnitudinem* attinet, ipsi (inquit *Vadianus*) vidimus plerosque pondo 400, minimos 50, frequentem numerum circiter pondo 100, 200, 300. *Albertus* magnitudinem *Husoni* tribuit tantam, ut vix biga trahi possit ab equis tribus aut quatuor; longitudinem perfectis 24 pedum. *Magnitudo.*

Ex hujus vesica fit *ichthyocolla*, inde dicta *Hausen* & *Husen Blatter* & *Hausen Plosen.* D. *Willughby.* *Ichthyocolla.*

Bellonius piscem hunc *Hausen* dictum ait ab ingenti, & quasi cujusdam parvulæ *Husonis Etym.*

parvulæ domus magnitudine. Cæterum Marionem *Plinii* esse docti plerique judicant, cum & nunc *Morona* vulgo in *Italia* dicatur. *Ichthyocollam* suum *Rondeletius* & *Bellonius Hausen* dictum *Germanis* scribunt: Verum neque descriptiones eorum, neque icones *Husoni* conveniunt.

CAP. XXV.

Ichthyocolla Rondeletii & Bellonii.

ICHTHYOCOLLAM piscem *Rondeletius* sic describit. Cetaceus est piscis, cartilagineus, sine ossibus ullis aut spinis, sine squamis. Capite est crasso & lato; ore magno & in promptu posito. E superiore maxilla quatuor apophyses carnosæ dependent. Oculos parvos habet pro corporis magnitudine. Carne est prædulci & glutinosa admodum, ob id saliturae idonea, qua melior redditur, & rubescens Salmonis modo, atque etiam durior: quam ob causam aliquandiu maceranda priusquam coquatur. Eam *Tanais* & *Ponti* accolæ *Romam* & *Venetias* transmittunt, illicque in foro piscatorio venditur.

Bellonius alias insuper notas addit à *Rondeletio* omissas. Viz. quod oblongam ac prope teretem formam referat; hoc à Sturione atque Attilo præcipue diffidens; quod rostro careat, magnum oris rictum præ se ferat, sitque sublutea, dura, lævi ac glabra cute convestita carne: bina ante oculorum canthum parva atque aperta foramina habeat: Pinnas in tergore duas ad caudam erectas, sub qua tertiam videas podici vicinam: branchias veluti spineo tegmine communitas, Sturionis modo: magis tamen bifurcam habet caudam: præcipuaque à cæteris piscibus nota discernitur, quod paulo supra spineum operimentum branchiarum quodam ad ejus latera impresso foramine pervius sit.

Mirum est collam ex solo hujus piscis folliculo à capite ad caudam extenso per spinæ longitudinem in Ponto fieri.

Piscis hic ab *Husone Germanorum* omnino diversus est, quantumvis tum *Rondeletius* tum *Bellonius* eundem faciant: ut cuilibet utriusque descriptiones & icones conferenti statim patebit

Hinc patet Ichthyocollam ex diversis piscibus fieri, nimirum ex *Husone*, & pisce hic descripto sub ichthyocollæ titulo, & fortasse etiam aliis nonnullis.

Ichthyocolla valet ad conglutinandas omnis generis chartas atque instrumenta musica, reliquaque lignaria incrustamenta, quæ tessellato, imbricato & vermiculato opere fiunt.

LIBER QUARTUS

SECTIO IV.

MEMBRUM IV.

PISCES

Non aculeati, quibus unica in dorſo pinna, fluviatiles, & edentuli.

Fluviatilium nomine aquarum dulcium incolas intelligimus, tam lacuſtres quam fluviatiles. His maxillæ edentulæ ſunt, dentes autem in gutture ſeu imo ore prope ventriculi orificium. Hinc noſtratibus Leather Mouthed fiſhes, *id eſt, malacoſtomi piſces dicti ſunt. Veſica natatoria his omnibus bipartita.*

CAP. I.

Cyprinus Rondeletii, Geſneri & *aliorum.* A Carp.

PIſcem hunc, cum accuratius non poſſumus, *Rondeletii* verbis deſcribemus, non pauca tamen ex propria obſervatione intermiſcentes.

In lacubus & fluviis quibuſdam ad inſignem magnitudinem accreſcit: vidimus enim qui trium cubitorum magnitudinem attigerit. *Magnitudo.* Nec ſolum longo, ſed ſpiſſo eſt corpore, [*& plerunque pingui, dorſo a capite aſſurgente, acuto nonnihil & cultellato.*] *Figura.* *Squamis* tegitur maximis & latiſſimis, à quibus λεπιδωτὸν appellatum fuiſſe puto à *Dorione.* *Squamæ.* Vix enim alium reperias, qui validiores vel latiores habeat ſquamas. [*Squamæ hæ ſtriatæ ſunt, ſtriis deorſum deſcendentibus.*] *Colore* eſt flaveſcente, maxime cum ſenuit. *Color.* Junior colore eſt magis ad fuſcum inclinante. *Capite* eſt brevi pro corporis ratione, Tincis hac parte ſimilis. *Caput.* *Ore* eſt medio, labris adipoſis, carnoſis, flaveſcentibus. *Os.* Ex ſuperioris labri lateribus juxta angulum ſciſſuræ oris extat appendix utrinque una, mollis, flaveſcens in acutum deficiens, μύστακας poſſis appellare. Supra has aliæ breviores ſunt, & ideo minus evidentes, nigricantes. *Barbulæ.* *Dentibus caret Cyprinus*, ſed horum vice os palato infixum planum habet, læve, triangulare: ex adverſo in parte inferiore *oſſa* duo inciſa, in gulam recurva. *Dentibus caret.* [*Oſſa* hæc *Geſnerus* ita deſcribit. Sunt autem in maxillæ recurvæ medio dentes quini fere accumulati, chœradum inſtar, ſitu & magnitudine inæquales, tres majuſculi, duo exigui, præduri, cavi ſuperficie ſumma lata ſive plana, obtuſa, ſed lineis quibuſdam exaſperata; *Oſſa in gula.*

unus tamen & candidior cæteris, & superficie lævi est in mucronem breviſſimum faſtigiata.] *Oculis* eſt mediis, ante quos ſunt foramina. *Pinnis* natat latis: duæ ſitæ ſunt ad branchias magnæ; in medio ventre duæ: inter quas & caudam alia eſt unica, cujus primus radius magnus eſt hamulis ſeu uncinulis ſerratus. Inter hanc & præcedentes eſt excrementi meatus. Ex medio dorſo unica erigitur ad caudam fere continua, robuſto pariter & hamulis deorſum ſpectantibus uncinato aculeo [ſeu potius radio, nam in acumen molle & flexile deſinit,] fulta. *Cauda* lata eſt, nonihil forcipata, ex nigro rubeſcens, ut & poſtrema pinna. *Linea* fere recta utrumque latus medium percurrit.

Oculi. *Pinnæ.* *Cauda.* *Lineæ laterales.*

Lingua caret, ſed ejus loco *palatum* carnoſum dedit natura, ſaporum percipiendorum gratia, quod evulſum linguæ formam adeo refert, ut non ſolum vulgus, ſed etiam viri docti linguam vocent, & linguam veram eſſe præfracte defendant &c. Vide.

Palatum.

Ovis diſtentum ventrem ſemper reperias, quia quinquies aut ſexies anno parit, authore *Ariſtotele*: ſed ex ovis incrementum tardum eſt, ovaque edita à Mare (hoc *Geſnerus* experientia piſcatorum obſervatum affirmat,) ſervantur, cum congeſta repererit, reliqua pereunt. *Cyprinus* enim *Ballerus* & ſimiles vadis ſe intrudunt, quum parturiunt, & ſæpenumero ſingulas fæminas mares 13 vel 14 perſequuntur. Fæmina ova progrediendo emittit; mares ſectantes ſemen ſuum ovis aſpergunt, verum plurima pereunt: cum fæmina non ſtabilis ſed mutans continue pariat, diſſipari ova neceſſe eſt, videlicet ea, quæ non in materiam inciderint aliquam, ſed excepta ab unda ferantur. Illud vero notandum, non ſolum maris ac fæminæ commiſtione *Cyprinos* naſci, ſed etiam ſponte, & ſine ullo maris & fæminæ ſemine: id quod experientia mihi confirmavit. Vidi enim in aquis in cava loca & montibus ſepta receptis & collectis ſponte generatos *Cyprinos*, in quæ loca nec rivus, nec ſtagnum, nec palus, nec lacus, nec fluvius ullus, nulla denique aqua præter cæleſtem influxiſſet. *Ego ortum hujuſmodi ſpontaneum non facile admiſerim.*

Generatio, ova. *Cyprinos etiam ſponte naſci.*

Univerſe quidem *carne* ſunt molliore, humida parum glutinoſa, ſatis inſipida, ſed pro locorum in quibus proveniunt & nutriuntur differentia, magis minuſve ſalubres vel inſalubres ſunt. Qui in fluviis magnis urbibus vicinis, earumque ſordes excipientibus degunt, mali ſunt ſucci, à quibuſdam tamen cupediarum amatoribus valde probantur quod pingues ſunt & prægrandes. Magis probandi qui in rapidis & puris aquis naſcuntur & vivunt. Quæ in paluſtribus & ſtagnantibus aquis lutum olent. Carpæ caput ganeones inprimis expetunt, linguæ maxime gratia, h. e. palati, nam linguam proprie dictam non habet.

Sapor & ſalubritas carnis.

Lapis Palati ægris in gravi febris æſtu allevamentum aliquod afferre traditur, quod ſitim ſedet & refrigeret. Eodem ſanguinis è naribus fluxiones cohiberi ſi ore contineatur, ſunt qui affirment. *Bellonius Cyprinum* quandoque ſopiri affirmat. Idem ex *Cyprinorum* ovis Caviarium rubrum fieri ſolere. Judeis dicatum ſcribit. Hi enim *Sturiones* & alios ſine ſquamis piſces non guſtant.

Lapidis palati vires.

In *Palatina* regione *Germaniæ*, in loco cui nomen à *Michaele* & campo vel agro (*Michels-field*) in foſſa circa arcem carpam eſſe quæ centeſimum vitæ annum attigerit, ex homine fide digno cognovi. *Geſn.*

Ætas,

Cyprino nomen à *Cypride* i. e. Venere factum videtur, tanquam fæcundiſſimo piſci. *Geſn.*

Etymon.

Leonardus Maſcall ſe primum *Cyprinos* in *Angliam* intuliſſe lib. de Piſcatione ſcribit, centum circiter abhinc annis; quamvis nunc ubique in fluviis & piſcinis apud nos frequentiſſimi ſunt. Diutiſſime extra aquam vivunt.

Locus.

Anatomia

Anatomia hujus piscis extat in diffection. *Amstelod.* & in *Blasii Anat. Animal.* omnia inteftina (quæ sursum deorsumque ut in Anatibus, non in gyros ut alias distribuuntur) per Hepatis substantiam ipsis intertextam conjunguntur, ut una quasi massa ex ipsis constitui videatur. Continentur vesicula fellis & Lien in eadem compage, ut & ventriculus, inteftini instar oblongus, in cujus principio ductus cysticus inseritur, inde tota superficies interior bile tingitur. Duæ sunt vesiculæ, distinctæ apparentes, inter se tamen communionem habent, quod patet flatibus, & Stylo, duplici gaudent membrana, tenuiori, & crassiori, hæc exterior, illa interior; harum ope dorso annectuntur vesiculæ; ab utraque parte harum vesicularum hærent lactes. Ureteres manifesti ab utraque parte renum, stylum, flatus, & humores admittunt, & ad vesicam deducunt. Dentes in faucibus non in anteriore oris parte hærent, id quod lingua vulgo dicitur, proprie non est lingua, nam in superiori palato hæret, ita ut cibus sub eo transeat, sed est glandulosa quædam substantia alba, mollis, humida, quæ puncta aut alio modo læsa miro modo commovetur. Cor in superiori loco positum, auricula ampla membranosa carne quasi glandulosa mixta, magnitudine cor excedit, quod soliditate sua se satis prodit. Diffection. *Amstelod.* habitis. Optimi in cibis habentur splendidi, quique minimum lactis aut ovorum pariunt, quos *Fucos* vocant. *Maio* & *Augusto* mensibus pariunt, quo tempore esui minus idonei sunt, utpote macilenti & insipidi, quod & aliis fere omnibus piscibus commune est; maximi 20 circiter libras pendent. *Aprili* sunt præcipuæ æstimationis.

CAP. II.

Cyprinus *clavatus sive Pigus* Rondeletii Gesn. 374.

M*Ediolanensibus Pigus* vacatur piscis hic, *Græcis* veteribus, ut arbitror, incognitus. Ex *Cyprinorum* est genere, qui in *Lario* & *Verbano* lacu tantum reperitur, ut asserunt *Mediolanenses*: *Cyprino* ita similis, ut demptis aculeis *Cyprinum* esse affirmes. Est enim eodem corporis habitu. Pinnas totidem eodem in loco sitas, os, oculos, palatum, eodem modo carnosum, interna omnia similia habet. A branchiis linea curva ducta est, punctis notata. Colore est glauco, ventre rubescente. Squamis magnis tegitur, è quarum medio oriuntur aculei acuti, veluti crystallini. Vita, moribus, sapore, succo *Cyprino* superiori similis est, nisi quod paulo melior est.

Hujus piscis meminit, verum sine nomine *Plinius* lib. 9. cap. 18. his verbis. *Duo lacus* Italiæ *in radicibus* Alpium Larius & Verbanus *appellantur, in quibus pisces omnibus annis* Vergiliarum *ortu existunt, squamis conspicui crebris atque præacutis, clavorum caligarium effigie, nec amplius quam circa eum mensem visuntur.* Quæ omnia huic nostro pisci conveniunt.

Pigum appellatum conjicio hunc piscem, quod clavis sive aculeis suis pungat, quasi picum; nam & avi pico rostro pungenti inde nomen factum esse arbitror. *Gesnerus.*

Qui *Larium* lacum accolunt *Aprili* & *Maio* mensibus piscem hunc florere dicunt, nempe cum clavos emittit duros, prominentes pyramidis aut clavi caligaris instar, ita ut dimidium lati digiti è corpore extent, eosque turbinatos nullo ordine. Clavos ergo illos certo tantum anni tempore emittit, quod & *Cyprini* lati nonnulli cum generant, & alii forte plerique pisces faciunt.

CAP. III.

Cyprinus *latus sive* Brama Gesn. *p.* 376. Rondel. *lib. de piscibus lacustribus*, *cap.* 6. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 42. A Bream.

PIscis est latus & tenuis, figura rhomboide, capite parvo, rostro acuto, vertice latiore & planiore, dorso repando, cultellato, à capite sensim assurgente porcini in modum. Lineæ latera dividentes à branchiis statim deorsum in arcum flectuntur, contra ac in aliis plerunque piscibus, imo ventri quam summo dorso propiores. Dorsum ex cæruleo nigricat; latera & venter albent, præsertim in junioribus & macilentis; adultioribus enim & obesis latera aureo colore micant, ventre rubescente. Squamæ grandiores sunt deorsum striatæ. Os pro piscis mole perexiguum, dentium expers. Imo palato officulum triangulare innascitur. Palatum molle & carnosum ut in *Cyprinis*: Nares duplices: oculorum irides argenteæ, pupillæ parvæ. Pinna in dorso unica, paulo ultra mediam longitudinem sita, radiis 11, quorum secundus altissimus, reliqui ordine breviores ad extremum usque. Orificium excrementorum lineam à summo rostro secundum ventrem ad extremam caudam ductam fere mediam dividit: cui succedit in ima corporis carina pinna perampla, ad caudam proxime producta, radiis 27, quorum secundus altissimus, reliqui ordine, consequentes antecedentibus, breviores. Pinnæ ad branchias radiis 19 communitæ, secundo longissimo; ventrales 9. Ab his pinnis venter in acutam carinam angustatur.

Hepar habet longum inter ventriculum & intestinum, in ipsa flexura eodem modo dispositum quo *Pancreas* in avibus. Cystis fellea in hepatis parenchymate pene latitat. Lien ei angulosus; Appendices nullæ; intestina semel reflexa. Vesica pneumatica transversim in duos lobos divisa.

Carne sunt molli, nec multum laudata. Cupediarum periti (inquit *Gesnerus*) ut *Lucii* caudam, *Cyprini* caput, sic *Bramæ* partem mediam expetunt.

Hujusmodi pisces (verba sunt *Rondeletii*) in lacubus maximi nascuntur. Vidi in *Arverniæ* lacu quodam *Bramas* quæ binum cubitorum longitudinem, pedum totidem latitudinem æquarent.

Stagnantibus aquis delectantur, illicque muco, herbis, luto vescuntur. In fluviis, stagnis & piscinis apud nos frequentissimi. *Brama* (inquit *Rondeletius*) eos tantum fluvios & lacus sectatur, qui stagnorum naturam tranquillitatemque imitantur: qui præcipiti ac rapido cursu torrentium modo ruunt *bramam* non alunt; in placidis alioqui leniterque fluentibus aquis frequentem.

Maio pariunt; Mares partus tempore maculis albis circa caput notantur. Quatuor vel quinque librarum pondus raro excedunt. *Martio* & *Aprili* mensibus præcipuæ æstimationis sunt. E Manus. *L. Baltneri.*

Brama Bellonio Abramis Veterum videtur, sola nimirum nominis affinitate inducto. Atqui *Oppianus* (inquit *Rondeletius*) & *Athenæus*, qui *Abramidis* meminerunt *Thrissis* semper conjunxerunt, ut suspicari necesse sit, *Abramides Thrissis* similis esse, vel ejusdem generis; atque marinas, quæ statis temporibus fluvios subeant, quæ de *Brama* dici non possunt.

est

Eſt apud nos lacus piſcoſus (inquit *Geſnerus*) nomine *Gryphius*; in quo piſcium quos *Bramas* (vulgo *Brachſmen*) vocitant genus peculiare reperitur (nam in noſtro lacu nulli ſunt) quod *Steinbrachſmen* (ut in *Acronio* etiam *Lindaviæ*, alibi *Thornbrachsmen*) appellant: lautius ac delicatius cæteris, & ſub tempus quo generationi vacant aculeatum, ut fertur, & albius evadit: mares duntaxat. Et in *Corollario* ad *Bramam*, *Praſinum* piſcem inquit vidi, qui aculeos ſeu clavos quoſdam parvos & paucos in capite habebat, & alios complures in ſquamis verſus caudam, ſingulos aut binos in ſingulis ſquamis. *Clavi hi apud nos peculiare genus* Cyprinorum *latorum conſtituere non creduntur*: *Verum cum* Cyprinos *clavatos nondum obſervaverimus nihil temere affirmamus.*

C A P. IV.

Rootaug *id eſt*, Erythrophthalmus Germanis *dictus*, Bramis *affinis.* Red-eye.

FIgura corporis *Bramam* refert, niſi quod craſſior ſit. Dorſum ei repandum & incurvum. Pinnæ omnes rubeſcunt, totumque corpus pulcherrima rubri tinctura diluitur, maxime oculorum irides. Sub lingua macula crocea cernitur. Squamæ quam Rutilo majores. Deſquamati cutis vireſcit. Nares duplices ſunt. Branchiarum globuli valde exigui. Palatum ut in *Cyprinis*, inque imo palato oſſiculum triangulare. *Cyſtis* fellea magna, veſica natatoria bipartita: Inteſtina pinguedine obvoluta, bis terve reflexa.

Cæterum in piſce $11\frac{1}{2}$ digitos longo à ſummo roſtro ad initium pinnæ quam in dorſo unicam habebat, ſpatium erat digitorum $4\frac{3}{4}$: inter idem roſtri initium & pinnas poſtbranchiales digiti $2\frac{1}{4}$ intererant; pinnas ventrales $5\frac{1}{4}$; pinnam ano ſubjunctam 7. Dorſali autem pinnæ radii 14 inerant; branchialibus ſingulis 15; ventralibus 9; ano ſubnexæ 13 aut 14.

Ab *Orfo* diſtinguitur 1. pluribus in pinna dorſali radiis. 2. macula crocea ſub lingua. 3. volutis inteſtinorum.

A *Rutilo* differt figura corporis ad *Bramam* magis accedente, & ſitu anteriore pinnæ dorſalis. Perſimilis eſt *Cephalo* fluviatili minori, verum colore eſt pulchriore, oculis rubicundioribus. Maximi pedali ſunt longitudine, ſed minus craſſi præcedenti ſpecie *Cephali*. *Maio* pariunt ad radices arborum. è Manuſ. *L. Baltneri.*

C A P. V.

§. I. *Caraſſius ſimpliciter dictus*, *ſeu Caraſſii tertium genus* Geſn. Paralip. *p.* 1275. Aldrov. 644. Cyprinus *latus alius* Gorais Ratisbonæ. *An Blicca ſeu Alburnus lacuſtris* Geſn. *De Aquatil. p.* 27. Ballerus Rondel. Cyprinus *brevis* Schonveld?

QUem deſcripſimus dodrantalis erat; corpore compreſſo; dorſo acuto, aſſurgente; *Bramæ* ſimili ſed paulo craſſiore; colore ex aureo flaveſcente, lineis per omnes ſquamarum ordines ductis; ventre

 luteo.

luteo. Os rotundum, parvum. Oculi parvi, depressi, profundius intra orbitarum cava reducti seu subsidentes, quam in aliis piscibus.

Pinna dorsi radiis 18 constat, ea quæ ab ano est octo, postbranchiales 15, ventrales 9. Radius primus pinnæ dorsi, itemque pinnæ ani hamulis utrinque asper est, ut in *Cyprino*. Cauda parum admodum forcipata.

Intestina 15 digitos longa erant, tenuia: Vesica aerea in duos lobos divisa. Cystis fellea magna, bile cærulea repleta.

A *Brama* differt 1. figura, quæ brevior esse videtur: 2. colore: 3. Radiis pinnarum hamatis. A *Cyprino* figura multo latiore & compressiore.

Diu extra aquas vivit.

Ballerus Rondel. *Ballerus Rondeletii* huic idem esse videtur, cujus notæ, præter generales toti huic generi communes, hæ sunt. A *Bramis* magnitudine corporis & squamarum, & pinnarum ac caudæ colore differre; 2. quod ore sit parvo, sine lingua, sed palato carnoso: 3. quod posteriores pinnæ cum cauda rubro colore perfusæ sunt: 4. quod linea à branchiis ad caudam curva producta est. *Non alia in re a* Carassio *nostro differre videtur quam rubro pinnarum posteriorum & caudæ colore: Maio* parit, & est species minor *Bramæ* secundum *Baltnerum*. Blicca quoque *Germanorum* seu *Alburnus* lacustris huic vel idem est, vel affinis, quamvis *Gesnerus* eos distinguat, quem consule. Crescunt, inquit, aliquando in lacubus nostris hi pisces ad mediocris fere *Carpæ* sive *Cyprini* magnitudinem, ita ut singuli 4 aut 5 obolis argenteis (qui drachmæ sextantes sunt) veneant. Præferuntur *Aprili*.

Blicca Germanorum Gesn An Mekel Baltneri?

Plestya Bellonii. Quinetiam *Plestya Bellonii Carassio* nostro aut idem est aut proximus piscis; est enim latus atque ea forma tornatus qua *Brama*. Multis spinulis abundat: Frequentes squamas habet, rotundas, ac tenues. Tergus ejus nigricat, venter candicat. Os non aperit ita grande, quod etiam omnibus dentium rudimentis caret. Partem eam quæ ab ani pinnula ad caudam fertur prominentem habet. Carne constat dura, stupacea, palato ingrata.

§. II. *Carassii primum genus* Gesnero *p.* 1275.

Hujus generis pisces parvi sunt, tenues, lati, colore subaureo, cui circa dorsum fuscus admiscetur. Dupla ejus ad latitudinem longitudo: Caput parvum: pinna dorsi & cauda fusci coloris sunt: reliquæ vero quinque pinnæ è fusco puniceæ. Squamæ ut in *Cyprino*. Genus hoc *Miseni* parvum cognominant, vel à colore *Giblichen*. Vivaces sunt admodum. E piscinis & stagnantibus aquis in *Albim* veniunt; in eoque augentur & pariunt. Raro 8 digitos longitudine excedunt. Magis amant piscinas quam fluentes & lapidosas aquas, propter vadum herbosum & argillosum. Itaque rarius in *Albi* reperiuntur. In piscinis quidem eos multiplicari non patiuntur domini: impediunt enim incrementa & saginationes *Cyprinorum*, quos à pabulo depellunt.

§. III. *Carassii secundum genus* Gesn.

Hi aliquanto longiores & crassiores sunt: squamas similiter ut prædicti, vel ut *Cyprini*, à gilvo seu flavo nigricantes habent. Vocantur autem *Halbkarass*, i. e. dimidii *Carassii*, ab aliis *Karpkarass*, quoniam è *Caraso* & *Carpa* velut compositi videntur. Hi quoque, ut primi generis *Carasi*, è piscinis aut stagnantibus aquis *Albim* ingressi pariunt

unt in eo & crescunt. Utrisque caro est subflava & in cibo viscosa, quomodocunque parata. Quo diutius vero in *Albi* immorantur, eo sapidiores sunt, solidiorisque carnis evadunt.

Hæ duæ posteriores Carassii *species nobis incognitæ sunt: earum descriptiones ad* Gesnerum *misit* Jo. Kentmannus, *quas integras vide sis in* Paralipom. *ad Historiam Piscium & Aquatilium* Gesneri *p.* 1275.

CAP. VI.

Tinca omnium fere Autorum. A Tench.

Tinca veteribus ante *Ausonium* indicta videtur: non esse Ψύλωνα *Aristotelis*, quem *Gaza Fullonem*, nescio qua ratione, vertit, manifestum est, cum is marinus piscis fuerit: at neque *Dorionis* γναφέα seu *Fullonem*, (ut *Bellonius* credidit; quoniam ejus decocto macula omnis sordesve eluitur, quod de *Fullone* prodidit *Dorion* apud *Athenæum*) quoniam is ibi marinos duntaxat pisces numerare videtur. *Tinca* autem *Gesnero* dicta videtur quasi tincta, colore enim ab aliis piscibus multum differt ex viridi nigricante. *Nomen.* *Etymon.*

Tincæ 5 aut 6 librarum crebro & ubique fere reperiuntur: alicubi vero ad 20 etiam libras nonnunquam excrescunt. *Salv. Tinca* piscis est brevis, crassus, rotundiusculus, longitudine ad latitudinem triplici, rostro brevi ac retuso, ore fere rotundo & ad ventrem inclinante, cauda lata, minime forcipata: colore ex viridi flavicante, qui tamen subinde variat. Dorsum nigricat. Latera aureo viridi admixto splendent: Tempora pulchre flavent. Dorsi & ventris pinnæ atque etiam cauda subnigra sunt. Squamis parvis, tenuibus [valde connexis *Salvian.*] muco viscido, qui piscem lubricum reddit, obductis, tegitur, *Cutis* sub squamis crassa est [quam detractam per se tanquam magnas delicias à divitibus quibusdam in *Italia* appeti audio. *Gesner.*] *Branchiæ* duplices, radiolis brevioribus interius donatæ. In utroque latere ubi labrum superius inferiori committitur, appendicem habet *Cyprini* instar, cutaceam, rotundam, brevem, mollem ac lubricam, adeo ut nunquam explicetur conspicuave fiat, ni digitis comprehensa extendatur, ut *Salvianus* recte observavit. *Oculi* parvi rotundi, nonnihil prominentes: irides rubescunt. *Nares* duplices sunt, in quarum interstitio cuticula parva, auriculæ instar. Palatum carnosum ut in *Cyprinis*. *Lingua* ut in aliis fundo oris adhæret. *Dentibus* ut reliqui hujus generis caret [in maxillis, nam in imo ore ad initium gulæ ossa habet serrata pro dentibus.] In imo palato ossiculum triangulare. *Pinnarum* numero & situ cum *Cyprino* reliquisque hujus generis convenit. Ex his ea quæ in dorso est radiis cartilagineis 11 munitur; quæ ad branchias singulæ 17: quæ in ventre medio 9 aut 10; quæ ab ano 10. *Vesica* qua natat bifida est, ut in cæteris congeneribus, è cujus posteriore parte ductus in ventriculum magnus extenditur, paulo infra palatum. Habet insuper cystin felleam, & *Vesicam* urinariam ut alii plerique pisces. Intestinum à fundo ventriculi ad diaphragma usque sursum reflectitur, deinde recta ad podicem tendit. *Pondus.* *Forma.* *Color.* *Squamæ.* *Cutis.* *Branchiæ.* *Barbulæ.* *Oculi.* *Nares.* *Lingua.* *Dentes.* *Pinnæ.* *Vesica.* *Fel.* *Vesica urinaria.*

In hoc pisce *sexus* facile distinguuntur: mares enim pinnas ventris multo majores habent, quarum radius primus magnus, crassus, deorsum reflexus, & transversim striatus. Ossa etiam quibus innascuntur hæ pinnæ magna sunt, crassa, & ad branchias fere extensa; secus ac in fœminis. *Sexus.*

Tincæ ut viles, insipidæ, insalubres, difficilis concoctionis, mali succi, *Carnis qualitas.*

& febricitantibus noxiæ à medicis & Physicis omnibus uno ore damnantur: & quod ad insalubritatem attinet, fortasse non immerito: at vero insipidas esse neutiquam iis concesserim, nostro enim palato saporis suavitate satis blandiuntur.

Locus. *Tinca* stagnantibus & palustribus, aquis & fluviis tarde fluentibus gaudet. *Rondel. Salvianus* in lacubus & stagnis ut frequentes, ita omni anni tempore capi ait: in *Tyberi* etiam aliisque fluminibus quamvis interdum capiantur, ex aliquo potius lacu ad flumina adnatasse, quam in eis genitas esse credit: cui & nos quoque suffragamur.

Vires. Amicitiam *Lucio* cum *Tinca* esse ferunt, *Luciumque* pisces omnes præter *Tincam* vorare, hujus enim muco adfricare & illinere vulnera sua *Lucium.* Nonnulli *Tincam* piscium omnium medicum appellant.

Vidi (inquit *Rondeletius*) *Romæ Judæos* quosdam medicinam exercentes, qui carpo & plantis pedum *Tincas* per dorsi longitudinem dissectas admoverent in febribus ardentissimis. Sed id nisi in tempore fiat, non modo nihil profuerit, sed maxime obfuerit: nam frigiditate intro repellente ac magis constringente augetur incendium. Ejusdem ἐγχειρήσεως meminit etiam *Jovius.* v. *Gesnerum.*

Esca. *Lumbrici* terrestres minores tincis inescandis aptissimi sunt experientia nostra: quamvis grandiores hujus generis pisces majores lumbricos, nostratibus vermes Maiales dictos, appetunt.

Parit vere, & æstate, cum triticum floret. Celeriter ad justam magnitudinem accrescit, quod facile fieri potest, cum muco & sordibus vescatur, in iisque locis degit, quæ harum permagnam copiam suppeditant. *Schwenckfeld.*

CAP. VII.

Rutilus latior vel Rubellio fluviatilis, Rotele Leonardi Baltner; *Nostratibus* a Rudd *vel* Roud; *quibusdam locis* Angliæ a Finscale. *An idem piscis cum* Ballero Rondelet.

R*utilo* fluviatili aut etiam *Cyprino* latior est, *Brama* crassior; inter *Cyprinum, Bramam* & *Rubellionem* ambigere videtur; colore ex fusco flavicante, & squamarum magnitudine *Cyprinum* refert: cauda nonnihil rubet, pinnæ ventrales & quæ ab ano est intensius. Opercula branchiarum macula sanguinea plerunque notantur. Narium foramina gemina utrinque. Oculorum Irides flavescunt, punctulis nigris velut irroratæ; dentes & palatum ita se habent ut in *Cyprino*, imo quoque palato officulum pariter triangulare inest. Dorsi pinna mediam longitudinem occupat, decem radiis instructa, quorum tertius longissimus, primus secundo dimidio brevior & minime hamatus, secus quam in *Cyprino*, à quo vel hac sola nota diversus esse convincitur. Pinna ad branchias utrinque una, radiis donata 19, primo majore quam piscibus hujus generis aliis; in ventre duæ, è regione ei quæ in dorso est, radiis utraque novem; pinnæ branchiarum sunt albidiores reliquis, illaque dorsi lividior. Orificium excrementorum plus tertia longitudinis parte ab extrema cauda distat, quæ ei subnectitur pinna radios tredecim continet, cauda forcipata, lineæ punctatæ in lateribus bis inflexæ. Digitos 12 & 16 longus invenitur.

Cystis fellea magna, lineis albis striata: hepar bifidum: splen nigricans. Vesicula natatoria bipartita.

Reperitur

Reperitur in *Rheno*, in lacubus in *Holderness* agri Eboracensis, in lacubus non procul à *Lincolnia*, ex Observ. D. *Lister*, & in fluvio *Cherwell* agri *Oxoniensis* D. *Plot* Histor. Nat. agri *Oxon.*

Inter squamosos pisces præcipuæ æstimationis est, & ex optimis habetur; semper fere tempestivus, & esui aptus, & mensis acceptus. *Aprili* mense parit, quo tempore minus laudabilis est; mares tunc temporis asperiores sunt, & capita maculis albis notata obtinent; tunc quoque gregatim natant, & ova inter ulvas & herbas fluviatiles ejiciunt. Maximi vix bilibres sunt; quovis anni tempore capi possunt. è Manus. *L. Baltneri.*

Orsus Germanorum *Orff* sive *Oerve*, & *Nerfling* dictus. Antverpiæ *Vinderfish*. Capito fluviatilis subruber *Gesn.* an idem piscis cum priori?

Orsum Germani vulgo (inquit *Gesnerus*) genus hoc Capitonis nominant, quod mihi videre nondum contigit, præterquam *Augustæ* Vindelicorum olim in piscina quadam, ubi mihi intuenti *Cyprini* colorem præ se ferre videbatur, aqua forte visum meum mutante; ibidem depictam *Iconem* clarissimus Medicus *Achilles Pyrminius Gassarus* mihi curavit; dorso est rubicundo, ventre albicante, squamis (ut apparet) magnis & latis, linea à branchiis ad caudam an probe adeo recta (præter plerorumque piscium morem) expressa sit, inquirendum; digitos 12 aut 13 longus. Sunt qui *Capitoni* fluviatili, alii *pigo* lacus *Larii* & *Verbani* (de quo inter *Cyprinos* scripsimus) eum comparant, sed hoc judicandum illis relinquo, quibus in promptu hi pisces sunt. Piscem *Norimbergæ* in *Begnita* fluvio frequentem esse aiunt; & *Cyprino* minus latum esse, sed crassiorem, hactenus *Gesnerus*.

In lacu *Ammerzeo*, medio fere itinere inter *Monachium* & *Lansbergam* captum vidimus, alibi quoque in *Germania* frequens est.

Duorum generum (inquit *Gesnerus*) esse hunc piscem audio; afflatos alios carne alba esse; alios rubicunda vel flavescente *Truttæ Salmonatæ* instar: præferri genus illud cujus caro rubeat, in superficie discrimen non apparere: carnem siccam & friabilem esse, salubrem, ut vel puerperis concedatur: minus tamen suavem quam truttarum.

Hujus generis pulcherrimum piscem *Augustæ Vindelicorum* vidimus *root Oerve* i. e. *Orsum* rubrum dictum, à colore miniato seu mali *Aurantii* æmulo, quo undique tingitur, ventre excepto, qui albet. Per omnes squamarum ordines lineæ obscuriores apparent, punctis tamen minoribus compositæ quam lineæ latera media dividentes. Orsus ruber.

Dubitavit D. *Willughby* an color hujusmodi naturalis esset huic pisci, an arte ei induceretur.

CAP. VIII.

Vrowfish Ratisbonæ *dictus.*

Corpore est quam *Orsus* aliquanto longiore; Dorso fusco, ventre flavicante. Pinnæ ventrales & quæ ab ano est nonnihil rubescunt, reliquæ fuscæ sunt. Squamæ magnæ, argenteæ. Irides ima parte macula sanguinea notantur. Pinnarum numerus & situs idem qui præcedenti. Cauda parum forcipata radiis 19. Pinnæ dorsali radii undecim, branchialibus singulis 18, ventralibus novem, ei quæ ano succedit 12 insunt. Vesica aerea ut in Rutilo. Intestina pariter bis terve revoluta. Fel viride est.

Intestinorum triplici reflexione, si aliæ notæ deessent, ab *Orso* distinguitur.

Inteſtina Limacum teſtulis plena erant. Cutis coſtas intus veſtiens maculis nigris punctata. Oculi cute communi vel nulla, vel arcte adhærente obteguntur. Branchiarum ariſtæ ſeu radii carnei pectiniformes breves ſunt, acuti & flexiles.

In piſce 14½ digitos longo pinnæ branchiales 2⅝ digitos à ſummo roſtro aberant, ventrales 6, dorſalis 6½, quæ ab ano eſt 9, oculi ¾, nares ½.

C A P. IX.

Naſus Alberti Aldrov. 611. Geſnero *etiam Simus & Platyrhynchos dictus.* Savetta Italis, Sueta Ferrarienſibus, Bellon. Germanis Naſe.

Magnitudo. Color. PIſcis eſt ſatis grandis: quem deſcripſi pedem longus erat, colore & figura *Leuciſci* aut *Capitonis*. Venter & latera argentea. Pronæ partis pinnæ omnes, & inferior pars caudæ in nonnullis aliquantulum rubeſcunt. Ad occiput macula eſt nigricans. *Caput.* *Caput* habet proportione corporis exiguum; ventrem planum, latum; *Squamæ.* *ſquamas* amplas. Lineæ laterales ventri quam dorſo propiores ſunt. *Roſtrum.* *Roſtrum* ultra os aliquantulum prominet [ſimum & obtuſum eſt *Geſn.*] quo ab omnibus aliis hujus generis differt; unde & nomen *Naſi* ei impoſitum. *Os.* *Os* pro piſcis mole valde exiguum, clauſum ſpeciem arcus ſciſſura exhibet, apertum figuræ eſt quadratæ ſeu rhomboidis: *Dentes.* *Dentes* nulli: Cranium pellucidum: *Oculi.* *Oculi* nullo præter tunicas proprias tegumento obducti: Irides inter aureum & argenteum colorem ambigunt. *Branchiæ.* *Branchiarum* carunculæ pectiniformes valde exiguæ. *Pinnæ.* *Pinnæ* dorſi ſitu & radiorum numero cum *Brama* convenit. Branchialis pinna utraque radiis 15 firmata: ventrales novem, circa mediam longitudinem excluſa cauda ſitæ. Anus triente circiter longitudinis à cauda diſtat, cui ſuccedit pinna radiorum 14.

Viſcera & inteſtina, Coſtas & abdominis parietes cuticula nigra intus obveſtit. Veſica aerea bipartita. Cyſtis fellea magna. Inteſtina ſæpius revoluta. Ventriculus ab inteſtinis exterius ſpectanti vix diſtinguitur.

Caro. *Caro* alba laxaque & inſipida eſt, ſpinulis referta, ut & *Capitonis*, & aliorum multorum fluviatilium, præſertim circa caudam. Os modice deorſum vergit, nam cœno & ſpurcitiis veſcitur, ut ſcribit *Bellonius. Geſn.*

Locus. In *Rheno, Danubio*, aliiſque *Germaniæ* & *Italiæ* fluminibus frequens: apud nos (quod ſciam) non reperitur.

Nobis deſcriptus (ut videtur) è maximis erat; nam *Bellonius* ſemipedalem tantum facit, *Geſnerus Capitone* minorem.

Aprili menſe pariunt, quo tempore marium capita punctis albis notata obſervantur, corpora etiam aſpera; tunc quoque gregatim natant, ut una interdum nocte piſcator 2 vel 3000. capere poſſit: in medio fluento fundo ſabuloſo ova ponunt, & imum alveum ea parte converrunt, & mundant, ac ſi ſcopis purgaretur. *Auguſto* menſe tempeſtivi, & cibo maxime idonei ſunt; anterior pars corporis ad pinnam uſque dorſalem melior, poſterior minus proba. è Manuſ. *L. Baltneri.*

C A P.

CAP. X.

Capito sive Cephalus Gesn. *p.* 215. Rondel. *Capito* Ausonii *sive Squalus veterum* Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 17. A Chub *or* Chevin.

Corpore est longiore quam *Cyprinus*: Capite nigricante, majore & planiore quam *Leuciscus*. Dorsum obscure viride est, olivæ immaturæ *colore* aut tristiore [ex fusco cæruleum *D. Willughby*] venter & latera argentea, in majoribus tamen & adultioribus, præsertim obesis, aureo colore micant, & punctulis quibusdam nigris ceu guttulis irrorantur. Tempora flavescunt. *Squamæ* ut in *Cyprino*, maximæ, angulosæ. *Os* non amplum, rotundo cum aperitur hiatu: maxilla inferior paulo brevior: *dentes* omnino nulli, neque in maxillis, neque in palato, aut lingua. *Palatum* molle, sed minus quam in *Cyprino*. Imo palato officulum triangulare innascitur. *Nares* magnæ, patulæ, foramine duplici, quorum alterum hinc inde valvula tegit. *Oculi* mediocres, iridibus velut ex aureo & argenteo colore mixtis. *Pinnarum* numero & situ cum reliquis hujus generis convenit. Ei quæ dorso medio innascitur pinnæ radii insunt novem: quæ imo ventri pone anum hæret undecim, quorum primus brevis est & secundo proxime adhæret seu adnascitur: eis quæ à branchiis sunt septendecim: ventralibus novem. Anus quarta plus parte longitudinis ab ultima cauda distat. *Cauda* forcipata. Pinnæ omnes colore ex cœruleo nigricante inficiuntur, in pisce *Gesnero* descripto pinnæ omnes ruffo colore tingebantur. Venter in hoc pisce nonnihil repandus. Lineæ laterales imæ ventris carinæ parellelæ decurrunt. Membrana argentea nigro maculata costas & abdominis musculos intus succingit.

Figura. Color. Squamæ. Os. Dentes. Palatum. Nares. Oculi. Pinnæ. Radiorum numerus. Cauda.

Ventriculum habet longum, cylindraceum, ad podicem prope protensum. Intestinum semel tantum reflectitur. Hepar in duos divisum lobos: in dextri lobi cavitate circa medium ventriculi vesicula fellea elliptica, oblonga. Vesica natatoria magna, bipartita, coloris argentei, minutissimis iisque creberrimis maculis nigris punctata. Aristis in carne multis abundat.

Fluviorum alumnus est, sub stipitibus arborum & in foraminibus delitescere amat, in aquis stagnantibus & piscinis non degit. [Cum maximus est ulnæ mensuram æquare audio, inquit *Gesnerus*.] *Gesnerus* cum *Gillio* & fluviatilem & lacustrem esse ait. Squalus vilis est piscis apud nos, carne candida, molli & insipida.

Chevin a *Chef* Gallico, quod caput significat, deducitur. In pura aqua (inquit *Rondeletius*) diu servari potest, modo aqua mutetur sæpius, & vas ad summum usque non impleatur, nec mica panis, nec quicquam aliud in aquam injiciatur: alioqui moriuntur suffocati. *Maio* mense pariunt locis sabulosis aut glareosis in mediis fluentis; commendantur ut alii plerique pisces verno tempore, cum ovis adultis prægnantes sunt.

CAP.

CAP. XI.

Capito cæruleus Gesneri *p.* 1266. Aldrov. 603. Germanis *alicubi* Scheert *dictus*, *alibi* Jesen *&* Jentling; *&* Koppen.

Forma. Corporis figura est lata & compressa, longiore tamen quam *Orfus*: capite lato, ab ore ad occiput plano vel parum admodum incurvo: verum ab occipite dorsum in gibbum assurgit. *Os.* *Os* ei multo majus est quam vulgari *Capitoni*, & sursum à ventre reflexum. *Color.* Cauda bifurca: Dorsum ex cæruleo fuscum; latera argentea. Venter flavicat. Pinnæ ventris nonnihil rubescunt. Cranium pellucidum est, ex fusco pallidum: *Oculi.* *Oculi* nulla præter tunicas proprias membrana tecti: *Nares.* *Nares* duplices: *Branchiæ.* *Branchiæ* 4, duplici aristarum ordine compositæ, quarum priores duriores & magis osseæ quam in aliis fere piscibus, in tubercula desinunt. *Dentes.* *Dentes* in maxillis nulli, verum in imo ore prope orificium ventriculi ossicula dentata, ut in toto hoc genere. Cystis fellea magna: Folliculus aereus bifidus seu in duos lobos divisus.

Mensuræ magnitudinis. In pisce $21\frac{1}{2}$ digitos longo à summo rostro dorsi pinnam 9 digitos distare comperimus; pinnas ad branchias 4; ventrales $8\frac{1}{2}$, eam quæ ab ano est $11\frac{1}{2}$; oculos 1. Latitudo piscis $4\frac{1}{2}$ digitorum erat. *Numerus radiorum in singulis pinnis.* In pinna dorsi aristas 11 numeravimus, in branchialibus singulis circiter 18; in ventralibus 9; in ano subnexa 14. A *Capitone* vulgari ore & capite præcipue differt. Reperitur in *Danubio* aliisque *Germaniæ* fluminibus: [potius lacubus.]

Locus. *Capito* fluviatilis cæruleus *Gesn.* quem *Jesen* appellant *Germani* quidam, ad *Capitonis* vulgaris magnitudinem non pervenit, cum raro ad duas libras accedit, & insuper cærulei coloris esse fertur. Cum autem *Danubii* piscis *Jentling* dictus, dorsum etiam habeat cæruleum, & aliquas insuper capitis partes, latera & ventrem argentei coloris, pinnas ferme ruffas, sicut & caudam, & ipse præfertur assus; inde se adduci *Gesnerus* scribit, ut vocabula hæc duo unius & ejusdem piscis esse statuat. Longitudo ejus (inquit) cubitum non excedit, nec latitudo 4 digitos. Piscis hic *Gesneri* cum nobis descripto notis omnibus convenit: verum noster alicubi in *Germania Scheert* dictus est; circa *Straubing* ad *Danubii* ripam *Schead* vel *Scheat*.

Parit *Aprili*, vivit ex vermiculis, præ pinguedine flavet, & sapore viget; minus vero salubris est; Assus præfertur elixo; paratur etiam cum liquamine croceo. *Schwenckfeld.*

CAP. XII.

Capito fluviatilis rapax Gesneri 1267. *quem corvum Miseni nominant*, ein Rappe.

Rappe vocatur (inquit *Kentmannus*) i. e. Corvus, quod ejus volucris instar rapax voraxque sit, piscis est candidus, argentei splendoris: dorso tamen fusco & subcæruleo. Squamis tegitur latiusculis, tenuibus & perspicuis; quibus pellicula tenuis argentei nitoris substernitur: quæ per squamas tralucens, piscem veluti argento illitum osten-

oſtendit, quales etiam cæteri piſces quos communi nomine albos [*Weyſsfiſh*] cognominamus, apparent. Longus eſt, craſſus & carnoſus: caro ariſtis plena. Longitudo ad latitudinem quintupla. Dentes ei non in ore, ſed in faucibus ſunt, ut aliis quoque hujus generis, longiuſculi, utrinque ſepteni, è mandibulis prognati. Ventriculus & inteſtina ſimul piſcis longitudinem non æquant. Revolutio eorum triplex eſt, ita ut in ſummo ventriculus ſit, inde tenuius inteſtinum incipiens revolvi, duas ſub eo helicas efficiat. Tegit hæc dextro latere jecur (in quo veſica fellis longa conſpicitur) altero lien. [*Branchias molles eſſe audio ut in Salmone, pinnas coloris e fuſco punicei.*] Veſica in eo aere plena oblonga eſt, ut in *Lucio, Cyprino* &c. Maximi qui apud *Miſenos* capiuntur ad 6 aut 7 libras (16 unciarum) accedunt.

Nomen à rapacitate tulit. Eſt enim veluti prædo vehemens in aquis, nec minus fere quam *Silurus* aut *Lucius*, aut etiam amplius damnoſus eſt vorandis piſcibus, quos dum perſequitur, in ripam aliquando expellit, & ſimul etiam ipſe interdum impetu in ſiccum elatus relinquitur. Hic piſcis in *Albi* naſcitur, non aliunde ſubit, & toto fere anno (ſed rarius & per intervalla quædam) capitur. A partu valde augetur & pingueſcit. Quæ de tempore partus habet, deque ejus captura vide apud *Geſnerum*.

Piſcis eſt admodum laudatus, & boni ſaporis tum aſſus tum elixus. A pleriſque tamen parvi æſtimatur, quod idoneum præparandi modum neſciant. Nam niſi rite coquatur, ſive aſſes, ſive elixes, in partes aliquot dilabitur. Quod ſi integrum ſervare velis, non in fervidam ut alios pleroſque piſces ſolent, aquam, ſed ab initio ſtatim in frigidam præparatum immittes, ut pariter cum aqua concaleſiat, ſalieſque & ad juris fere conſumptionem coques. Aſſandum vero deſquamabis exenterabiſque ſimiliter: deinde ſale diligenter conſperges & perfricabis, & per duas horas in ſale relictum tandem aſſabis, ita bonus & grati ſaporis erit. Cætera vide.

CAP. XIII.

Capito anadromus, quem Miſeni Zerte *vel* Blike *nominant* Geſn. 1269. *forte idem cum Naſo ſuperius deſcripto.*

Zerta (inquit *Kentmannus*) piſcis eſt longiuſculus, argentei nitoris. Squamis parvis tegitur: dorſo ſubfuſco: pinnis quæ ad branchias ſunt & parte ſupina rutilis pauco cæruleo admixto. Linea utrinque à branchiis ad caudam tendit, in qua puncta fuſci coloris digeruntur. Caput ei craſſiuſculum; oculi pulchri, magni, albicantes; nares magnæ non procul ab ore. Os molle prorſus, in quo nec dentes ſunt, nec alia aſperitas: ſed ab initio gulæ ſeu faucium maxilla utrinque valida, dentibus ſenis oblongis vallata. Maximi hujus generis piſces, qui apud *Miſenos* capiuntur bilibres ſunt (libram 16 unciarum dico.)

Anno toto ex Oceano in *Albim* aſcendit hic piſcis (hinc anadromus *Geſnero* dictus) maxime vero circa *Pentecoſten*, quo tempore parit, migrare ſolet: tunc etiam ad cibum præfertur, quod fœminæ ovis plenæ ſunt. Manent ac pariunt in *Albi*, proficiuntque ipſi ac ſoboles; augentur enim & pingueſcunt. Veſcitur omne genus piſciculis, præſertim qui nullis ſpinis & aculeis rigeant: item muſcis aliiſque inſectis, quibus intra aut proxime ſupra aquam potitur. Habetur inter optimos qui in *Albi* ſunt aſſari ſolitos piſces. Caro enim optimi ſaporis eſt: Rite eti-

am elixus non male sapit. Verum coquendi & condiendi modum vide apud *Gesnerum*.

Nasutus Videtur prominente & carnosa superiore oris parte, ut in Naso *pisce dicto, cui etiam reliqua corporis specie adeo per omnia similis est, ut discrimen nullum animadvertam, ne colorum quidem fere, nisi quod* Albinus *hic* Nasus *magis albicat, noster vero magis fuscus est. Sed noster plane fluviatilis est;* Albinus *e mari ascendit* Gesner. *Ego sane ægre a me impetro ut credam dari ullum hujus generis piscem anadromum. Quod vero ad nomen attinet, Capito cæruleus superius descriptus, a piscatoribus* Germanis *nobis sciscitantibus* Scheert *dictus est; quod nomen cum* Zerte *idem fuisse credo. Nos enim* Germanicæ *linguæ prorsus ignari facile potuimus errare in pronunciatione vocis insolitæ, quamque illi* Zerte *efferrent, pro* Scheert *accipere.*

CAP. XIV.

Capito lacustris, quem Album piscem Salvianus *nominat, an capito cæruleus noster?*

ALbus quamvis *Squalo Alburnove* appellato pisci persimilis sit, ab eo tamen evidentibus quibusdam notis facile internosci potest. primum enim etsi uterque latitudinis ratione oblongus appareat, eadem nihilominus utriusque existente magnitudine, *Albus* paulo longior alburno conspicitur. Deinde rostro acutiore, oculis majoribus, ac dorso magis repando *Albus* est. Nam cum *Alburni* sensim atque modice, *Albi* repente ac plurimum à capite extuberat dorsum. Pinnarum autem tum in lateribus, tum in dorso ac imo ventre existentium situ ac numero cum *Alburno* conveniente, earundem colore ab invicem discrepant: subnigras enim *Albus*, subrufas vero *Alburnus* eas habet. Postremo amplioribus squamis *Albus* tegitur, ventreque atque lateribus, æque atque *Alburnus* candidus & argenteus est: capite vero ac dorso magis quam ille subviridis. Magnitudine non differunt: uti enim *Alburnus*; sic & *Albus*, pedalis frequens, bipedalis vero aliquando tantum repetitur.

Lacustris piscis est *Albus*, non tamen in lacubus omnibus, aut in eorum quam plurimis, sed in nonnullis solum reperitur. In *Trasymeno* enim lacu, ubi etiam *Albo* vocatur, frequens satis in fine veris capitur. In fluminibus eum reperiri hucusque non observavimus: estque advertendum, ne quispiam eum in fluminibus etiam reperiri contendens *Squalum* pro *Albo* nobis ostendat. In mari nec nascitur, neque ex lacubus fluminibusve ad id descendit.

Duram carnem habet *Albus*, & propterea ægre coquitur. Insipidus adeo est, ut piscium fere omnium jure vilissimus censeatur, nec enim ulla condiendi ratione sapidus effici potest. Torrefactus tamen paulo minus ingratus est palato, solumque in aliorum piscium penuria eo vesci solemus. Hæc omnia *Salvianus*. *Piscem hunc, si non sit Capito noster cæruleus, nescimus: non autem dari tot distinctas Capitorum species vehementer suspicamur.*

CAP.

CAP. XV.

Barbus Rondel. Gesn. 1. 3. *Mystus fluviatilis* Bellonii. A Barbell.

IN plerisque omnibus linguis, ut recte *Gesnerus*, à barba nomen habet. *Longitudine* est pedali aut cubitali: *colore* in dorso olivaceo, (pallidiore tamen seu albidiore quam in aliis piscibus) in ventre argenteo. Dorsum & latera punctulis nigris guttata, *Carpionis* Benaci in modum. *Figura* corporis longa est & subrotunda; Dorsum acutum, arcuatum. *Squamæ* mediæ inter maximas & minimas. *Lineæ* punctorum media latera dividunt. *Venter* planus, adeo ut situ prono ventri incumbens ore terram attingat, ut reliqui fortasse omnes qui in fundo versantur. *Caput* declive; rostrum acutiusculum. *Os* non grande, edentulum: Superior mandibula ultra inferiorem procurrit. *Barbulas* habet quatuor, duas ad angulos oris, duas superius prope apicem rostri: in medio harumce barbularum venula rubra decurrit. *Pinna* in dorso unica circa mediam longitudinem, radiis 10 instructa, quorum secundus maximus est. Cauda bifurca. *Oculi* parvi, deorsum spectantes, iridibus vel aureis, vel argenteis, fusco maculatis. Nares duplices. *Pinnæ* ad branchias mediocres: quæ in ventre (ex adverso ei quæ in dorso est) radiis singulæ 9 donantur. Excrementorum exitus una minus quarta longitudinis parte à cauda distat, à quo pinna radiorum septem. Jecur pallidum & longum: vesicula fellea satis ampla. Appendices nullæ: intestina semel tantum reflexa, & tamen longa. Vesica aerea qualis reliquis hujus generis, bipartita, lobo infimo longiore.

Nomen. Longitudo. Color. Figura. Squamæ. Linea lat. Venter. Caput. Os. Barbulæ. Pinnæ. Oculi. Pinnæ. Viscera & intestina.

Carne est molli & laxa. Barbus non sustinet frigus, quare semper hyeme languidus invenitur, æstate vero mundus & sanus est. *Albertus*. In villa mea ad *Danubium* sita, ubi plurimæ sunt cavernæ in muris & lapidibus, expertus sum quotannis post æquinoctium autumnale congregari pisces quos barbellos vocant, & tanta copia convenire, ut manibus etiam capiantur, ita ut in eo tempore incolæ loci aliquando fere decem plaustra manibus ejecerint. *Idem*.

Caro qualis. Locus.

Ova venenata esse vulgo dicuntur, quod vim turbandæ alvi & ventriculi subvertendi habeant. *Rondel.* Vide hac de re duas historias apud *Gesnerum*.

Ova.

Mystus Niloticus Bellonii crasso & recurto est corpore, ejusdem tamen coloris cum nostrate vulgari, & eodem modo barbis 4 seu mystacibus ornatur. Nostrum *Cyprinum* ipsa forma fere æmulatur; ventrem enim habet expansum. Tanta crassitudine in *Nilo* proficit, ut eum *Memphis* libras 20 pendentem viderim. *Bellonius*.

Mystus Niloticus Bellon.

Maximi apud nos (Argentinæ) 7 aut 8 libras raro excedunt. *Augusto* mense in medio fluento sperma & ova humi fundunt, horum ventres æstivo tempore sanguineo rubore interdum perfusi cernuntur, quod nonnullis occasionem dedit fingendi eos menstrua purgatione infestari. è Manus. *L. Baltneri.*

CAP. XVI.

Leuciscus prior Rondeletii, *qui à* Gallis *Gardon vocatur*, Bellonio *Sargus & Sargo & Cephalus & Gardo.*

E Rondel. LEuciscus prior *Rondeletii Capitoni* sive *Cephalo* fluviatili, corporis aspectu, pinnarum numero, situ, figura similis, ut & squamis: sed capite est minore, corpore latiore: Dorso cæruleo, cervice virente, ventre candido, oculis flavescentibus. Dentibus caret, imo palato ossa habet. Partibus internis non differt à *Capitone*, nisi quod tanta pinguitudine non obteguntur.

Alacris est (inquit) & vividus hic piscis; unde *Galli* valetudinem integram significare volentes, hominem *Gardone* saniorem esse dicunt, quod ex piscis istius agilitate & actionibus sumptum est, non ex succo, carne enim est molli, fluxili, parum nutriente. Nos *Angli* sanitatem *Rutilo* tribuimus cum dicimus, *As hail as a Roch.* Unde etiam nos piscem hunc à *Rutilo* specie non differre suspicamur, præsertim cum *Bellonius Gardonem* suum *Anglis Roscies* dictum ait. *Gesnerus* tamen distinguit.

Gardonis descriptio *Belloniana* sic se habet. Nunquam ad *Cyprini* magnitudinem accedit. Pinnulam tenuem unicam in tergoris jugo, non autem longam (ut *Cyprinus*) gerit. Cætera ut *Squalus*: sed est corpore compressiore & magis recurto, pinnasque subrubras habet. Parvi *Gardoni* pinnam caudæ longiorem exerunt quam *Leucisci*, & antequam in extremum pinnæ (quæ bifurcata est) desinant rotundantur. Latiusculis squamis conteguntur, ipsoque capite magis ad *Leuciscum* quam ad *Squalum* accedunt. Oblongius & paulo crassius habent corpus quam *Abramis*, suntque tergore quam *Squali* magis nigricante & auri colorem referente.

Oculi in *Gardo* (inquit *Gesnerus*) flavescunt.

CAP. XVII.

Leuciscus Bellonii, *Leucisci secunda species* Rondeletii, Gesn. *p.* 30. Anglice a Dace *or* Dare.

Figura. Cephalo similis. LEuciscus *Cephalo* similis est sed minor, & paulo candidior, capite quoque pro corporis ratione minore (ut recte *Galenus*) minusque plano; cauda magis forcipata; corpore tenuiore & compressiore [longiore tamen & angustiore quam *Rutilus*] Squamis minoribus contecto. *Albo colore nitet & veluti inter squamas striis rectis interstinguitur. Bellon. Ex fusco partim viridis est partim flavus.* Rondel. *Dorsi* Color *e fusco, flavo & viridi fere permixtus est* Gesner. Irides oculorum quam in *Cephalo* minus flavent: Cauda & pinna dorsi minus nigricant; nigris autem maculis interdum inficiuntur; cætera pinnæ minus rubescunt.

Col r.

Dentes. Dentes in maxillis nulli, sed ut reliquis hujus generis in imo ore.

Nomen. *Dard Gallis* dicitur, quod sagittæ modo se vibret, unde nomen Anglicum *Dare*. Vivax est & alacer: cumque *Cephalus* fere semper circa radices arborum lateat, hic in summis aquis ludit. In fluviis nostris

Locus. passim reperitur.

Pisces

Piſces hi *Galeni* tempore magno numero condiri ſolebant; quin & nunc dierum eoſdem nondum provectos à *Biſtonii* lacus accolis veris initio magno numero capi, & modico ſale conſperſos atque exiccatos *Byzantium* deferri & vendi *Maio, Junio* & *Julio* menſibus, refert *Bellonius*.

Cæterum menſuræ ſic ſe habent. In piſce novem digitos longo, à ſummo roſtro ad dorſi pinnam digiti erant $4\frac{1}{4}$; ad pinnas branchiales 1^3; ad ventrales $3\frac{3}{4}$; ad ani pinnam $5\frac{1}{4}$. Ariſtæ autem ſeu radii dorſali pinnæ 10, branchialibus ſingulis 15 aut 16; ventralibus 9. ei quæ ab ano eſt 9 aut 10 inerant. *Magnitudinis menſuræ.*

Carne ſunt molli & non inſuavi.

Pariunt *Februario* in fluento, quo tempore gregatim capiantur in vaſis; tunc mas ſcabioſus eſt. *Aprili* & *Maio* eſui idonei ſunt; natant juxta ſuperficiem aquæ. E *Baltnero.*

CAP. XVIII.

Dobula Schoneveldii.

AD *Leuciſcum* (inquit) proxime accedit omnibus partibus piſcis, quem ad *Albim* & *Hamburgi Dobeler, Muſebyter, Meuſſeſſer*, ad *Eideram* in *Holſatia Dover* vocant piſcatores, ſed corporis eſt adhuc caſtigatioris, & *Lucii* in formam quadrati, ſaporis non ingrati.

CAP. XIX.

Mugilis vel Cephali fluviatilis ſpecies minor Geſn. *Haſela*, Tigurinorum Haſle *ſive* Haſler. *Argentinenſibus* Schnotfiſh.

CEphalum fluviatilem ſive *Squalum* multo magis quam *Leuciſci* ſupradicti refert. *Geſn.* Piſciculus eſt mollis, gracilis, oblongus, duos aut tres palmos longus in dorſo ſordide viridis. [Per dorſum in viridi nigricans *Geſn.*] in ventre & lateribus argenteus, [cauda & pinna dorſi glaucis, cæteris rubicundis.] Pinna dorſi circa medium longitudinis ſita, radios obtinet 9, quorum primus ſecundo arcte adhæret, & ultimus ab eadem origine geminus eſt, ut in quamplurimis piſcibus obſervare licet. Squamæ huic grandiores tenues, quas ſi curioſius ſpectes circum oras velut fimbriatas obſervabis. Linea punctata imo ventri quam ſummo dorſo proximior. Dentibus caret, in maxillis intellige. Nares rotundæ: Oculi in adultioribus irides habent non penitus argenteas, verum maculis obſcurioribus velut obnubilatas. [Ex his qui in fluvio apud nos capiuntur oculis rubere audio, qui in lacu non item. *Geſn.*] Pinna ano ſubnexa radiis novem fulcitur. Cyſtis fellea in jecinore occultatur. Appendices nullæ. Ventriculus ab inteſtino ſpecie externa non diſtinguitur. Folliculus aeri continendo deſtinatus velut geniculo interceptus eſt, ut in hujus generis reliquis. Aiunt ſapidiſſimum eſſe piſcem. Suo tempore (inquit *Geſnerus*) *Maio* & *Aprili* præcipue, deinde *Junio* & *Julio*, ſatis grati in cibo & ſalubres habentur. Aliquando vero vermes iis innaſcuntur (ligulas noſtri vocant *neſtel*) & omnino inſalubres fiunt. Hyeme macri ſunt & minime placent. Fluviatiles etiam lacuſtribus præferuntur. Caro eorum ariſtis referta eſt.

Piscis hic *Leucisco* præcedenti seu *Dace* Anglice dicto simillimus est. *Gesnerus* tamen, cui ambo optime noti fuere, distinguit. Adeoque tres habemus *Leuciscorum* seu *Cephalorum* fluviatilium minorum species, nimirum, 1. *Gardonem Gallorum*, quem *Germani Schwal* vocant. 2. *Vandosiam* seu *Dardum Gallorum* quem *Germani Laugelen* vocant. 3. Hoc loco descriptum, i. e. *Hasfle* Germanorum. *Tiguri* vidimus & descripsimus.

Februario pariunt; maximi vix librale pondus, longitudinem pedalem superant.

CAP. XX.

Rutilus sive Rubellus fluviatilis Gesneri, *de Aquatilibus p.* 965. Bellonio une Rosse: Rondeletio *Phoxini species*; *eidem* Vangeron Lemani *Lacus*, *ex sententia* Gesneri. *Anglice*, A Roche. *Germ.* Rotel.

BRama minor est: figura corporis compressa, lata, minus tamen quam *Bramæ*. Quem *Gesnerus* descripsit latus erat ad quatuor digitos, longus duodecim. Dorsum ei fuscum [interdum cœrulescit] venter pallidus. Oculorum irides rubicundæ [*Gesnero* aureæ.] Color in cauda pinnisque in ventre & ano sitis cinnabarinus; nam cœteræ minus rubri habent. Squamæ latæ, striatæ, argenteæ [*Gesnero* validæ] levi tactu deciduæ. Linea à summis branchiis caudam versus obliqua ventris carinæ fere parallela. Cauda bifurca. Supercilia & circa branchias locus aureolo colore nitent. Os in rotundum aperitur, in quo dentes non habet: verum in imis faucibus maxillas utrinque recurvas, dentibus munitas quinis, qui ab interiore parte singulæ serræ instar asperantur; quod in aliorum piscium dentibus non memini animadvertisse (inquit *Gesnerus.*) Vesica gemina, ut in hujus generis reliquis. Caro aristis plena, quo nomine apud nostrates male audit.

Piscis hic apud nos lacustris tantum est, satis vivax, alibi in fluviis etiam reperitur; sed è stagnis eum puto illos subire. *Gesnerus.* Apud nos etiam in lacubus & stagnis plurimum degit; ubi mirum in modum se propagat, & numerosissima sobole piscinas citius replet quam ullum aliud piscis genus.

Cæterum pinna, quam in dorso unicam obtinet, 11 aut 12 radiis firmatur; quæ ab ano est totidem; branchiales 16; ventrales novem.

Hepar habet oblongum cum cysti fellea ampla, lienem pro piscis modulo grandem, subnigrum. Intestinum à fundo ventriculi ad ipsum usque diaphragma reflectitur, deinde ad anum recta tendit. Anus autem vix quarta longitudinis parte ab initio caudæ distat.

Gesnerus piscem hunc suis *Rotene* vel *Rotel* aut *Rotele* dictum scribit. Verum piscis ille quem *Leonardus Baltner* auceps & piscator Argentinensis sub titulo *Rotel* depingit, is est quem nos *Rudd* vel *Finscale* nomine descripsimus.

CAP.

CAP. XXI.

Grisslagine *Augustæ dictus, Gobii fluviatilis species: Germani enim Gobium* Gresling *vocant.*

FIgura corporis *Rutilo* similis est, dorso obscure cæruleo; ventre & lateribus infra lineam punctatam argenteis. Lineæ ipsæ laterales citrinæ sunt. Supra lineas citrinas ductus hinc inde niger ab oculis ad caudam continuus. Cranium pellucidum est: Nares duplices. Cystis fellea magna, bile viridi repleta. Vesica natatoria intercepta. Membrana abdomen intus succingens nigra. Pinnarum numerus, situs & figura eadem quæ in *Rutilo* & reliquis congeneribus. Pinnæ dorsi aristæ decem; Postbranchiali utrique 14; Ventralibus novem; ano subjectæ decem concessæ.

CAP. XXII.

Alburnus Ausonii, Ablet Bellonii, Alblen *Francofurti & alibi* in Germania, *Anglice* A Bleak.

PIscis est fluviatilis, digitali magnitudine secundum *Rondeletium*, *Bellonio* sex digitos [seu uncias] longus, quam mensuram raro excedit. Corpore est latiusculo (ad 2 digitorum latitudinem vix extenditur. *Bellon.*) tenuiore & compressiore quàm *Cephalus*; capite etiam minore. Argenteis tegitur squamis, tenuibus & facile deciduis: dorsum tamen ex cœruleo fuscescit, aut (ut *Rondeletius* scribit) virescit. Linea utrinque arcuata ejus latera dividit hac figura . Oculorum (qui magni sunt) irides infima parte macula sanguinea notantur, hinc *Roteugle*, id est, *Erythrophthalmos* circa *Acronium* lacum nominatur. Oculi autem cuticula communi non obducuntur. Cranium pellucidum est. Branchiæ utrinque quaternæ, singulæ duplici aristarum ordine donatæ. Dentes ut in *Cyprino*, sed longiores & acutiores: Palatum molle ut illi, inque ejus ima parte officulum pariter triangulare. Hepar in longissimos lobos divisum. *Bellonius* & *Rondeletius* eum felle carere aiunt.

Cæterum in pisce $5\frac{3}{4}$ digitos longo summi rostri & pinnarum branchialium distantia $1\frac{1}{8}$ erat digitorum; ejusdem & pinnæ dorsi $2\frac{3}{4}$; pinna ab ano 3; pinnarum ventralium $2\frac{3}{8}$. Numerus autem aristarum in dorsi pinna erat 10, in branchialibus singulis 16, in ventralibus 9, in ea quæ ab ano est 19.

In fluviis nostris in *Anglia* frequens est, nec minus in transmarinis, *Rheno*, *Mœno*, *Pado* &c. *Alburnus Ausonio* à colore dicitur. Carne est molli & parum pingui, inquit *Rondeletius*: melior ad cibum judicatur autumno. *Gesner.*

Schonfeldii Albula minor ab hoc pisce specie differre videtur, nam corpore est bene habito & carnoso, dorso fere recto non gibboso.

CAP.

CAP. XXIII.

Gobius fluviatilis Gesneri, *de Aquatil. p.* 474. *&c.* Rondeletii, Aldrovandi. A Gudgeon.

Longitudo. *Squamæ.* *Color.*

LOngus est plerunque quinque aut sex digitos; corpore teretiusculo, squamis parvis tenuibus induto. Dorsum ei fuscescit: Venter albidus, obscurior tamen quam in aliis nonnullis congeneribus. Maculæ majusculæ nigricantes novem aut decem à capite caudam versus, per media utrinque latera supra lineas punctatas singulæ deinceps digeruntur. Præter has aliæ parvæ per dorsum, caudam & pinnas nullo ordine disseminantur. Linea punctata à superiore branchiarum angulo incipiens per media latera ad caudam decurrit. Os cum aperitur rotundum [& veluti è præputio se exerens deorsum nutat.] Ad utrumque oris angulum cirrus unus, non plus ¼ digiti longus. Oculorum irides albæ. Juxta oculos nares magnæ. Dentes in maxillis nulli, verum in extremo palato os triangulare; & in ipso ventriculi orificio duo veluti molares, ut in *Cyprino*. Pinna in dorso unica radiis novem firmata. Pinnæ branchiales radios 13 aut 14 obtinent; ventrales octo aut novem. Vesica natatoria bifida magna proportione. Canalis à ventriculo inferiorem lobum ingreditur. Reperiuntur passim in fluminibus.

Pisciculus isthic carne est solida, nec in cibo contemnendus. Nostrates frixos gobiones ob saporis gratiam in deliciis habent, & plerisque fluviatilibus pisciculis præferunt.

CAP. XXIV.

Gobius fluviatilis minor, *Germanice* Wapper.

QUem mensi sumus *Augustæ Vindelicorum* (ubi frequens est) quatuor pollices longus erat. A summo rostro ad primum pinnarum par vix digiti spatium erat, ad secundum $1\frac{1}{2}$; ad anum 2; ad dorsi pinnam $1\frac{3}{4}$. Superiore minus maculosus est; colore albidiore, corpore ad caudam contractiore & angustiore, qua præcipue nota à priore differt: cum enim ille ad radicem caudæ semidigitum latus esset, hic vix quartam digiti partem latitudine æquabat: cumque ille eandem paulo minus latitudinem ad caudam usque servaret, hic in medio corpore latior, versus caudam multo majori decremento angustatur. Dorsum pallidius. Rostrum longius, acutius; maxilla superior productior; oculi minores. Irides interdum nonnihil rubescunt. Anus medius est inter pinnas ventrales & carinæ pinnam. *Branchiæ* quatuor. Fel viride. Intestina semel reflexa.

CAP.

CAP. XXV.

Cobitis fluviatilis barbatula Gesner. 480. Rondeletii. *Fundulus recentiorum.* The Loche; *Germanis Grundel.*

Gobionem fluviatilem tum figura, tum colore refert; cui tamen magnitudine multum cedit. Quem descripsimus digitos $3\frac{1}{2}$ longus erat: *Bellonius* quinque digitos longitudinis, digiti indicis crassitiem ei attribuit. Corpore est teretiusculo, molli, lubrico; cauda compressa, lata; squamis vel nullis vel exiguis. Caput, dorsum, pinnæ, cauda maculis nigricantibus asperguntur; alias sordide flavicant, lentiginum fere colore. In superiore maxilla tria habet barbularum paria, unum ad angulos oris, duo prope rostrum extremum. Ad nares etiam duo exigui processus inter natandum curiose intuenti se produnt. Rostrum oblongum; maxilla superior inferiore productior. Oculi parvi, cuticula minime tecti. Pupillam nigram amplam circellus angustus, luteus ambit. Pinna in dorso unica, exigua, caudæ paulo propior quam capiti, nervulis octo radiata. Cauda cum extenditur, in rectam lineam desinit. Pinnæ ad branchias duæ amplæ, longæ, radiis duodecim instructæ. Ventrales pinnæ, ei quæ in dorso est ex adverso, septem radiis firmatæ singulæ. Anus circiter quarta longitudinis parte à cauda distat. Retro anum pinna sex radiorum.

Cui similis. Longitudo & crassities. Figura. Squamæ. Color. Barbulæ. Rostrum. Oculi. Pinnæ. Anus.

Hepar magnum, carneum: fel splendide luteum. Uterus ovis innumeris refertus.

Fundulus pisciculus inter omnes fere primatum tenet. Teneri præsertim & nuper nati in deliciis habentur, iique cum jure cocti ex eodem cum pane cochlearibus eduntur. *Gesner.* Pariunt plerunque mense *Aprili* inter ulvas altas, sed non omnes eodem tempore pariunt, unde semper fere tempestivi sunt. Capiuntur in sportis, vel retibus. E Manus. L. *Baltneri.*

CAP. XXVI.

Cobitis barbatula aculeata; aculeata vel oxyrhynchus Gesn. 482. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 30. *Germanice* Steinbisser *i. e. Dacolithus.*

Pinnarum numero, figura, situ à præcedente non admodum differt. Caput ei multo compressius & latius quam reliquum corpus: [ad latera intellige.] Dorsum fuscum, maculis nigrioribus punctatum; venter ex albo luteus. Maculæ quam in superiore ordinatius dispositæ: Sub linea punctata unus ordo majuscularum. Cauda rotunda, quatuor aut quinque lineis transversis nigris per intervalla distincta. Squamæ admodum exiguæ. Oculi cuticula tecti. Cirri in maxilla superiore utrinque duo, minores quam in priore. Inter oculos & rostrum [in branchiarum operculis *Rondel.* & *Bellon.*] aculei utrinque duo, seu uncus utrinque bifidus, quibus inter lapides se promovet.

A præcedente differt 1. figura corporis latiore magisque compressa. 2. Barbularum numero; nam hæc quatuor tantum habet, cum illa sex. 3. hamulis juxta oculos.

Aliam insuper *Cobitidis* barbatulæ speciem vidimus, cui os octo vel

 decem

decem cirris cinctum erat. *Mandibulæ* superiori sex, inferiori quatuor innascebantur. Pariunt *Maio* & *Junio*, sunt optimi mense *Aprili* cum prægnantes ovis: parvulos lapides deglutiunt, unde audiunt *Stone-biters*. *E Baltnero.*

CAP. XXVII.

Tænia cornuta Schonfeldii, *Cobitidi aculeatæ seu* Dacolitho *affinis, si non idem piscis.*

IN *Sleia*, inquit, pisciculus capitur, vix palmum longus, aut paulo plus, planus, toto corpore valde compresso, transparente, ejusdem fere à capite ad caudam usque latitudinis, ad quam longitudo octupla est. Dorsum & caput nigricant, hinc à branchiis ad caudam rectus ductus pulli coloris descendit, infra hunc alius quindecim vel sedecim punctis nigris distinctus; ab hoc venter obscure albicat. Os parvum est, superius rostrum ultra inferiorem maxillam vel mentum prominet, idque recipit & claudit pyxidis modo. Oculi parvi sunt, sub quorum anteriore parte utrinque enatum habet corniculum seu aculeum candidum, binis apicibus horrentem, quorum qui prior brevior est, uterque acutissimus.

Pinnas habet sub branchiis duas, sub ventre medio totidem, ab umbilico unam, omnes albicantes; in dorso unicam brevem, (quæ ventris pinnis ex adverso respondet) nigris maculis pictam; hinc caudam eodem modo variatam, mucronatam. Squamis caret.

Ob corporis figuram *Tænia* cornuta vel aculeata dici potest, donec commodius nomen inveniatur.

Piscem hunc Cobitidi *aculeatæ subjunximus, quia & magnitudine & aculeis sub oculis cum eo convenit. Quin & piscatores* Slesvicenses Dacolithum [*Steinbicker*] *hunc etiam appellant.*

CAP. XXVIII.

Cobites fluviatilis Rondeletii Gesn. 479.

DIgitali est magnitudine, rostro satis prominente. Corpus flavescit, & maculis nigricantibus notatur: Subrotundum est & carnosum. Pinnæ ita se habent ut in reliquis hujus generis. Carne est humida & viscida. Si in aqua sordida & cœnosa nutriatur pinguescit, sed multo insalubrior redditur. Piscis quem *Ryserle* nostri vocant (inquit *Gesnerus*) si non hic est, ab eadem tamen similitudine [cum *Gobione* fluviatili *Ausonii*] sic & ipse vocari poterit. Digiti longitudinem parum excedit, colore per dorsum è cœruleo virescente, per latera & ventrem candido. In *Silo* torrente ad urbem nostram capitur, circa lapides, & ex eo *Limagum* amnem ingreditur, inter lautos pisciculos habitus.

Pisciculus hic adeo breviter & obscure tam a Gesnero *quam* Rondeletio *descriptus est, ut nesciamus plane an a reliquis omnibus supra scriptis specie distinctus sit necne.*

CAP. XXIX.

Phoxinus ſquamoſus major, Bambele Tigurinorum Geſnero, *An* Riemling *Argentinenſium?* Geſn. 844.

PIſciculus eſt tres aut quatuor digitos longus: ſex quidem digitis longiorem non vidi. Caput ei craſſiuſculum pro ſua magnitudine, nigricans: iris oculorum crocea, qui color etiam ad pinnarum initia omnia ſpectatur, in pinnæ dorſi quoque initio in majoribus & adultis. Pinnarum ad branchias articulus veluti carunculam quandam habet, in aliis parum, in aliis valde croceam, in aliis (ſi bene memini) rubentem, pro ætatis ratione, & ſexus differentia; fortaſſis & aquarum & regionum in quibus degunt. Squamas habet albicantes. Linea fuſca oblique à capite ad caudam fertur. Pinna in dorſo medio unica eſt, binæ ad branchias; totidem in medio ventre, alia poſt anum. In principio caudæ macula atra notatur, & aliis minoribus ſingulis ad initia pinnarum utrinque. Dorſum & latera nonnihil flaveſcunt. Sapor in cibo ſubamarus. Reperiuntur in fluentibus ſolum aquis, ut audio, non etiam in lacubus & cœno, ut læves, quos è rivis lacus & flumina majora ingredi diximus. Hactenus *Geſnerus*.

CAP. XXX.

Bubulca Bellonii, *Alburno* Auſonii *cognatus piſciculus* Geſneri *judicio.*

SOrdidus admodum & vilis eſt piſciculus, *Gallico* vulgo à reipſa *Bouviera* nuncupatur, aliis *Peteuſe*, etymologia à bombis obſcœnis tracta.

Piſcis eſt Sequanæ alumnus, non tamen uſquequaque frequens, ut qui non ſemper appareat, nam quomodo Verones piſciculi nuſquam Auguſto, *Septembri* aut *Octobri* tibi aut ſaltem raro apparebunt, ſic *Bubulca* ſero in conſpectum venit, plurima vere capitur.

Bremmam ac *Caſtagnolam* marinam toto habitu æmularetur, niſi corpore eſſet minimo: planus enim & latus eſt: ſed & argenteo nitore refulget, atque orbicularem magis habet formam, quam in longitudinem protenſam. Trium digitorum longitudinem non excedit, neque ſeſquidigitalem latitudinem. Soli objecta nigri nihil habere comperitur quam in linea quæ ſpinam comitatur ad caudam. Parvam in tergore gerit pinnulam: oculorum pupillam omnem nigredinem ſuperantem. Squamis tegitur magnis & latis. Carneum quiddam ut *Cyprinus* in fornice palati oſtendit: branchias utrinque quaternas ſimplices: pinnas ad branchias binas, & ſub ventre totidem: caudam bifurcam. Ore eſt parvo, dentibus vacuo. Piſciculos iſtos reſpui credo propter fellis magnitudinem, quod vix poſſint exenterari quin eorum fellis veſica diſrumpatur; quo per totum corpus diffuſo plurimum amari in veſcendo ſentiuntur. Id autem ſub hepatis lobo dextro coloris ſmaragdini, magnitudine piſi continetur. Folliculum vento plenum in utero geſtat, geniculo interceptum, lienem ſtomacho inhærentem rubrum atque orbicularem. Hujus etiam inteſtina multis in gyrum revolutionibus & anfractibus circumvoluta ſunt. Hæc *Bellonius*.

CAP. XXXI.

Varius sive Phoxinus lævis Aldrov. *lib. cap.* 10. *Pisciculus varius è Phoxinorum genere* Rondel. Gesn. *p.* 843. A Pink *or* Minim *or* Minow.

Pisciculus est *Gobio* fluviatili duplo minor, corpore teretiusculo, oblongo, trium scil. digitorum. Color in dorso olivaceus obscurior. In utroque latere lineam habet auream à capite ad caudam ductam, medio dorso quam imo ventri propiorem: infra quam in lateribus & ventre color admodum variat; in nonnullis etenim totus venter à capite ad caudam usque, tum & inferior maxilla, coccineo colore nitent; in aliis venter totus albet: nonnulli insuper in utroque latere cæruleo splendente colore imbuuntur: in aliis latera ejusdem sunt coloris cum dorso, vel potius tribus variantur lineis secundum longitudinem ductis, superiore aureo, medio obscure cœruleo, inferiore iterum aureo. Pinnam habet in dorso unicam, infra medium longitudinis, nervis instructam octo: caudam forcipatam: retro anum pinnam radiis itidem octo. Quæ ad branchias sunt pinnæ radios singulæ obtinent quatuordecim aut quindecim; quæ in medio ventre octo. Squamas habet sed minutissimas, ut visum pene effugiant, unde à plerisque ichthyographis lævis dictus est; barbulas nullas, nullos dentes; oculos mediocres, iridibus dilute flavis; os satis amplum; vesicam aeream bipartitam; hepar rubrum; cystin felleam felle flavo pellucido repletam, appendices nullas, intestina semel duntaxat reflexa.

Italis sanguinerola à colore, ut puto, dicitur; & *Fregarola* quia (ut existimat *Aldrovandus*) frigi oleo vel butyro soleat. *Gallis Veronus* (quasi *Varius*) teste *Bellonio*, non ab re dicitur. *Germanis* tam variis in diversis regionibus nominibus innotescit quam variis ipse coloribus pingitur, ut facete *Rondeletius*, quorum catalogum videsis apud *Gesnerum* p. 845. *Turnerus Aristotelis Phoxinum* esse *Menovam* nostram *Bellonio* non concedit, quia nunquam in περιμύνδοις fluviorum & lacuum circa arundineta parit, sed semper in saxosis vadis aut sabulosis, ubi rapidiores sunt aquæ decursus.

Phoxinus lævis major Glat Bambel *Argentinæ & Tiguri.*

Pisciculus hic *Glat-Bambel* dicitur à *Glatto* flumine & *Bambela* h. e. *Phoxino*, composito nomine.

CAP. XXXII.

Piquitinga *Brasiliensibus* Marggrav.

Pisciculus est 2 aut paulo plus digitos longus, figura pene ut *Parabucu*, à quo non multum differt. Os habet parvulum, sed quod ample aperire ac rotundare potest: oculos satis magnos nigros, circulo argenteo: branchias amplas: pinnas 6, & 7^am^ pro cauda: nimirum duas postbranchiales, triangulares, inferius positas: duas junctas in medio infimo ventre: unam triangularem in medio dorso: unam post anum.

Cauda

Cauda conſtat pinna furcata. Color capitis argenteus ſplendens, ſuperius olivaceo imbutus. Tegitur ſquamulis albis, in dorſo tamen olivaceus color tranſlucet. Per utriuſque lateris medium tendit linea recta, lata, argentea, ſplendens uſque ad caudam. Pinnæ omnes albæ. Differt à *Piabucu*, quod ille paulo major evadat, & linea illius lata non ſplendeat, cum reliquum corpus ſplendeat, quod in hoc contrario modo ſe habet. *Piabucu* etiam pinnam habet in dorſo prope caudam, qua hic caret.

CAP. XXXIII.

Guaruguaru *Braſilienſibus* Marggrav.

PIſciculus eſt minutus, nunquam major ſeſquidigito; exili corpore, oblongo, inſtar minimi Phoxini. *Eldriz.* Capitulum habet compreſſum: ocellos nigerrimos circulo aureo: pinnulas 5. nimirum duas poſtbranchiales, & duas ſubtus fere in infimo ventre; & unam in poſteriori medietate dorſi. Cauda conſtat pinna parallelogramma, in extremitate circinata. Veſtitur ſquamulis; & totum caput ſuperius & dorſi anterior medietas ſunt fuſci coloris, poſterior & latera aurei, ſquamulis umbratis *umbra: terram umbram dictam intelligit.* Caput inferius & venter albi ſplendentis, ut mater perlarum: pinnulæ flavæ. Prope caudam utrinque maculam habet nigram. Edulis eſt, & capitur in lacubus & ſtagnis.

CAP. XXXIV.

Piaba *Braſilienſibus* Marggrav.

MAgnitudine eſt noſtratis *Eldrize* [Phoxini] 2 aut 3 dig. longus [interdum 4 aut 5 quando maximus] ocellos habet nigros circello aureo. Squamulis veſtitur. In medio dorſo pinnula erecta triangularis: poſt quamlibet branchiam unam habet oblongam; duas in medio infimo ventre, & poſt has unam, quæ ad caudæ exortum protenditur. Cauda eſt furcata. Caput ad latera auro & argento ſplendet: totum dorſum argenteo viridi & multo *Indico*; medium laterum ſecundum longitudinem argenteo & *Indico* mixtum. Venter aureo & argenteo & pauco *Indico*. Poſt quamlibet branchiam maculam habet rotundam ſatis magnam *Indici* coloris, & ſtatim poſt hanc ejuſdem coloris maculam lunæ corniculatæ figura; ejuſdemque coloris oblongam in quolibet latere ad caudæ exortum. Pinnæ omnes & cauda aurei coloris; quæ in infimo ventre rubræ. Capitur in omnibus fluviis dulcibus currentibus *Braſiliæ*, ac ſumma vi contra aquæ curſum nititur. *Braſiliani* involvunt foliis arborum & cineribus condunt, deſuper ignem imponentes: ſic præparatos comedunt. Saporis ſunt haud contemnendi.

LIBER QUARTUS

SECTIO V.

PISCES

ſpinoſi quibus pinnarum dorſalium radii aliqui aculeati ſunt.

MEMBRUM I.

Piſces aculeati duabus in dorſo pinnis, anteriore autem ſpinis radiata.

CAP. I.

Lupus Rondeletii, Bellonii, Salviani Geſneri, Aldrov. Venetiis *Broncini*, Romæ *Spiegola*. Anglice *A Baſſe*.

LUpus quod ob voracitatem Lupo ſimilis ſit terreſtri, dicitur. In miram *magnitudinem* accreſcit in ſtagno marino [*Volcarum* intellige.] Vidimus enim aliquando tricubitalem, inquit *Rondeletius*. Ex oceano libras quindecim nonnunquam pendere viſum eſſe, ſcribit *Bellonius*. *Figura* corporis Truttæ aut Salmoni non multum diſſimilis eſt: *Colore* in dorſo ex cæruleo fuſco aut nigricante, in ventre argenteo. In dorſo & lateribus ſupra lineas media latera percurrentes punctis nigris cum adhuc minor eſt varie aſpergitur, quæ in adultis & grandioribus penitus obliterantur & evaneſcunt. *Squamæ* mediocres, denſæ, arcte adhærentes. Juxta pinnas branchiales utrinque ſpinæ duæ breves; ad branchiarum angulos una, ſed major & longior. Os branchias operiens medium ſpinulis ſerratum; ultra angulum duobus tribuſve dentibus majoribus. Rictus oris amplus: Maxillæ denticulis admodum exiguis aſperæ. Summo palato tuberculum aſperum triangulare ineſt, imo juxta ventriculum duo ſubrotunda. *Lingua* lata, tenuis, oſſiculo medium percurrente aſpero. In inferiore maxilla foramina quatuor. Nares duplices. *Oculi* cute arcte adhærente tecti, grandiuſculi: irides argenteæ, fuſcis aliquot nubeculis ſuffuſæ, circello pupillam ambiente luteo. *Branchiæ* hinc inde quatuor; ſingulæ exterius caruncularum pectiniformium, interius tuberculorum ſerie donatæ.

Magnitudo. *Figura.* *Color.* *Squamæ.* *Dentes.* *Lingua.* *Oculi.* *Branchiæ.*

Pinnæ

Pinnæ.

Pinnæ in dorſo duæ, anterior novem ſpinulis radiata, quarum prima breviſſima, media altiſſima: poſterior radiis tredecim, primo rigido & ſpinoſo, reliquis flexilibus inſtructa. In imo corpore retro anum pinna una, radiis quatuordecim; quorum tres anteriores ſpinoſi, primus breviſſimus, ſecundus primo, tertius ſecundo longior; quo tamen duplo altior eſt ei proximus, flexilium primus. Pinnæ branchiales ſingulæ radios quindecim molles obtinent: ventrales ſex, quorum primus ſpinoſus. *Cauda* nonnihil forcipata.

Cauda. Viſcera & inteſtina.

Cyſtis fellea grandis: Lien oblongus: Appendices quinque vel ſex, nimirum ex utraque pylori parte tres, veſica aerea dorſo affixa, piſcis admodum vorax eſt; Carne tamen ſapidiſſima, & ſaluberrima. Tempeſtate calida aperto ore in ſumma aqua natare perhibentur: cumque in ſublimi natent frigoris vi mortuos ſæpe in noſtris ſtagnis reperiunt piſcatores, inquit *Rondeletius*. At ego non frigoris vehementia, ſed ob defectum aeris cum ſtagna conglaciantur Lupos interire crediderim; nam & alios piſces in ſtagnis noſtris glacie aerem intercipiente per hyberna frigora enectos novimus. Quocirca qui vivariis ſuis conſultum vellent, & piſcibus cavere ne damnum patiantur, curent oportet, ut rupta quotidie per hybernum gelu glacie ſpiracula fiant, ut piſces aere fruantur, quo iis ad vitam non minus quam animalibus terreſtribus opus eſt.

Ob aerem præcluſum glacie moriuntur.

Luporum genera duo.

Luporum duo videntur eſſe genera (inquit *Rondeletius*.) Alius enim varius eſt, teſte *Columella*, id eſt, cujus dorſum ex albo cæruleum eſt, venter candidus nigris maculis conſperſus. Alius ſine maculis, qui appellatur laneus ſive lanatus à candore mollitiaque carnis, autore *Plinio* lib. 9. cap. 17. uterque in mari, marinis ſtagnis, fluviorum oſtiis & fluviis reperitur. Non quod in fluviis naſcatur, ſed quod è mari mariniſve ſtagnis fluvios ſubeat. Nos Lupos tam varios, quam laneos i. e. ſine maculis in *Italia* ſæpius vidimus; verum non ſpecie ſed ætate tantum differre exiſtimamus; minores namque & juniores varii ſunt ſeu maculoſi, majores & adulti ſine maculis; nec enim unquam Lupum grandem varium vidimus, nec parvum non maculoſum.

Lupi qui optimi.

Luporum optimi ſunt pelagii: his ſuccedunt qui in marinis ſtagnis, tum qui in oſtiis fluminum capiuntur, poſtremo fluviatiles: humidiore enim excremento redundant. Omnium inſaluberrimi ſunt, qui in *Tyberi* inter duos pontes, qui circa *Arelatem*, aut in portu *Maſſiliæ* aluntur: illuc enim luto, ſordibus, ſtercoribus, piſciculiſque ex his alitis nutriuntur. Hinc conſtat veteres non ſemper quæ ſalubria, ſed quæ gulæ tantum palatoque lenocinarentur probaſſe, qui Lupum inter duos pontes jactatum tot laudibus efferebant. Nam ex victus ratione, lociſque in quibus piſces degunt, ſucci probitas vel improbitas colligenda eſt, ut recte docet *Galenus*. *Rondelet.*

Λάβραξ Græcis dicitur ἀπὸ τῆς ἐν τῷ ἐσθίειν λαβρότητος à voracitate. Βορὰ cibus eſt, inde fit λάβορος vorax & per ſyncopen λάβρος, unde λάβραξ deducitur. Verum de his conſule *Geſnerum*.

CAP. II.

Camuri *Braſilienſibus*, Luſitanis Robalo, Marggr.

LUpo corpore ac ore ſimilis eſt, 2 pedes longus, plus uno craſſus ubi craſſiſſimus. Caput ſeſquipedale pene: os ſemilunare, in medio paulum acuminatum, 6 digitos longum, ſed quod magis dilatare ac rotundare poteſt, ita ut circumferentia ejus fiat 13 dig. Oculos habet dupli

pli stuferi magnitudine, pupilla crystallina circulo aureo, pinnas 8, viz. 2 in dorso, priorem 3 dig. longam, & paulo plus latam, firmis spinis sustentatam, quam in rimam recondere potest: alteram huic magnitudine parem sed spinis destitutam, nec habentem quo condatur: secundas postbranchiales paulo plus 3 dig. longas; duas in infimo ventre, 4 dig. longas, 2½ latas; unam talem post anum: octavam pro cauda, quæ est furcata, 5 dig. longa, 6 lata. Squamas habet ut Carpio [*Cyprinum* puto intelligit] coloris argentei, splendentes; in dorso autem & lateribus aureus admiscetur. Venter plane albicat. Pinnæ sunt aurei coloris, quibus aliquid fusci admixtum est. In quolibet latere superius à fine branchiarum usque ad medium exortus caudæ ductam habet lineam crassam, nigram.

CAP. III.

Sphyrænæ prima species Rondeletio Gesn. *p.* 1059. *Sphyræna sive Sudis* Aldrov. *de Piscibus p.* 102 *Lucius marinus* Livorni *& alibi in* Italia.

F*Igura* Lucium fluviatilem refert, unde *Italis Lucio marino* dicitur, *Figura.*
verum pro magnitudine longior est & teretior, ad Acum piscem
accedens. *Squamis* vestitur minutioribus. *Rostrum* ei oblongum, coni- *Squamæ.*
cum, inferiore maxilla ultra superiorem procurrente, & in acutam *Rostrum.*
cuspidem desinente. Ore scil. clauso rostrum conus quidam esse vide-
tur; scissura autem oris linea in ejus superficie paraboliformis. Caput su- *Color.*
premum & dorsum usque ad lineas laterales ex fusco viride, prona pars
argentea. *Os* intus flavum: rictus amplus. *Lingua* longa & angusta, *Os, Lingua.*
perque totam longitudinem suam denticellis aspera. *Dentium* in utra *Dentes.*
que maxilla satis grandium, acutorum, situ laxiore seu rariore dispo-
sitorum ordo unus. In media inferiore maxilla dens unus, reliquis ma-
jor, in foramen quod in media superiore exsculptum est recipitur, in su-
periore autem maxilla duo extremis proximi reliquos magnitudine vin-
cunt, in extremo insuper margine ejusdem maxillæ ordo unus denticel-
lorum minimorum. Sub palato ossicula duo longa, aspera *Oculi* gran- *Oculi.*
des, iridibus argenteis, fuscis purpureisque nebulis leviter nonnun-
quam suffusis. In medio superioris maxillæ rugæ seu striæ duæ supra
rostri superficiem nonnihil eminent, oblongæ, ad se invicem acceden-
tes. Harum (ut puto) respectu *Rondeletius* Rostrum foris cælatum esse
scribit. *Branchiæ* ut in aliis piscibus quatuor, operculis amplissimis *Branchiæ.*
donatæ. *Pinnæ* in dorso duæ; anterior summo rostro quam ultimæ *Pinnæ.*
caudæ nonnihil propinquior, fossulæ in medio dorso excavatæ innas-
citur, quinque aculeis radiata: posterior una plus quarta longitudinis
parte cis caudam extremam sita, radiis mollibus seu flexilibus non ra-
mosis decem donata. *Cauda* admodum forcipata. Podex ex adverso *Cauda.*
inferioris in dorso pinnæ; pone quem pinna radiis decem munita. Pin-
næ ad branchias mediocres, radios singulæ numerant 13: quæ in ven-
tre sunt, è regione dorsalis anterioris, radios 6, omnes præter primum
ramosos. *Ventriculus* angustus, prælongus: *Appendices* ad pylorum cir- *Ventriculus.*
citer 40. A pyloro ad anum intestinum recta absque ulla reflexione *Appendices.*
porrigitur. Cystis fellea ampla, *felle* intus viridi. *Lien* oblongus. *Ve- Fel.* *Lien.*
sica aerea dorso adhærescens, per totam abdominis longitudinem ex- *Vesica aerea.*
tenditur, superiore parte bifida, membrana aliquousque secundum lon-
gitudinem dissepta.

Carnis qualitas. *Carne* est (inquit *Rondeletius*) suavi, dura siccaque, sed quodammodo friabili, & Aselli carnem utcunque referente.

Locus. Oceano deesse videtur; nullum enim ex oceano se vidisse *Bellonius* scribit, nec nos quidem hactenus vidimus.

Magnitudo. De *magnitudine* nihil certe habemus: quos nobis *Livorni* videre contigit 16 digitos longitudine æquabant.

Quod gregatim degant *Aristoteles* testatur, cui experientia ipsa consentit: semper enim una plures fere capi consuevere. *Salvianus.* Sphyræna *Græcis* à σφύρα. quæ teli genus significat deducitur, *Rondeletius. Gesnerus* σφῦραν *Græcis* Sudim sonare arbitratur, i. e. Palum acuminatum. Sudis autem à *Plinio* latine dicitur hic piscis. Utrumque nomen ab acumine rostri ei impositum, ut & κέστρα, quæ pro stimulo stylove aliquando usurpatur.

CAP. IV.

§. I. Mugil, Cephalus Rondeletii, Cephalus *seu* Mugil Bellonii Gesn. *p.* 684. *Anglice* a Mullet, *à Gallis ut videtur mutuato nomine.*

Figura. *Squama.* *Color.* F*igura* corporis Leucisco non multum dissimilis est, ventre magis quam dorso repando; rostro acuto; capite plano & depresso. Squamosus est *squamis* grandioribus, non corpori tantum, sed & operculis branchiarum & toti capiti ad nares usque innascentibus. Squamarum singularum bases & latera rectilinea, apices circulares. Dorsum ex fusco cæruleum, [potius sordide viride,] venter albus. Latera lineis parallelis nigricantibus & albis alternis, à capite ad caudam tendentibus varia: Lineæ obsuriores squamas medias percurrunt: squamæ enim in ordines secundum longitudinem corporis disponuntur. *Nares. Oculi.* *Nares* duplices. *Oculi* nulla præter proprias tunicas membrana tecti, irides argenteæ. Inter oculos & angulos oris officulum denticellis asperum. Os clausum angulum obtusum refert. Ab angulo maxillæ inferioris tuberculum prominet, qnod in foramine maxillæ superiori insculpto recipitur. Dentes in maxillis nulli; verum Lingua nonnihil scabra. A lingua ad cuspidem maxillæ inferioris cartilago rigida extenditur. Palato utrinque officulum asperum inest. *Pinnæ.* *Pinnæ* in dorso duæ: anterior paulo cis medium longitudinis, quinque spinis validis radiata: posterior pari ab anteriori & cauda distantia, radiis circiter 11 flexilibus & ramosis donata. Branchiales singulæ radios 18 obtinent, ventrales sex, primo reliquis breviore, rigido & spinoso; reliqui enim longi sunt, & in 8 ramos singuli dividuntur. Quæ ab ano incipit pinna 13 radios continet, quorum anteriores tres reliquis breviores sunt, rigidi & spinosi. Cauda forcipata. Costas intus membrana nigra ceu pleura succingit. *Ventriculus. Appendices. Intestina.* *Ventriculus* parvus, durus, rotundus, musculosus, avium granivorarum ventriculis similis. *Appendices* inferius septem. *Intestina* prælonga, & in multas spiras convoluta. Lien amplus: Fel flavescens. In cerebro lapilli. Cubiti magnitudinem aliquando superat, autore *Rondeletio.*

Cibus. Alga tantum ac herbis Mugilem vesci aiunt, vel limo. Piscibus certe omnino abstinet. Amnes subit testibus *Aristotele*, *Strabone*, *Galeno*, *Plinio.* Idem nos experientia docet; nam in *Garumna*, *Rhodano*, *Sequana*, *Ligeri* capiuntur. *Rondeletius.*

Temperamentum. Mugiles apud nostrates in pretio sunt ob suavitatem saporis: à medicis tamen in cibo graves & minus salubres censentur. Qui in locis cœnosis

cœnosis degunt, limum manifeste olent & resipiunt, experientia nostra. *Symeon Sethi* Lupum & Mugilem, temperamenti ratione & succi in hominis nutrimento similes facit. Nos (inquit *Jovius*) Cephalos omnes plenius eos in cœna comedentibus dolorem capitis (quem morbum Medici recentiores Cephalæam dicunt) post paucas horas inducere sæpe deprehendimus, maxime si ad lautiores cœnas stomachi tenuiores accesserint.

Maxima nunc gratia est Cephalorum ovis, quæ geminis folliculis circumcisa parte suminis recentibus Cephalis eximuntur, quæ *Græco* nomine passim ὠὰ τάριχα, id est, salita nuncupantur: vulgus *Botargues* appellant, *Botargo Itali*, quæ hoc modo parant. Folliculos ovorum integros exemptos sale trito asperso operiunt per quatuor aut quinque horarum spatium, deinde inter duos asseres seu tabulas ligneas opprimunt [per diem & noctem,] postea lavant, tandem tredecim aut quatuordecim diebus continuis in sole exiccant, noctu sub tectum recipientes. [Alii ad fumum suspendere aiunt, procul tamen flamma, ne vehementem calorem sentiant.] Dejectam appetentiam excitant, sitim proritant, vinique gustum jucundiorem reddunt. *Botargo.*

In lacum quendam proprie *Martegues* in *Gallo provincia* magna vis Mugilum quotannis stato tempore, nimirum exeunte vere ingreditur; ibidemque coeunt; gravidi fiunt, & in reditu ad mare capiuntur, intra sepimenta ex arundinibus facta, quæ *Burdigas* vocant, strepitu & clamore in retia compulsi. [Imo tam in adventu, quam in reditu capi aiunt.] *Novellæ* etiam tribus *Narbona* leucis remotæ ad ostium lacus Narbonensis *Burdigam* observavimus, cujus formam hic lectori exhibe- *Locus ubi capiuntur.*



mus, in qua lineæ repræsentant sepimenta ex arundinibus contextis facta. 3. 4. 5. sunt primi seu exteriores aditus. 1. 2. secundi in interius conclave ducentes: ω ingressus in intimum conclave Tinam dictum, ubi retibus manuariis capiuntur. Mugiles Mares *Allactants*; i. e. lactentes vocantur ob lac sive sperma, fæminæ *Botar*, unde *Botargo*. Circa finem *Julii* Burdigas arcte claudunt, & constringunt ad omne genus pisces capiendos.

Mugiles mares in tantum salaces esse aiunt, ut fæminam etiam in littus usque extractam sequantur. Mirum quoddam cum essem Tarenti *vidi, id referam. Pisces est quem Cephalon vocant: ejus generis mas fæminam rostro ligatam a piscatoribus filoque vinctam per undas insequitur, atque ita ardenter, ut licet tridenti multis a piscatore vulneribus acceptis feriretur, fæminam insequi nunquam destiterit, quoad tridente saucius captusque in cymbam a piscatore mortuus dejiceretur. Tanta amoris vis est, tantum in venere ipsa dulcedinis reperitur.* Gesnerus *ex Belisario Aquivivo.*

§. II. *Cestreus* Rondeletii Gesn. *p.* 650.

P*Ræter Cephalum dictum quatuor adhuc Mugilum marinorum species describit* Rondeletius, *an vero specie revera inter se differant ipse viderit: mibi certe diversas esse vix persuaserit. Cestreum vero sic describit.*

Cephalo similem omnino, imo eundem esse diceres, nisi capite esset minore & acutiore, lineasque à branchiis ad caudam ductas breviores haberet. Hepar illi ex albo rubescit, sed aqueum est. Caro mollior, laxior, minus candida, minusque pinguis quam Cephalo. Gulam habet. In appendicem longam definit ventriculus, cum intestinis semper inanis. Lapides habet in capite.

§. III. *Myxon* Rondeletii.

CEstreo omnino similis est sed magis mucosus, capite minus acuto, carne magis glutinosa. Easdem partes internas habet quas Cestreus. Hunc etiam piscem Bacchum vocatum fuisse ait; fortasse quia caput quodammodo rubescat circa labia & branchiarum opercula, soleantque bacchos ebriosos vocare, vel quia natando huc & illuc temere feratur ebriosorum more.

§. IV. *Chelon* Rondeletii.

PIscis est Cephalo similis, capite paulo minore, oculis prominentioribus, sine pellicula illa molli, velut pituita concreta, quam veluti palpebram habet Capito. Lineas nigricantes à branchiis ad caudam æqualibus spatiis distantes, protensas habet, unde *Vergadelle* à quibusdam vocatur. Labra crassa, spissa, prominentia, unde χελὼν & Labeonis nomen. Partes internas Capitoni similes habet, nisi quod Capitonis fel magis flavescit.

Limo vescitur, nec admodum pinguescit, ut *Cestreus*. Quamobrem *jejuni* epitheton non solum *Cestreo*, sed etiam reliquis Mugilibus convenire potest. Omnes enim à carne abstinent.

§. V. *Mugil niger* Rondeletii.

UNdis nostris incognitus est, & rarus admodum piscis (inquit), squamosus, Mugili corporis specie valde similis; sed totus ater, lineasque nigras à branchiis ad caudam productas habet: eam ob causam Mugilem nigrum vocavi. Maxillam inferiorem valde diductam habet; ob id valde hiante est ore. Septem octove aculeos in dorso gerit, à sese discretos, nullaque membrana connexos, quos pinna parva sequitur.

Portium Pisis hunc piscem sibi depingendum dedisse scribit *Rondeletius*.

§. VI. *Mugil quidam* Americanus, *Pastor*, Belgis Harder Marggrav.

PIscis est mediocris Truttæ magnitudine, cujus & figuram habet; oculis ellipticis, squamis albicantibus seu argenteis, mediocribus, instar Percæ lineari ordine dispositis, & inter ordines squamarum lineæ gryseæ mediæ sunt intertextæ. Pinnas habet 7, omnes majusculas & longas; duas nempe post oculos (caret enim branchiis) duas sub his junctas in inferiore corpore, his oppositas, magis tamen versus posteriora: in summitate dorsi unam maximam omnium: in infimo ventre circa anum unam, & itidem unam illi oppositam in dorso. Cauda in duo ampla cornua divisa est. Pinnæ omnes sunt albicantes.

Piscem hunc branchiis carere ne jurato credam, nullum enim præter cetaceos hactenus piscem vidi, nec puto unquam visurum esse, qui branchiis caruerit. Verum Autor noster branchiarum nomine, ut video, ubique vel opercula, vel aperturas branchiarum intelligit, quas forte hic tales non habet quales alii plerique squamosi pisces: at nulla omnino spiracula vel foramina branchiarum habere non magis credam, quam nullas omnino branchias. Proinde piscem hunc non alium esse opinor quam Mugilem quendam, siquidem in Mugile opercula branchiarum squamosa sunt, non ex laminis osseis composita, ut in aliis piscibus.

§. VII.

§. VII. Curema *Brasiliensibus*, Tainha Lusitanis Marggrav. *Mugilis species major.*

AD duorum pedum longitudinem excrescit. Descriptio reliqua per omnia fere convenit cum nostra Mugilis descriptione; duntaxat observavit labium oris superius conspicuum, mobile; inferius triangulare obtusum, reductum & paulo brevius superiore: oculos magnos, iridibus argenteis.

§. VIII. Parati *Brasiliensibus* Marggrav.

PRæcedenti per omnia similis est excepta magnitudine, & quod circulum aureum habet circa oculos. Carne est ficciore.

CAP. V.

Guacari *Brasiliensibus* Marggr.

SUbrotundo seu pyramidali est corpore, pedalis vel paulo majoris longitudinis: 8 dig. crassitiei ubi maximus est. Caput inferius planum, lateribus ellipsin describit; superius subrotundum. Os parvum, rotundum, habet subter in plano capitis: loco dentium in utroque latere processus habet, quasi setis equinis factos: inferius labium explicatum, lunatum, membrana constans, quæ in lateribus oris in suis extremitatibus in cirrum definit, trientem digiti longum, qui cirri pro barba serviunt. Oculi parvi, rotundi, nummi *Misnici* magnitudine, cinerei, fusco maculati, superne positi, & inter quemlibet foramen distans ½ dig. ab oculo versus anteriora. Branchiæ angustæ, inferius versus & ante quamlibet proxime corpusculum parallelogrammum, semi fere digitum longum, quod extendere & recondere potest, ut reconditum vix videatur. Continet illud corpusculum in extremitate denticulos acutos setaneos; quibus alios pisces pungit. Et post branchias in quolibet latere inferius ad planum triangularem quasi pinnam 4 digit. longam pene, plus uno latam, oblongam, spina ossea in extremitate laterali sustentatam, & aliis minoribus secundum longitudinem discurrentibus. Spatio autem 1½ dig. versus posteriora directe post has jam descriptas, iterum duas inferius pinnas habet quadratas, in quolibet latere unam, 2½ dig. longas, 2 latas, eodem modo spinis hispidis osseis sustentatas. Post anum in infimo ventre angusta est pinna, parallelogramma, 2 dig. longa. In medio dorso pinna est 4 dig. longa, 2 lata, spinis hispidis ordine dispositis sustentata, ac anterius spina dura crassiore fulta; post hanc prope exortum caudæ superius parva quædam est pinna membranosa, quæ anterius corniculata spina fulcitur. Cauda constat pinna 3 dig. longa inferius, 2 superius bicorni, spinis firmis suffulta. Totum caput testa vestitur dura, ad tactum hispida: totum corpus squamis triangularibus, versus anteriora majoribus, ordine positis. Sunt autem squamæ omnes ad tactum asperæ quasi exsculptæ, quælibet in sui medio extuberantiam habens: scil. totum corpus loricatum est, & quælibet pars loricæ habet 4 angulos, & in quolibet existit tuberculum, ita ut in quolibet latere sit quadruduplex ordo tuberculorum. Color totius croceus dilutus, in ventre saturatior,

ac per totum maculatur maculis rotundis, magnitudine seminis sinapi, fuscis. Maculæ hæ in lateribus & pinnis paulo sunt majores, in capite minores, ac in summitate capitis maculæ ruunt quasi rivuli. Posterior medietas ventris nullas habet maculas. Pinnæ omnes ut corpus coloratæ ac maculatæ, excepta pinnula prope caudam, quæ constat membranula nigra, corniculata autem illius spina crocea est, & maculata ut reliquæ.

Diu vivit extra aquam ad 5 horas. Editur defracta lorica, sed paucam habet carnem. Intestina longissima, æqualis omnia crassitiei, instar crassioris fili quo vela consuunt. Habebat unus piscis 15 dig. longus intestina 28 pedes longa.

Reperitur & hic *Guacari* magnitudine & figura plane similis priori, qui in flumine *S. Francisci* capitur, solo colore differens & bonitate carnis: est enim totus umbræ coloris obscuri, & per totum maculis respersus obrotundis nigris, seminis sinapi magnitudine. Caro hujus boni est saporis.

CAP. VI.

De Cuculo pisce in genere.

CUculos in genere voco, quotquot pinnis branchialibus duos tresve cirros subnexos habent, quos digitos vocant; nam digitos hosce notam hujus generis maxime characteristicam facio. Sunt autem & aliæ præterea insignes notæ, & prope peculiares, quibus ab aliis piscium generibus differunt, viz. vocem seu sonum aliquem edere. Hinc *Latinis* Cuculi dicti sunt, à voce quam edunt Coccygis simili, *Anglis Gurnards* à grunnitu, quod suis more grunniant, & *Curres* à vocis sono; una etiam species *Piper*, id est fidicen appellatur à voce tibiæ æmula. Præterea omnes ad branchias pinnas habent prægrandes & cutaneas, quibus etiam aliqui ad volandum abutuntur. Tandem omnes capita habent prægrandia ossea, quadrata, unde *Italis* fortasse *Caponi* dicti sunt. A capite autem corpus sensim in angustissimam caudam tenuatur.

Pisces hujus generis variis nominibus insigniuntur; alii enim mulli imberbes dicuntur, alii Coraces, alii Cuculi in specie, alii Hirundines, alii Lyræ, alii Milvi.

CAP. VII.

De Cuculorum variis speciebus.

§. I. *Mullus imberbis* Rondeletii, *potius Cuculi species.*

PIscis est marinus, rarus, Hirundini & Milvo corporis figura similis, colore magis rubro: Capite magno, stellulis cælato: oculis magnis: ore parvo, cujus pars interna cinnabaris colore est, ut in *Hirundine*, sine dentibus. Os branchias operiens in aculeos terminatur, ad caudam spectantes. Ad branchias pinnæ sunt duæ rubræ cum appendicibus aliquot, ut in *Hirundine* & Cuculo diximus, in ventre duæ aliæ. Cute aspera contegitur, & rubra in dorso & lateribus; nam ventre est candido,

ad

ad quem à dorso lineæ multæ ductæ cernuntur. A capite ad caudam dorso medio duo sunt acutorum officulorum ordines cavum efficientes: è cujus medio pinna rubra aculeis constans erigitur, cujus pinnæ aculei parum serrati videntur; id quod in nullo alio pisce præterquam in eo qui Sagittarius dicitur comperi: quanquam *Anthiæ* idem tribuant veterum Scriptorum nonnulli. Sequitur alia pinna velut è mollioribus pilis constans. Cauda rubra est, *Scorpionis* caudæ similis. Ventriculum parvum habet cum appendicibus multis & longis. Denique partibus omnibus internis Mullo barbato similis est. Carne est dura siccaque.

Piscis hic è genere Cuculorum est, quantumvis Rondeletius *eum Mullis accenset. Differt a Cuculo* Aldrovandi *sive Gurnardo rubro nostratium, aculeis pinnæ dorsi serratis, & lineis a dorso ad ventrem ductis.*

§. II. *Mullus asper* Rondeletii.

CORpore est brevi, terete, digiti magnitudine, colore minii, vel valde purpureo. Capite, branchiis, pinnis Mullo proxime descripto similis, sed squamas habet parvas, serratas, oblique sitas. A capite ad caudam lineam ex squamis contextam. Pinnarum quæ ad branchias sunt color est varius: nam parte exteriore candidæ sunt, parte interiore ex viridi nigrescunt, quemadmodum Milvi pinnæ. Ventriculo est parvo cum appendicibus paucis. Hepar habet candidum sine felle, longius quam in aliis hujusmodi piscibus: Lienem parvum ex rubro nigricantem: Branchias quaternas duplices. Carne est dura siccaque à Cuculi carne non differente.

Et hic quoque proculdubio Cuculis annumerandus est.

§. III. *Gornatus seu Gurnardus griseus.* The grey Gurnard. *An Hirundo* Aldrov?

TEnuior & longior esse videtur quam vel Hirundo *Aldrov.* vel Cuculus. Dorsum ei sordide viride, depictum lituris nigris interdum, sed maculis punctisve vel luteis vel albidis semper. *Linea* punctata eminentior & asperior in hac quam in aliis speciebus. Sub linea latera dilutiora, & crebrioribus maculis albidis varia. Venter imus ut in plerisque piscibus albus. *Caput* grande, minus tamen quam in hujus generis reliquis, laminis osseis contectum, quarum suprema, quæ summum caput seu verticem munit, retro occiput in duo cornua acuta & spinosa procurrit. *Rostrum* quoque bicorne, cornu utroque 4 vel 5 spinulis seu denticulis munito. Ad anteriorem oculi canthum geminæ spinulæ retrorsum spectantes oculo superimminent. *Os* amplum. Maxillæ denticellis minutissimis asperæ. Palatum insuper summum & imum, & radices linguæ denticellis ejusmodi asperæ. *Oculi* grandes, iridibus argenteis, fuscis quandoque nebulis suffusis. Ad superiorem aperturæ branchiarum angulum supra pinnas squama ossea habetur, quæ in spinam validam retrorsum spectantem exit. *Operculis* quoque *branchiarum* geminæ hinc inde spinæ, altera longa, valida, retrorsum spectans, altera exigua & brevis ad angulum, innascuntur. *Pinnæ* ad branchias in hac specie minores sunt quam in *Hirundine* aut Cuculo; alias pinnarum numero, situ, figura, radiis cum iis convenit, nisi quod plures radios in pinnis dorsi & ani obtineat. Sulci medio dorso insculpti margines utrinque squamarum ossearum serie muniuntur, quarum media pars in dorsum denticulatum assurgit; denticuli autem minores sunt quam in aliis.

Figura. Color. Lineæ latera percurrentes. Caput. Rostrum. Os, Dentes, Oculi. Branchiarum opercula. Pinnæ.

Hepar non grande, pallidum, bifidum, cui appenditur vesicula fellea *Viscera & intestina.*

lea oblonga: Lien oblongus, rubicundus. Pyloro adnatæ appendices ventriculo hinc inde incumbunt quatuor, oblongæ, non tamen inter se æquales. Vesica natatoria grandis, turgida, bifida, non tamen brachiata. Intestina ad diaphragma fere reflectuntur. Renes magni, longi, è quorum extremitate ureter exit, cui appenditur vesica urinaria parva non procul ab orificio excrementorum.

Locus. Frequens est in Oceano *Britannico*, unde & *Meridionalibus Anglis* Gurnardi grisei nomine passim notus. Miramur eum inter tot Cuculorum, Hirundinum, Coracum, Lyrarum & Mullorum imberbium species à *Rondeletio* descriptas non inveniri.

§. IV. *Corax seu Corvus* Rondeletii, Gesn. *p.* 356.

PIscem hunc suis *Cabote* à capitis magnitudine dictum scribit, *Romanis Gallina*.

Piscis est marinus, corporis forma Milvo similis, aculeorum, pinnarumque magnitudine discrepans. Ossa branchias integentia cælata in aculeos desinunt. Pinnæ quæ ad branchias minores quam in Hirundine, majores quam in Milvo sunt, ex viridi nigricantes parte interiore, exteriore albescunt, cum maculis rubescentibus. Dorsum ex cæruleo nigricat, latera rubescunt. Venter lactei est coloris. Caput est magnum, locus inter oculos cælatus. In dorso virgas ex officulis contextas, instar Cuculi habet: in eodem pinnas duas, prior est brevior cum aculeis longioribus acutioribusque. Linea simplex à capite ad caudam ducta est. Palato minus est flavo quam Milvus. Ventriculum parvum habet cum multis appendicibus, intestina tenuia, hepar ex albo rubescens.

Si piscis isthic a sequente specie differat, mihi certe incognitus est.

§.V. *Hirundo* Aldrov. *p.* 136. & 137. Cornubiensibus The Tub-fish.

Caput. Figura. Squamæ. Color. CApite est magno, osseo, angulo so, aculeis munito; à capite sensim gracilescit ad caudam usque, quæ valde tenuis est. *Squamis* exiguis tegitur. Dorsum sordide virescit: Latera inferius dilute rubescunt: venter infimus albet. Inferius pinnarum par, pinna anum sequens, & cauda dilute rubent. Lineæ laterales minime bifurcæ ad caudam, quo à Lucerna differt. *Caput* à summo vertice ad os admodum declive. Lamina ossea caput summum tegens retrorsum bicornis est, utroque cornu in acutam spinam procurrente. Sub branchiarum operculis & supra primum pinnarum par squama cum spina valida. Interstitium oculorum convalle quadam excavatum est. *Oculi* ipsi grandes: pupillam aureus circulus ambit; reliquum iridis fuscum. Superciliorum margines spinosæ seu dentatæ. Mandibula superior medio crenata est, non tamen in cornua divisa, circa marginem spinis brevibus vallata. *Maxillæ* denticulis valde exiguis asperæ: in palato quoque spatium triangulare, in imo ore duæ eminentiæ ceu maculæ orbiculatæ superius, totidemque iis respondentes inferius, denticellis scabræ. Dorso pinnæ innascuntur duæ; anterior radios novem spinosos continet, quorum secundus altissimus, sequentes ordine humiliores: posterior non longe à priore radios 18, æqualis prope altitudinis omnes & non ramosos. Dorso medio secundum totam longitudinem fossula seu canalis insculptus est, utrinque spinulis vallatus, in cujus medio pinnæ existunt. Numerus spinularum ad fossulam utrinque 25. Verum hic (ut opinor) in variis piscibus varius est. Pinnæ ad branchias amplissimæ sunt, varie depictæ, summo margine cœruleo splendente; in nonnullis piscibus, versus

Capitis tegmen bicorne. Oculi. Maxillæ. Pinnæ. Canalis in dorso, & ad eum spinarum duplex ordo.

ſus fundum radii 7^{mi} & 8^{vi} maculis nigris in ſpatio ex cæruleo albicante, aſpectu pulcherrimo. Pinnarum harum radii, qui decem ſingulis inſunt, primo in duos ramos dividuntur, uterque denuo ramus in alios duos ſubdividitur, & ſic deinceps donec ad minimos ſurculos ventum ſit. Pinnis his ſubjuncti ſunt *cirri* utrinque tres, quos digitos vocant, quorum primus longiſſimus, ultimus breviſſimus. Sequuntur pinnæ in ventre duæ, radiis ſingulæ ſex donatæ, primo valido & non ramoſo. Imo ventri ab ano pinna hæret prælonga, radiis 19 communita. *Anus* autem circa mediam piſcis longitudinem ſitus eſt. *Cauda* nonnihil forcipata, radiis decem. Ventriculo piſciculi multi, ſquillæ &c. inerant. Appendices ad pylorum utrinque 5. *Veſicam* urinariam habet, & renes ingentes per totam longitudinem dorſi extenſos, in infimo ventre ſimul junctos.

Cirri ſeu digiti. *Anus.* *Cauda.* *Veſica urinaria et Renes.*

Veſica aerea miræ & inſolitæ figuræ, in tres veluti lobos diviſa eſt.

Tam in Oceano quam in mari Mediterraneo capitur. *Locus.*

§. VI. *Lucerna* Venetorum, *an forte idem cum præcedente? Milvus, ut puto,* Rondeletii.

HUic cauda minus forcipata quam Cuculo. Lineæ latera media dividentes extremo divaricantur ſeu finduntur in ramos geminos, earumque cornua tres medios caudæ radios amplectuntur. Canalis dorſi vallatur ſpinis utrinque 25. Squamis parvis tegitur. Dorſum ex fuſco cinereum eſt, latera aliquantulum rubeſcunt. Pinnæ branchiales amplæ & alis ſimiles, radiis membrana nigricante junctis. [Vidimus tamen hujus generis *Genuæ*, in quo pinnæ branchiales ad 7^{um} vel 8^{vum} radium, non procul à radicibus, pulcherrimis maculis nigris, & multis aliis minoribus cæruleis ornabantur.] Inter pinnarum paria digiti ſunt hinc inde tres, ut in reliquis.

Radii autem in pinna dorſali anteriore numerantur 10 ſpinoſi; in poſteriore 17 flexiles; in branchialibus ſingulis decem; in ventralibus ſex; in ea quæ podici ſubnectitur 15.

Piſcem hunc à ſuperius proxime deſcripto ſpecie diverſum eſſe haud libenter conceſſerim, notæ enim omnes dempta linearum lateralium divaricatione conveniunt.

§. VII. *Cuculus* Aldrov. *lib.* 2. *cap.*4. *& forte etiam* Rondeletii Geſn. 1363. The red Gurnard or Rotchet, *à* Gallico Rouget, *id eſt ruffus, dictus.*

PIſcis iſthic Hirundini *Aldrovandi* ſuperius deſcriptæ ſimillimus eſt, in nonnullis tamen ab ea differt. 1. Quod magnitudinem ejus nunquam aſſequitur, cum pedalem longitudinem raro ſuperet. 2. Quod capite ſit minore, & oculorum intervallo anguſtiore. 3. Quod toto corpore & pinnis magis rubeat, unde *Red Gurnard* & *Rotchet* Anglice dicitur. 4. Quod pinnæ ad branchias breviores ſunt & minores, nec ut in illa cœruleæ, ſed potius circa margines purpureæ. 5. Veſicæ aereæ cornua multo breviora ſunt. 6. Opercula branchiarum velut cælata, ſtriis ſeu radiis quibuſdam tanquam à centro prodeuntibus. Branchiarum etiam opercula tres habent ſpinas, duas ſimul ex parte inferiore, & ſingularem utrinque multo majorem ſuperius. Radius primus in pinnis ventralibus non diviſus eſt.

Quid differat ab Hirundine.

Bellonii Cuculus huic idem eſſe videtur: ſuis enim *Rouget* dictum ait: Romanis *Capone* dicitur, *Huncheon*, id eſt Gallus, *Belgis*; *Sehehanen Hiliglandis.*

Carnem habet duram, friabilem, albam, optimi saporis & salubris nutrimenti, unde à nostris inter lautissimos pisces habetur.

A voce, quam Coccygis similem mittit, nomen traxit. *Gurnard Anglis* à grunnitu; quod suis more grunniat, dictus videtur, quamvis non ignorem *Gesnero* à grosso i. e. crasso naso (nam *Galli* quidam *Gronau* proferunt) potius dictum credi; nam falsus est *Gesnerus* in eo quod scribit, vocabulum grunnire *Anglis* non esse usitatum. *Curres* etiam nostratibus dicuntur, à voce quam edunt, eo sono quo homo cum profert vocem *Curre*: quod ipse (inquit *Jo. Caius* apud *Gesnerum* p. 366.) aliquando in mare observavi, in uno hujus generis capto, qui quoties tetigeram erigebat spinas & *curre* sonabat.

§. VIII. *Lyra prior* Rondeletii Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 7. Genuæ Organie: Cornubiensibus The Piper, *id est*, *Tibicen.*

Color. Rostri figura. CUculum *Aldrovandi* colore refert, verum caput dilutius est & flavescens: magnitudine quoque illam superat. *Rostrum* in duo cornua lata, ceu spathas quasdam circa margines spinis vallata protenditur, qua insigni nota ab Hirundine præcipue differt. *Spinæ.* *Spina* maxima lateribus supra pinnas branchiales adhæret. Ossa frontis superciliorum aut suggrundiorum instar supra oculos prominent, & ad prominentiæ angulum spina exoritur brevis, acuta, incurva. Aculei in dorso majores longioresque quam in hujus generis aliis. *Lineæ laterales.* Lineæ laterales ad tactum vix asperæ sunt. Frons inter oculos non eodem modo concavus, seu in convallem depressus.

Pinnarum singularum situs & radiorum numerus. D. *Willughby* piscem hunc sic describit. In pisce 15½ digitos longo dorsi pinna anterior, decem spinis vallata, à summo rostro quinque digitos aberat; branchiales pinnæ 3¼; ventrales tantundem; quæ ab ano est 7. Pinnæ autem dorsi radii 18 flexiles inerant; branchialibus singulis 12; ventralibus 6, quorum primus spina valida; ei quæ ab ano est 16, primo itidem aculeato. Lamina ossea caput summum tegens ad occiput bicornis est, utroque cornu in acutam spinam procurrente. *Canalis in dorso.* *Canalem* summo dorso insculptum, in quo pinnæ succrescunt, aculeorum linea hinc inde ceu ripa terminat: utralibet autem linea aculeis 26 componitur. *Cirri tres.* *Cirros* seu digitos habet ad branchias utrinque tres. *Oculi. Nomen.* *Oculos* magnos cute communi obductos: nares tubulis parvis rotundis prominentes, ut Cuculus avis: [Sunt tamen paulo superius duo etiam alia foramina:] *Dentes.* Maxillas asperas potius quam dentatas: & in imo ore duo tubercula denticellis aspera superius, totidemque inferius: folliculum natatorium ingentem, minime dissептum: hepar parvum. In ventriculo dissecto Cancros invenimus.

Longissimi pinnarum branchialium radii ad digitos 4½ extendebantur. Puncta in utrovis latere 70 numeravimus. Cauda pisci rubra, ut & dorsum medium: Venter, pinnæ ventrales, latera. Alba.

An forte Cuculus, à naribus Cuculi avis instar prominentibus dictus est hic piscis? *Cornubiensibus* proculdubio à voce quam edit *Piper* appellatur.

Locus. In Oceano *Britannico*, inque Mari *Mediterraneo* invenitur.

Nominis ratio. Lyræ nomen huic pisci & sequenti inditum est à rostro bifurco Lyram veterum quodammodo referente.

Carnis sapore & salubritate cum congeneribus convenit.

§. IX.

§. IX. *Lyra altera* Rondeletii, *sive Cornuta* Gesn. 610.

PIscis est octagonus, squamis osseis totus contectus. Octo angulos octo efficiunt spinarum dentium serræ similium ordines. *Squamæ* rhomboides sunt, & in medio sui singulæ spinam habent validam, retrorsum reflexam. Squamarum quamvis octo ordines esse videantur, sex tantum revera sunt: nam superior & inferior ordo ob latitudinem suam, & quia duplicem spinarum seriem sustinent, minus curiose contemplanti gemini apparent. Cæterum in pisce nobis descripto supremus seu dorso proximus ordo 25 aut 26 spinas continebat; secundus 28, quarum ultimæ duodecim tricuspides; tertius 23; quartus 22; vel potius 17, nam ultimis squamis spinæ desunt, & squamæ ipsæ cum tertio ordine coalescunt. Squamas in vniversum 188 numeravimus. Figura corporis cum Cuculo convenit. [D. *Willughby* Sturioni tum corpore, tum squamis similem facit.] *Colore* rubro diluto Cuculum quoque refert. *Caput* prægrande: Oculorum pupillæ amplæ, irides aureæ. Oculorum orbitæ seu supercilia duplici spinularum serie serrata sunt. Rostrum in duas spathas seu cornua prælonga desinit, in quibus spinæ duæ perpendiculares, & superius alia quæ cum prædictis angulum acutum efficit. Medio dorso in fossula supremo squamarum ordini insculpta innascitur pinna longissima, à secunda nimirum squama incipiens, & ad quartam cis caudam squamam desinens, radiis 26. munita, summo margine, & radiis miniatis. Retro anum pinna in pari fossula infimo squamarum ordini insculpta, ad caudam proxime excurrit, radiis 19 instructa. Pinnæ ad branchias radiis 12: quæ in ventre his fere contiguæ, sex singulæ donantur. Post pinnas branchiales cirros cartilagineos articulatos seu digitos, sed duos tantum, obtinet. *Os* grande, dentium expers, verum in imo ore duo superius, totidemque inferius tubercula aspera cernuntur. Inferiori maxillæ plures adhærent *barbulæ*, verum duæ cæteris longiores & ramosæ. *Hepar* in duos dividitur lobos, coloris pallidi & fere cinerei; cysti fellea adnexa. Appendices 9 aut 10, perbreves; nobis enim nullæ visæ sunt. Nares aut nullæ aut membranis tectæ. Rostri cornibus, squamis osseis, octo spinarum ordinibus, & duobus duntaxat utrinque cirris tum à congeneribus tum ab aliis omnibus piscibus abunde distinguitur, ut prolixa descriptione non sit opus. *Venetiis* (inquit *Bellonius*) rarus aut nullus est: *Romæ* autem quotidie frequens. Et nos quidem *Venetiis* eam non vidimus quamvis quatuor menses integros ibidem commorati sumus: *Genuæ* semel & unam tantum, *Romæ* plures & sæpius vidimus.

Figura. *Squamæ quales.* *Spinarum numerus.* *Color.* *Caput, oculi.* *Rostrum lyriforme.* *Pinnæ.* *Cirri duo, utrinque.* *Os.* *Barbulæ.* *Hepar fel.* *Locus.*

Monspelii pro Remora nobis ostensa est.

§. X. *Milvus* Salviani, Bellonii & Aldrovandi *lib.* 2. *cap.* 5. *Hirundo* Rondeletii Gesn. *p.* 514. Rondine Romæ, *in* Sicilia & Melita Falcone. The flying fish.

QUem descripsi dodrantalis erat. Caput ei latum & depressum: Corporis figura oblonga, teres, posteriora versus acutior, ut recte *Marggrav*. Spatium inter oculos amplum, concavum. Totum autem *caput* crusta ossea valida seu cranio tegitur, scabro, diversicolore ex cæruleo, flavicante & obscure purpureo. Crusta hæc aliquam etiam dorsi partem contegit, & in duas prælongas, validas, dorso incumbentes spinas velut bifurcata desinit. *Squamis* duris & asperis tegitur, quarum singulæ medio in eminentiam assurgunt, proinde squamarum ordines tot lineas parallelas à capite ad caudam secundum longitudinem de-

Magnitudo. *Figura.* *Capitis tegmen osseum.* *Squamæ*

Color. *Oculi.* *Branchiarum opercula.* *Os, Dentes.* ductas exhibent, cum spatiis intermediis. *Color* dorsi idem qui capitis, sed nigrior nonnihil & sordidior. *Oculi* grandes, iridibus flavis, minio obiter tinctis. Opercula *branchiarum* crustacea in longam & acutam spinam ultra utramque pinnam procurrentem exeunt. Spinæ hæ exteriore sui margine serratæ sunt. *Os* parvum, inferius situm. Maxillæ granulatæ potius quam dentatæ. Inferior pars palati & lingua miniatæ.

Pinnæ. Prona pars piscis planior est & alba, rubore diluta. In dorso *pinnas* gerit duas, anteriorem radiis quinque non ramosis instructam, quorum primus altissimus, reliqui ordine breviores: posteriorem altiorem, radiis 8 non ramosis, membrana tenui connexis, maculatis. Inter has pinnas medio dorso spina brevis innascitur. Cauda forcipata, maculosa, cujus basi squamæ duæ insigniores incumbunt. Inter hanc & anum pinna sex radiorum membrana tenui intercedente. *Alæ seu pinnæ quibus ad volandum abutitur.* Pinnæ branchiales, seu alas mavis dicere, ad caudam usque protenduntur, suntque velut geminæ utrinque: Alas enim antecedit sex radiorum pinnula, humili membrana alæ adnexa. Alæ supina parte sordide olivaceæ sunt, circum oras maculis rotundis cæruleis pulchre depictæ; in medio partis posterioris maculis majoribus fuscis & cæruleo-albidis; versus fundum seu exortum, inter radios lituris oblongis cæruleis. Quatuor anteriores radii simplices sunt & breviores, proximæ 15, binæ ab eadem origine, alternatim albæ & obscuræ in parte inferiore. Sequuntur 8 vel 9 breviores. Pinnæ duæ in medio ventre longæ satis sed angustæ, radiis quinque. Radii vero, (quod in primis notandum est) neque in his, neque in alis ramosi sunt, præter Hirundinum & Cuculorum dictorum normam.

Ventriculus & viscera. *Ventriculus* ei amplus: Appendices complures. Duo corpora carnosa, testiculis similia ad septum transversum observavi, dorso adnexa, quæ ego vesicas aereas judicaverim. Jecur grande, cystis fellea in pisce dissecto mihi non conspecta, eam tamen deesse non ausim asserere.

Caro qualis. Hirundo (inquit *Rondeletius*) carne constat dura siccaque, quæ multum nutrit sed difficile concoquitur. Hinc diutius servata tenerior fit & melior.

Volatus. Quatuor cubitis extra summam aquam piscem hunc eminentem in *Gallico* litore maris interni vidi ad jactum lapidis volare. *Gillius.* Quod extra aquam volet *Rondeletius* se oculatum testem esse scribit. Volat (inquit *Marggravius*) hic piscis super aquas instar Hirundinis, per spatium quantum sclopeto pertingi potest: nimirum usque dum siccescant alæ, tunc enim iterum aquæ se immittit alas humectandi gratia, & iterum volat. Natura alas huic pisci dedit, ut salvare se possit, dum hostis ejus *Dorada* magna caterva ipsum persequitur. Sæpissime mille eorum simul volantes vidi in Oceano *Tropicis* interjecto. Interdum etiam volando incidunt in naves, ut nobis etiam factum memini. Caro cocta boni est saporis.

Locus. In mari *Mediterraneo* plurimi habentur, nos eum *Romæ* in *Italia*, inque *Sicilia* & *Melita* insulis venalem vidimus. In *Oceano* etiam non minus frequens est, ut testatur *Marggravius*; verum calidiores plagas sectatur, Septentrionales fugit, nostris undis incognitus: unde à curiosis in museis asservari solet, & pro raro spectaculo ostendi,

Alga & aliis quisquiliis marinis vivit; juxta promontorium *Bonæ spei* navigantibus in *Indiam* Orientalem magna copia se offerunt hi pisces, & quandoque in naves sponte decidunt, noctu præsertim. *Wormius.*

CAP.

CAP. VIII.

§. I. *Mullus.* Bellonii, *Mullus barbatus* Rondeletii, Gesn. 667. Aldrov. 122. Barboni *Venetis*, Triglia *reliquis Italis & Siculis.*

Magnitudo. *Figura.* LOngitudine est semipedali & interdum dodrantali; Capite ad latera compresso, à vertice ad os valde declivi: corpore crassiusculo, dorso non cultellato sed plano. A summo capite, ubi crassissimum est, ad caudam usque sensim angustatur, obelisci fere in modum. *Squama.* *Squamis* integitur amplis, [serratis *Rondel.*] facile deciduis, *Color.* *colore* sordide flavicante aut olivaceo. Desquammato latera rubent, ac si minio vel rubrica tincta forent, unde piscis ipse *Rouget* Gallis dicitur.

Lineæ in lateribus. Puncta lineas latera media dividentes componentia pulcre stellata sunt aut ramosa. *Oculi.* *Oculi* in summo capite siti præter tunicas proprias laxa membrana obtecti; irides argenteæ interdum purpurascunt. *Barbulæ.* *Barbulas* habet geminas sub mento prælongas, quæ in cavitate sub mandibula inferiore inter branchiarum opercula reductæ latitant. *Dentes.* *Dentes* nulli, verum maxilla inferior limæ in modum aspera. Summo palato duo ossicula insunt denticellis pariter aspera; imo quoque ori tubercula quatuor, aspera, duo supra, duo subtus. *Pinnæ.* *Pinnæ* in dorso duæ, anterior aculeis septem sed mitioribus radiata, primo altissimo, reliquis ordine brevioribus; posterior cartilaginibus novem flexilibus & ramosis instructa.

Cauda. *Cauda* forcipata, radiis circiter 17: quæ retro anum est radiis 7: quæ ad branchias singulæ radiis 16, longis; quæ in ventre, eadem à summo rostro distantia, 6 longis, ramosis donantur.

Lien. Apophyses. *Lien* niger: fel flavescens: *Apophyses* ad pylorum 26.

In summis deliciis habetur hic piscis, unde Proverbium Italicum.

La Triglia non mangia chi la piglia. Non edit mullum qui eum capit.

Magnitudo & pondus. *Mullis* (inquit lib. 9. cap. 17. *Plinius*) *magnitudo modica, binasque libras ponderis raro admodum exuperant. Martialis* quoque nullum bilibrem appellat. Trilibres ergo quos meminit *Horatius*; quadrilibris *Senecæ*, *Tiberio* Imperatori donatus, & sex libras æquans *Juvenalis*, quem totidem sestertiis redemit *Crispinus*, magnitudinis fuere inusitatæ & monstrosæ. Nam quem in Rubro mari captum *Licinius Mucianus* prodidit octoginta librarum (teste *Plinio*) aut fabulosum esse reor, aut alterius speciei piscem.

Τρίγλη Græcis dicitur, autore *Aristotele*, quia ter anno parit.

Caro sapidissima. *Carnem* habet duram & valde fribialem, boni tamen succi, & quæ plurimum nutrit si probe confectus fuerit. Celebratur autem (inquit *Galenus*) tanquam voluptate reliquos cibos superet. Mullus Antiquorum prodigo luxu adeo insignis & pretiosus fuit (inquit *Jovius*) ut sæpius argenti puri pondere à privatis etiam Quiritibus emeretur &c.

§. II. *Mullus major noster &* Salviani *p.* 95. *Gallis & etiam nostratibus Cornubiensibus* a Surmullet.

A Præcedente differt, 1. Quod duplo major est: siquidem hujus generis vidimus 14 uncias longos: 2. Quod pinnæ dorsi [præsertim anterior] colore flavo & miniato perbelle pingantur, cum in minore albæ sint cum diluta purpuræ tinctura: 3. Quod pinna dorsi posterior 8 tantum radios obtinet, cum in illo novem. Notam hanc non magni

 facerem,

facerem, nisi piscis hic illo major esset. 4. Quod tum cauda, tum reliquæ omnes pinnæ miniatæ sint cum aliqua flavi mixtura, cum in illo cauda & branchiales pinnæ levi purpura diluantur, quæ autem in ventre sunt dilute flavicent. 5. Quod squamæ crassiores sint & firmius cuti adhærescant, cum in illo valde tenues levi tactu facile detergantur. 6. Quod oculorum irides miniatæ. 7. Quod in lateribus tres habeat aut quatuor lineas luteas [aureas *Salv.*] secundum longitudinem parallelas; quibus & *Salvianus* mullum suum majorem à minori distinguit. Appendices non plures 18 numeravi, cum minor 26 obtineat. Ventriculus amplus, in quo Squillam inveni. Hepar in sinistro latere situm.

Mullum expirantem versicolori quadam & numerosa varietate spectari proceres gulæ narrant, rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, utique si vitro spectetur inclusus. Ego frequenter in litore expirantes & varie colorem mutantes vidi. *Rondelet.* Videsis hac de re quæ ex *Plinio* & *Seneca Gesnerus* repetit.

Pirametara Brasiliensium *Maggrav.* vix alia in re à Mullo minore differt, quam ordine macularum nigrarum in utroque latere.

Mullus in mari Mediterraneo frequens. Capitur etiam in Oceano saltem major species; nam nos eam *Pensantiæ* in *Cornubia* vidimus in foro venalem non semel.

CAP. IX.

Mullus imberbis sive Rex mullorum, Re di Triglia *Melitensibus.*

Magnitudo. Figura. Squamæ. Color. Oculi. Os. Maxillæ, Pinnæ.

Cur mullorum rex dictus sit hic piscis *Melitæ* incolis nescimus, nisi forte ob magnitudinem eximiam, cum tamen parvi fuerint quos nobis videre contigit, nimirum longitudine vix palmari. Ventricosus est, quo à Mullo differt, squamosus *squamis* amplis ut Mullus, per totum corpus rubore perfusus, *Oculi* ei grandes, iridibus aureis, fuscis subinde nebulis obscuratis. *Os* amplissimum. *Maxillæ* limæ instar scabræ, ut & palatum: Lingua glabra: *Pinnas* in tergo duas gerit. Anterior circa centrum gravitatis sita sex radios spinosos continet, quorum primus humilis est, secundus altissimus. Posterior ab hoc non procul remota, decem radiis prædita, quorum primus spinosus, reliqui flexiles. Ab hac spinosa corpus in caudam tenuatur.

Cauda. *Cauda* nonnihil forcipata, radiis circiter viginti instructa. Quæ ab ano est radios 10 obtinet, è quibus duo priores spinosi, primus perquam humilis. Branchiales pinnæ in hac specie minores sunt quam in plerisque aliis piscibus radiis 12. Quæ in ventre, his perpendiculariter suppositæ, radiis singulæ sex, quorum primus spinosus, reliqui flexiles & ramosi, firmantur. *Ventriculus* magnus: *Appendices* quatuor: *Vesica* aerea simplex, nec intercepta. *Hepar* contra quam in aliis plerisque piscibus in sinistro hypochondrio situm, quod ei cum Mullo commune est.

Ventriculus Appendices. Hepar.

Piscem hunc *Valettæ* in insula *Melita* vidi & descripsi, ubi frequentem capi [in mari vicino] existimo. Dolet jam quod minus curiose eum descripserim, nec magnitudinem ejus à piscatoribus exquisiverim. Quantum memini capitis figura cum Mullo non convenit: barbulis autem caret. Verum cum piscatores Mullorum regem eum appellaverint, plurimisque accidentibus cum Mullis conveniat, ut descriptiones utriusque conferenti patebit, rectius me judice, *Mullus imberbis* dicetur, quam is quem *Rondeletius* sub eo titulo exhibet, cuculis congener, nec quicquam fere præter colorem cum Mullis commune obtinens.

CAP.

CAP. X.

Callyonymus vel Uranoscopus Rondeletii Gesn. 159. *Uranoscopus* Aldrov. *p.* 264. Salvian. *Romæ & Venetiis* Lucerne *&* Pesce prete, *itemque* Bocca in capo.

Magnitudo. *Figura.* Piscis est non grandis, longitudine dodrantali aut etiam pedali: capite magno & fere quadrato, osseo, aspero: corpore teretiusculo. [D. *Willughby* tum dorsum tum ventrem latum & planum facit.] *Color.* Supina pars tota cinerea est; venter albidus. *Squamæ.* *Squamæ* valde exiles, ut iis carere *Rondeletio* & *Bellonio* visus sit, in areolas à summo dorso ad imum ventrem oblique caudam versus descendentes dispositæ. *Linearum lateralium descriptio.* *Lineæ laterales* à superioribus branchiarum angulis incipientes, initio arcuatæ, retro primam dorsi pinnam ad se invicem accedunt (quod huic speciei peculiare est) deinde descendentes, ad caudæ radium medium desinunt. *Facies.* *Facies* plana, sursum spectans, in qua *oculi* exigui, vicini, protuberantes, iridibus aureis. *Oculi.* [*Oculi* supra caput siti, recta cœlum intuentur, unde Οὐρανοσκόπῳ nomen optimo jure datum. Nam Dracunculus, Rana piscatrix, Raia, Pastinaca, Rhombus, Passeres, Sepia, Polypus, oculos habent supra caput: sed pupillæ ad latera spectant, non sursum ad cœlum *Rondel.*] *Os.* *Os* satis amplum, in eadem faciei planitie cœlum spectans. Maxilla inferior sursum attracta, ut oris scissura primo perpendiculariter descendat. *Mentum.* *Mentum* infra os, humani aliquatenus æmulum. *Dentes.* Maxillæ *dentibus* acutis armantur. Summo quoque & imo palato denticulorum congeries insunt, ut in aliis multis. Sub lingua validum os, in tres spinas divisum. *Labia & membrana oris.* Inferius *labium* barbulis crebris velut fimbriatum. [Quæratur ab aliis *membrana* illa, quam jactitat *Rondeletius* se primum observasse, ex ea parte quæ inter linguam est & maxillam inferiorem orta, in principio latiuscula, sensim in carnosam rotundamque apophysin desinens, extra os propendens, qua pisciculos alliciat, allectos devoret.] Tota facies & præcipue branchiarum opercula crebris *tuberculis* aspera sunt & inæqualia, in inferiore margine quatuor aut quinque *spinis* vallata. *Tubercula & spinæ circa caput, & ad ad branchias.* E medio occipitio duo ossicula prominent obtusa sed rotunda, quæ semicirculum versus oculos efficiunt, & spatium seu areolam squamis nudam includunt. Sub parte suprema operculorum branchiarum utrinque qua caput corpori committitur duæ accrescunt spinæ validæ & acutæ, retrorsum spectantes, thecis inclusæ, quæ adduci & reduci possunt, adeoque spinæ detegi & recondi. His succedunt aliæ duæ spinæ minores. *Pinnæ.* *Pinnas* habet in dorso duas, quarum prior capiti propior, parva est & nigra, ut in Araneo, radiis tribus, acutis, non tamen rigidis. Posterior priori contigua, at eadem altior, radiis instructa 14: quæ infra anum est radiis 13, quorum apices in arcum curvantur. Pinnæ ad branchias amplæ, radiis 16, pariter arcuatis communitæ.

Pinnæ quæ aliis in ventre esse solent, huic in thorace ex adverso oculorum sitæ sunt, multo anterius quam branchiales, radiis singulæ quinque. Ad ipsum pectoris angulum inter branchiarum opercula duæ spinæ, è pinnarum radicibus exortæ, suisque pariter thecis donatæ, retrorsum spectant.

Interna partes. Ventriculus magnus in quo pisciculi: Appendiculæ ad pylorum circiter duodecim. Intestinum semel tantum reflectitur. Cystis fellea amplissima, ipsi etiam ventriculo in nonnullis magnitudine par. Vesica aerea minima. Habet insuper vesicam urinariam, ut alii plerique pisces.

Urano-

Nomina eorumq; ratio. Uranoscopus dicitur quod cœlum spectat ob situm oculorum. Callionymus sive à pulcritudine nominis Uranoscopi, ut *Rondeletio* videtur: sive ab aliqua similitudine pudendorum; nam & *Tapecon* à Massiliensibus dicitur (ut *Rondeletius* scribit) quod pessi instar conformatus esse videatur. Callionymus autem (*Hesychio* & *Varino* testibus) tum pro pisce, tum metaphorice pro utriusque sexus genitali accipitur. *Gesner.*

Caro qualis. Delicatissimi hunc piscem gustus esse audio (inquit *Gesnerus.*) *Rondeletius carne* alba, dura, non multum à carne Ranæ piscatricis differente, gravisque odoris esse scribit. At nos nullam odoris gravitatem in eo percepimus.

Locus. In mari mediterraneo frequens capitur.

Fellis usus. Uranoscopi *fel* præsens ad oculorum suffusiones remedium esse aiunt Medici. Nos hujus præ aliorum omnium piscium fel oculorum suffusionibus conferre vix credimus.

CAP. XI.

§. I. *Draco sive Araneus* Plinii, Rondel. Gesn. *p.* 89. *Draco marinus* Bellonii: *Araneus alter* Aldrov. *p.* 258. *Draco marinus & Trascina* Salv. *Gallis* Viver. *Angl.* Weever.

Figura. Color. Lineæ laterales. Squamæ. Caput. Oculi. PRælongus est & ad latera compressus; falcato ventre, dorso recto. Latera lineis partim luteis partim obscuris, à medio dorso ad ventrem oblique descendentibus distinguuntur. *Lineæ* à branchiarum angulis ad caudam ductæ rectæ sunt, multoque altiores seu dorso propiores quam in aliis piscibus. Branchiæ flavescunt; venter albet. *Squamis* tenuibus, parvis integitur. *Caput* ei mediocre, planum, paululum compressum, inter oculos nonnihil concavum. *Oculi* juxta positi, extremo rostro propiores quam in ullo alio quem novimus pisce squamoso; iridibus aureis, *Os. Dentes.* nigris maculis punctatis. *Os* amplissimum; maxilla inferior superiore paulo productior, in tuberculum definens: utraque *denticulis* aspera. *Branchiæ.* Lingua acutiuscula. Occiput punctulis asperum, cui etiam insunt duæ aut tres cavitates rotundæ. Aperturæ *branchiarum* amplissimæ; earundem operculis ad superiorem angulum utrinque spina acuta, valida, innascitur.

Pinnæ. Duas in tergo fert *pinnas*: anterior capiti vicina, quinis aculeis membrana nigra connexis horret, quibus venenatum vulnus infligere dicitur. Posterior huic contigua longissime ad caudam fere porrigitur, nervis 31 cartilagineis constans. Pinna hæc geminis transversis ductibus *Cauda.* luteis pingitur. *Cauda* vix forcipata, cærulescit, & lineis ejusmodi luteis distinguitur. Pinnæ ad branchias eodem situ quo in fluviatilibus, i. e. inferiores multo quam in marinis esse solent. Radii singulis insunt 16, quorum anteriores ad nonum (qui longissimus est) ramosi, à nono reliqui sensim breviores, nec ramosi. Pinnæ secundi paris anterius sitæ, radiis singulæ sex donatæ, tribus posterioribus ramosis. Foramen ani à branchiis non longe distat, à quo pinna longissima, ad caudam fere producta, radiis 32 vallata, qui supra membranam connectentem eminent.

Victus. In ventriculo cancellum invenimus. Cystis fellea ampla. Appendices ad pylorum octo.

Magnitudo. Lingua. In nostro mari (inquit *Rondeletius*) palmum majorem raró superat; in Oceano cubiti aliquando magnitudinem attingit. Verum quem nos *Venetiis* descripsimus non exquisitus sed forte oblatus, 15 prope digitos longus erat.

Ronde-

Rondeletius se vidisse ait partem à Dracone marino punctam in tumorem erigi, & cum doloribus vehementissimis inflammari, quæ si negligatur facile gangræna corripitur, quo in malo piscatores nostri (inquit) ad Lentisci folia, tanquam ad sacram anchoram confugiunt, iisque partem vulneratam confricant; melius sibi consulturi, si Draconis ipsius dissecti carnes vel cerebrum imponerent. Nec est negligenda Theriaca confectio cum aqua Absinthii &c. *Ictus aculeorum venenatus.*

Sex dorsi pinnæ venenosæ habentur; ideoque piscatores capto pisce eas statim abscindunt. Dolor ab ictu excitatus (ut nobis retulere piscatores) per duodecim horas durat admodum vehemens, hoc est donec mare novo accessu recessuve ad eundem altitudinis modum seu terminum redeat, deinde paulatim remittit. Verum hac in re nos fidem eis minime adhibendam censemus, neque fluxum aut refluxum maris ad dolorem vel exacerbandum vel leniendum quicquam conducere arbitramur. An vulnus spinis his inflictum multo perniciosius sit quam quod branchiarum aculeis, (ut affirmat *Rondeletius*) nobis non constare fatemur.

Quod de Dracone scripsit *Plinius* id in Araneo nostro quivis experiatur, qui piscium capturæ interesse voluerit: captum enim arena semper se obvolventem cernet. *Rondeletius.* *Arenis se insinuat.*

Carne est firma & satis delicata. *Caro.*

§. II. *Aranei seu Draconis marini species altera.*

ALiam hujus piscis speciem *Romæ* & alibi in *Italia* vidimus pulchrius coloratam, maculis amplis nigris in eadem recta utriusque lateris medio sitis insignem, quæque lineis in lateribus obliquis luteis caret, & priorem etiam (ni male memini) magnitudine superat. *Salvianus* quoque duarum Aranei specierum meminit. Major *Aldrovando* idem esse videtur primo in loco descripto. Minor (inquit) in nonnullis differt. Cum enim major ad libræ unius & duarum etiam aliquando magnitudinem excrescat, minor ne dimidiam quidem libram implet, præterea capite & corpore reliquo non rotundo, ut major sed in latera compresso est; cujus denique latera non subluteo solum colore, quo major ille insignitus est, sed frequentibus etiam & obliquis ad cæruleum colorem vergentibus lineis pulcherrime depicta sunt. Minor hic magnitudine excepta (me judice) ad priorem nostrum propius accedit; major ad posteriorem.

In Septentrionalibus capitur hujus generis piscis utrovis superius descripto minor, quem piscatores *an Otterpike* vocant.

§. III. Niqui *Brasiliensibus*, Pieterman. *i. e. Araneus mar. Belgis* Marggrav.

CApite est crasso, ore Ranæ amplo, edentulo; crassa lingua, & inferiore mandibula longiore quam superior. Anterior corporis medietas est paulo latior, posterior angusta & teres: estque ut plurimum sex aut septem digitos longus; latus anterius quidem sesquidigitum, aut paulo latior. Ocelli ipsi parvi quidem, sed exerti, cylindracei more Cancrorum, pupilla nigra, circulo è cinereo fusco. Branchias habet amplas, & post quamlibet pinnam unam, digitum longam & latam, in ambitu circinatam: in ventre sub his paulo inferius duas junctas. A medio dorso ad caudam pene continuatur pinna semidigitum lata, at in fine paulo angustior, cui respondet similis in infimo ventre. Cauda plus digitum longa, minus lata, parallelogrammi figura, in extremitate

tate circinata. Ante exortum pinnæ dorsalis duos habet aculeos fortes, & supra postbranchialem utramque unum acutum. Tegitur cute, cujus color ex nigro & umbra gryseoque mixtus, nimirum in toto dorso, capite & lateribus, pinnisque omnibus. Venter albicat, & in lateribus etiam plus albi quam gryiei est aut nigri. Per totum dorsum caput & latera punctula nigra magnitudine seminis papaveris dispersa sunt. In arena absconditus jacet prope littus maris, ac incedentes vulnerat. Edulis est si jecur & fel bene separentur, alias lethalis ut *Payacu.*

Piscis hic quin sit Aranei species minime dubito. Argumento sunt 1. *Nomen Belgicum* Pieterman. 2. *Aculei ante exortum pinnæ dorsalis, quos tamen pinnæ alterius anterioris radios esse suspicamur.* 3. *Aculei supra pinnas postbranchiales.* 4. *Proprietas illa insinuandi se in arenas, inque iis latendi.* 5. *Ictus aculeorum venenati.*

C A P. XII.

Trachurus Aldrov. 268. *Saurus & Trachurus* Salvian. 15. *Lacertus sive Trachurus* Bellon. Rondel. Gesn. 552. *Venetiis* Suro, *Cornubiensibus* a Scad.

Scombris similis. Ab iis ut differat. Color. SCombros colore, figura & sapore refert, ut recte *Bellonius*, unde & *Maquereau bastard*, id est, Scombrus spurius Gallis dicitur teste *Rondeletio.* Verum minor est quam Scomber, corpore minus spisso rotundoque, & paululum compresso. Dorsum cœruleo colore relucet, venter argenteo nonnihil purpurante. Branchiarum oræ tanquam atramento tinctæ sunt. *Squamæ.* *Squamis* carere *Rondeletius* & *Bellonius* affirmant: verum aut multum fallimur, aut *Squamis* satis amplis tegitur. *Lineæ laterales.* In medio corpore *lineam* habet à capite ad caudam deductam, è squamis seu lamellis osseis (tabellas eas vocat *Bellonius*) compositam, non rectam quidem sed media sui parte deorsum inflexam, à flexura hinc pisci nomen Trachuri inditum, spinulis seu denticulis caudam versus continue majoribus & eminentioribus mediis tabellis innascentibus serratam, quæque ob id caudam veluti quadratam efficiat. [Nobis media etiam latera caudam versus in angulos assurgere videbantur.] Lineæ hæ utrinque radiatæ Serræ piscis rostrum quodammodo repræsentant. *Oculi.* *Oculi* grandes. *Os.* *Ore* clauso mandibula inferior paulo longior est superiore. *Maxillæ asperæ.* *Maxillæ* limæ instar asperæ, palatum pariter & lingua, quæ longa est & acuta. Sub palato quoque duo magna tubercula aspera. *Pinnæ.* Dorso medio fossula insculpta est, cui innascuntur *pinnæ* duæ; quarum prior aculeis octo membrana connexis constat [anteriores tres radii in molles apices desinunt] posterior priori fere contigua, radiis 34 cartilagineis & flexilibus donatur. *Cauda.* *Cauda* admodum forcipata. Branchiales pinnæ longæ, in acutum exeuntes, radiis circiter 20: ventrales radiis sex ramosis præditæ. Podex circa medium longitudinis totius situs; inter eum & caudam pinna radiis 30, quorum anteriores duo breves rigidi & spinosi. *Viscera.* Lien magnus, niger. In ventriculo Ammodytas pisces invenimus. Appendices longæ 13 aut 14. Vesica natatoria per longitudinem cavitatis abdominis ultra anum extenditur. Cor ut aliis piscibus.

Locus. *Rondeletius* gregales esse scribit, & in Hispanico & Gallico litore magna copia simul cum Scombris capi: carne esse sicca durioreque quam scombros. Capiuntur etiam in Oceano Britannico Cornubiam alluente, & ut puto alibi circa *Angliam* multi.

Quod

Quod ad *magnitudinem* attinet, quotquot nos vidimus Scombris minores fuere, & corpore pro ratione magnitudinis breviore. *Bellonius* Trachurum Mugilem aliquando magnitudine æquare ſcribit. *Magnitudo.*

CAP. XIII.

Guara tereba *Braſilienſibus* Marggrav. *Trachurus* Braſilienſis *dicendus.*

MAgnitudine eſt 7 aut 8 dig. capite obtuſo, oculis cryſtallinis, circulo aureo. Os denticulos habet minimos. Branchiæ amplæ: dorſum incurvatum. Pinnas obtinet 7: poſt quamlibet branchiam unam longam: ſub his duas junctas in infimo ventre: in medio autem ventre duas ſpinulas quæ membranula conjunguntur; & poſt has triangularem, quæ deinceps anguſtata ad exortum caudæ extenditur: in ſummitate triangularem mediocrem, & poſt illam aliam ſimilem majorem, quæ anguſtata ad exordium caudæ porrigitur. Cauda in duo cornua extenditur. A branchiis linea tendit ad medium piſcis, quæ deinde oblique deorſum vergit, & directe uſque ad caudam porrigitur: hæc poſterior lineæ medietas hamulis poſterius verſis armatur, & utroque latere triangularibus veſtitur ſquamulis, quæ minimæ ſunt, ut ad tactum glaber videatur. Coloris eſt in dorſo & lateribus uſque ad medietatem longitudinis ex hyalino cœruleſcentis; reliquum laterum & venter albicat, ſed aureus color tranſplendet. Pinnæ ventris albæ, reliquæ cum cauda aurei ſunt coloris. Edulis eſt piſcis.

CAP. XIV.

Perca fluviatilis Rondeletii, Bellonii, Geſneri *& aliorum.* A Pearch.

MAgnitudine eſt dodrantali aut pedali. Vidimus aliquando digitos 15 longam. In lacu *Suerinenſi* verſus Oceanum ſeptentrionalem *Germaniæ*, cum maximus eſt cubitum æquat ut audio, inquit *Geſnerus.* Dorſo eſt à roſtro aſſurgente Bramæ in modum; corpore latiuſculo, ex fuſco flavicante, zonis ſeu areolis nigricantibus quinque aut ſex à dorſo ad ventrem deſcendentibus diſtincto; cauda bifurca. Lineæ latera dividentes dorſo propiores ſunt in hoc quam in aliis fere piſcibus, & à ſupremo branchiarum angulo inchoatæ dorſo prope parallelæ decurrunt ad extremum uſque pinnæ dorſi poſterioris, deinde caudam mediam dividunt. *Squamæ* parvæ, denſæ, duriores, aſperiores quæque citius exareſcunt quam aliorum fluviatilium. *Oculorum* irides flavæ aureæve. *Os* amplum; maxillæ denticellis aſperæ. *Pinnas* in dorſo duas gerit. Anterior 14, rarius 15, firmatur ariſtis aculeatis: [*Bellonius* 12 ſcribit, verum errat, ut puto, memoria lapſus, nec enim numerus tantopere variat.] Tertia aut quarta altiſſima: poſterior 14 mollibus radiis innititur, primo perbrevi & ſpinoſo. Pinnæ ad branchias ſingulæ 12 nervis cartilagineis radiatæ; quæ in ventre ſunt, branchialibus fere ſuppoſitæ ſex radiis donantur, primo ſimplici & aculeato, reliquis mollibus & ramoſis: Podici ſubnexa undecim, anterioribus duobus ſpinoſis. Membranæ primos & ultimos dorſalis pinnæ anteri-

Magnitudo. *Figura.* *Color.* *Squamæ.* *Oculi.* *Os.* *Pinnæ.*

oris radios connectentes nigris maculis inficiuntur. Posterioris dorsi pinnæ tam radii quam membranæ flavescunt. Cauda rubescit præter ultimum radium, qui interdum albet. Radii penultimi & ultimi in pinnis ventralibus altera medietas albet, rubet altera. Verum hoc perpetuum non est. *Branchiæ.* *Branchiæ* huic ut reliquis fere omnibus fluviatilibus quatuor: mediæ duæ duplicem obtinent tuberculorum denticulos imitantium ordinem, ultima unum tantum ex parte exteriore, prima unum ex parte interiore, ex parte autem exteriore ordinem habet radiorum seu aristarum pectinatarum tantum. Branchiarum opercula in acutum angulum desinunt, & superior lamina in aculeum.

Viscera. Hepar habet oblongum, indivisum; Lienem nigricantem; Cystin felleam magnam felle luteo repletam; officula duo in cerebro: appendices ad pylorum 3 grandes; intestina semel reflexa.

Esca. Vorax est piscis, lumbricis terrestribus avidissime inhiat, capitur etiam phoxinis aut ranis parvulis hamo affixis: non tamen omni anni tempestate, sed moderate calida, nec enim escam appetit antequam morus germinare incipiat, hoc est antequam adulto vere nullum amplius fructibus horariis à pruinis periculum immineat.

Caro qualis. *Caro* hujus piscis firma est & gustui grata. *Rondeletius* Medicos nostri seculi plerosque reprehendit, quod fluviatiles Percas etiam febricitantibus exhibeant aut permittant, tanquam à *Galeno* laudatas; cum is de marinis senserit, & fluviatiles à marinis tum alias tum nutrimenti ratione plurimum differant. Ego (inquit *Gesnerus*) *Rondeletii* sententiam approbo, & Percas dulcium aquarum durioris carnis atque viscosæ præ marinis esse fateor. Ego vero hoc eis non concesserim: nam ut Percis carnem firmam esse dem, duram tamen viscosam & concoctu difficilem pernego: imo nec Percam marinam salubritatis aut concoctionis facilioris respectu fluviatili prætulerim, qui utramque gustavi. Quocirca non immerito *Ausonius* nostro judicio Percam mensarum delicias appellat. Quanquam autem piscis hic salubris existimatur, jecur tamen ejus ut plurimum fere grandinosum rejici solet, inquit *Greg. Mangoldus* apud *Gesnerum*.

Lonicerus marem pinnas rubras habere scribit, fæminam minime; at nos in utroque sexu pinnas rubras observavimus, in mare forte saturatius rubent.

Situs pinnarum. Percæ ex fluviatilibus solæ *Pinnas* omnes simul habent, & ratio est quia fundum petunt. *Rond.*

Locus. In lacubus & fluminibus apud nos frequentes sunt, in piscinis etiam & vivariis conclusi libenter degunt.

Nomina. A Græco πέρκη Latinis Perca dicitur, *Italis* Persico, *Germanis* nonnullis Bersich, aliis ut *Saxonibus* Barse; quo nomine piscis hic apud Septentrionales *Anglos* in *Cumberlandiæ* provincia etiamnum innotescit. Septentrionales enim multa adhuc vocabula *Saxonica* retinent, quæ apud Meridionales *Anglos* obsoleverunt.

Vesica natatoria. Pro *Vesica natatoria* membranam transversam habet hic piscis versus supremam partem cavitatis abdominis per totam ejus longitudinem extensam.

Ovarium in Perca reperiri scribit *Swamerdamius*, deficientibus utero & cornubus, adeo ut Ovarium uteri simul & cornuum vices subire videatur. Lactes Percarum si usum & structuram spectes, vesiculas accurate referre judicabis, absentibus testiculis & prostatis, idem tradit *Swammer.*

CAP.

CAP. XV.

Lucioperca Schoneveldii. *Schilus sive Nagemulus Germanorum* Gesn. Paralipom 1288. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 59. *Augustæ Vindelicorum* Schindel. *Pomeranis* Sandat.

LOngissimus (*Grafferus* apud *Gesn.* in Paralipomenis p.) ulnam æquat: Nobis descriptus vix sesquipedalis erat: quidam apud *Gesnerum* ibid. Quinque libras 16. unciarum plerunque ponderat, aliquando sex septemve: perraro libras decem excedit. *Figura* est longiore quam Perca, & in caudam exiliorem producta; rostro quoque longiore & acutiore, dorso non omnino assurgente. *Grafferus* apud *Gesnerum* forma non dissimilem Lucio facit. Venter latus est & planus. A capite ad primam pinnam sulcus quidam seu *canalis* dorso medio impressus est. *Squamæ* dense stipatæ fimbriis asperis. Pectus squamis nudum. Dorsum & latera, ut in Perca minore, ex fusco sordide flavicant, areolis seu ductibus obscurioribus, neque transversis ut in Perca, neque secundum longitudinem ut in *Schraitser*, sed nullo ordine positis varia: Infimi ventris squamæ nonnihil rubescunt, ut & pinnæ tum ventrales, tum ano subnexa; minus tamen quam in Perca. *Nares* duplices. *Oculi* membrana vel nulla, vel arcte adhærente obducuntur. *Maxilla* superior paululum prominet ultra inferiorem. *Lingua* glabra, verum *maxilla* utraque, & spatium in palato angulare denticellis asperum. Juxta primum pinnarum par officulum est in tres aculeos desinens juxta radicem pinnarum branchiarum opercula in unam validam spinam procurrunt. Areolæ hirsutæ ab oculis utrinque productæ in extremo occipitio conveniunt. A mandibula inferiore ad spinulas septem vel octo foramina cernuntur. *Pinnæ* dorsi anteriori tredecim insunt pro radiis aculei; posteriori octodecim cartilaginei & molles radii; pinnis ad branchias quatuordecim; pinnis in ventre sex; ei quæ ab ano est tredecim; molles & flexiles omnes.

Magnitudo. Figura. Canalis in dorso. Squamæ. Color. Nares, Oculi, maxillæ, lingua. Pinnarum radii.

Lien nigricat. *Intestina* multa adipe obvoluta sunt, bis reflexa. Appendicum longiorum paria duo. [Forte tres tantum appendices] Vesica aerea fundo ventriculi affixa.

Viscera intestina.

Carne est candidissima.

In pisce 15½ digitorum dorsi pinna anterior à summo rostro aberat digitos 4¼; posterior 8¼; pinnæ ad branchias 4; ventrales 4⅛; orificium excrementorum 8; oculi 1½.

Piscis est *Danubianus*; capitur etiam in *Ambronis* lacu *Bavariæ* vulgo *Ammersee*; si modo *Nagmulus* lacus idem sit qui *Schilus Danubii*; nam *Gesnero* diversi videntur. Piscis quem nos descripsimus in *Danubio* captus fuit. *Nagmulum* lacus *Ambronis*, cum ibi essemus non vidimus, atque idcirco idemne sit an diversus nescimus.

Quin piscis hic *Schoneveldii* Lucioperca sit nullus dubito.

CAP. XVI.

Asper pisciculus Rondel. *Gobioni persimilis*; Gesn. *p.* 478. Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 27. *Ratisbonæ* Strever.

FIgura corporis longiore est & exiliore, præcipue caudam versus, quam Schilus. Dorsum medium ab occipite ad pinnam velut sulco impresso concavum. Octo vel novem zonis transversis nigricantibus Percæ fluviatilis in modum distinguitur. Dorso est squamoso, pectore nudo. Narium bina habet utrinque foramina. Pinnæ in dorso duæ, anterior radiis aculeatis octo; posterior tredecim sed cartilagineis firmatur: pinnæ branchiales radiis 14, ventrales quinque, quæ ano subnectitur 12. Branchiarum ossa in spinam desinunt. In reliquis fere cum Schilo convenit. Ad pylorum tres breves appendices.

CAP. XVII.

Faber sive Gallus marinus Rondeletii Gesn. *p.* 439. *Faber* Aldrov. *lib.* 1. *cap.* 25. *Pesce di* S. Pietro Venetis Salvian. 75. *Anglis* a Doree *i. e. Deauratus*, *à Gallis mutuato nomine.*

Figura. PIscis est valde latus, compresso admodum corpore, æqualis ubique crassitiei, ad Passerem figura accedens; verum erectus natat, non in latus reclinatus, ut ille; adeoque ad planorum familiam minime pertinet. *Caput.* *Caput* ei peramplum, & ad latera compressum valde: hiatus oris immanis. *Oculi.* *Oculi* grandes pupillis amplis, iridibus flavis. *Nares.* *Nares* oculis proximæ. *Color.* Latera olivacea, colore ex cæruleo albicante varie aspersa aut variegata. In medio utriusque lateris macula rotunda nigra, nummuli quatuor denariorum nostræ monetæ, magnitudine. *Squamæ.* *Squamis* tegitur parvis. *Dentes.* Ossa & cartilagines labia & maxillas componentia membranis tenuissimis connectuntur. Maxillæ *denticulis* asperæ; palatum summum spatio triangulari aspero, imum quoque duobus orbiculis scabris munitum. Maxilla superior membrana sursum reflexa velut labio tegitur. *Lingua.* *Lingua* longa, acuta, glabra. Lineæ laterales intorquentur ut in icone apposita. *Pinnæ. Dorsi anterior.* *Pinnæ* in dorso duæ, *anterior* elatior, aculeis decem rigidis instructa, singulis aculeis radii singuli molles adjuncti sunt, qui paulo cis apices aculeos deserunt, & seorsum in altum procurrunt, membrana intermedia eos ad summitates usque comitante, cum tamen cis apices à spinis subsequentibus abscedat, adeoque sensim angustior facta in punctum tandem desinat, falcis messoriæ formam imitata. *Posterior.* *Posterior* pinna radios 24 cartilagineos & flexiles continet, quorum altissimus duodecimus. *Cauda.* *Cauda* extensa in circularem circumferentiam terminatur, radiis 15. ramosis constans. Pinnæ ad branchias radios singulæ 14 obtinent; quæ in ventre sunt, tantillo anterius sitæ 7, quorum primus rigidus osseus & spinosus, reliqui cartilaginei & flexiles. Orificium excrementorum ab utroque corporis extremo æquali intervallo distat, retro illud *pinnæ duæ*. *Pinnæ retro anum.* Anterior aculeis quatuor rigidis membrana interveniente connexis constat: posterior 22 flexilibus ad caudam proxime extenditur. Ad basin singulorum radiorum dorsi pinnæ

pinnæ anterioris, exceptis duobus primis duobuſque ultimis, ſingulæ utrinque *Spinæ*; ad radicem pinnæ poſterioris utrinque ſeries ſpinarum brevium, incurvarum retrorſum oblique ſpectantium, cum proceſſibus ſpinoſis ad latera [*D. Willughby* ſic. Ad radices ſecundæ dorſi pinnæ 5, 7 vel 8 (numerus enim in variis piſcibus variat) utrinque paria ſpinarum validarum decuſſatim poſitarum, ita ut ſemper una oblique ſurſum, altera oblique deorſum dirigatur.] Similes ſpinarum ordines habentur ad radices utrinque pinnæ poſterioris retro anum ſitæ. Nam prior ejuſmodi ſpinas obtinet quales dorſalis anterior. A branchiis ad pinnas ventrales duo ordines aculeorum retro ſpectantium, inque horum medio proxime pinnas aculei duo. Ab his pinnis in ima ventris carina ad pinnam retro anum primam duo itidem aculeorum retrorſum vergentium ordines. Occiput in duas ſpinas deſinit: inferius ad branchiarum angulos duæ aliæ ſpinæ ſunt, una brevior erecta, altera longior & in latus recumbens. *Spinæ in dorſ.* *Spinæ in ventre.*

Hepar trifidum, ſiniſtro lobo multo majore, medio parvo: cyſtis fellea magna: lien nigricans. Ventriculus amplus, Ammodytis piſcibus repletus erat. Appendices parvæ innumeræ. Veſica natatoria ampla, dorſo affixa. Habet & veſicam urinariam & uteros geminos. *Partes internæ.*

Vidimus hujus generis piſcem à ſummo roſtro ad extremam caudam 17 digitos longum; latum ſeptem. *Magnitudo.*

Piſcem hunc in Chriſtianorum templis ſuſpendi ſolere ſcribit *Aldrovandus*, ut veriſimile eſt, propter maculas eas pulcherrimas quas utrinque unam in lateribus habet, digitorum S. *Chriſtophori*, ut aiunt, veſtigia, qui ſalvatorem noſtrum humeris geſtans, fretumque trajiciens in apprehenſo piſce reliquiſſe dicitur, unde hodieque Græci χριςόφορον nuncupant: vel quod eum eſſe credant, quem juſſu Salvatoris *D. Petrus* cepit: opinione inde nata, quod prædictæ illæ maculæ numiſmatis illius quodammodo, quod ex ore piſcis tributi nomine pendendum extraxit, figuram elegantiſſime exprimant: quare & piſcem *D. Petri* in multis *Italiæ* locis, ac *Romæ* potiſſimum vocant, *Aldrov. Rondel.* *Cur S. Chriſtophori & S. Petri piſcis dictus ſit.*

Carne eſt ſatis tenera & friabili, concoctu facili, & vel Rhomborum carni multorum judicio præferenda. *Caro qualis.*

Hunc piſcem Dalmatæ etiam hac ætate Fabrum vocant; qui cum ex iis percunctarer cur ſic nominarent, mihi pulchre reſponderunt, quod omnia inſtrumenta fabrilia in ipſo reperiantur; quod quidem ipſum ſtatim verum eſſe periclitatus ſum. *Gillius.* Ego χαλκεὺς Græcis dictum conjicio à colore æreo, inde autem Latinis Fabrum. Nam Galli, & eorum imitatione Angli, *Doree*, id eſt, deauratum vocant. *Faber cur dictus ſit.* χαλκεὺς unde.

Tam in oceano, quam in Mari Mediterraneo capitur. Penſantiæ & alibi in *Cornubia* vidimus plurimos. *Locus.*

CAP. XVIII.

Abacatuaia *Braſilienſibus*, Peixe-gallo *Luſitanis* Marggravii.

PAſſeris magnitudinem habet, altus & latus inſtar illius, ſubrotundus, neque illo craſſior. Os illi eſt haud amplum, edentulum: oculi nigri, circulo argenteo. Pinnas habet 5. unam in dorſo, unam in ventre, utramque deſcendentem & continuam ad caudam uſque: itidem poſt branchias utrinque unam. Cauda conſtat pinna furcata. Præterea habet duo quaſi fila in longum extenſa ab inferiore corpore & unicum tale in dorſo ante pinnam dorſalem. Caret ſquamis, ſed tegitur

tegitur cute læviffima, fplendente, coloris argentei; totufque eft illius coloris, exceptis filis, quæ nigra funt. Carnem habet boni faporis.

CAP. XIX.

Aper Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 26. Aldrov. 297. Gefn. 70. *Genuæ* Strivale. *Romæ* Riondo.

Figura. Color. Squamæ. Roftrum. Oculi. Pinnæ.

PIfciculus ifthic *figura* corporis Fabro perfimilis eft, fed multis numeris minor. *Colore* tum oculorum tum totius corporis Erythrinum refert aut Scolopacem. Squamofus eft *Squamis* circum oras fimbriatis aut pilofis, unde tractanti afper fentitur. *Roftrum* ei acutum, furfum nonnihil reflexum. Os cum aperitur protruditur, ut in Fabro. *Oculi* grandes, iridibus albis. Dentes nulli. *Pinnæ* in dorfo duæ; anterior novem aculeis firmis & rigidis horret, quorum primus humillimus & vix obfervabilis, fecundus quadruplo altior, tertius altiffimus & craffiffimus. Pofterior pinna anteriori contigua radios 23 molles & flexiles continet, è quibus anteriores breviffimi, medii longiffimi. *Cauda* minime forcipata, extremo miniata. Quæ ab ano eft pinna radios obtinet 26, anterioribus tribus reliquis brevioribus, validis & fpinofis. Pinnæ branchiales fatis longæ, radiis cartilagineis circiter 14 inftructæ: ventrales pinnæ rad. fex, quorum primus offeus & fpinofus, reliqui cartilaginei & flexiles, verum grandiores & velut ex plurimis filamentis compofiti. Pinnæ hæ cum expanduntur non, ut in aliis pifcibus, ad horizontem prope parallelæ funt, fed fupra planum ventris nonnihil erectæ. *Inteftina* fæpius convoluta obfervavi, duafque aut tres ad pylorum *appendices*. Quatuor digitis majorem nunquam vidi. Una cum Scolopace iifdem in locis capitur. Prope fundum maris verfatur; & tempore præcipue procellofo poftquam mare è fedibus imis commotum & agitatum fuerit, pifcatorum verriculis extrahitur. Vel non capitur apud nos, vel ob parvitatem à pifcatoribus captus in mare iterum projicitur.

Cauda. Inteftina & Appendices. Magnitudo. Locus.

CAP. XX.

§. I. *Amia* Salviano, *Leccia Romæ & Livorni. Glaucus* Aldrov. *p.* 302.

Figura. Color. Squamæ. Os. Dentes. Lingua. Oculi. Pinnæ.

IN ingentem magnitudinem excrefcit. *Figura* Salmonem refert, corpore craffo, longo & caudam verfus quadrato. Dorfum obfcure cæruleum eft cum levi purpuræ tinctura. Latera magis purpurafcunt. Squamofus eft *fquamis* minufculis. *Os* pro pifcis mole modicum. Maxillæ crebris *denticellis* afperæ. *Lingua* lata, officulo afpero medium percurrente [fecundum longitudinem intellige] lateribus etiam fcabris. Summum palatum eminentiæ afperæ feu denticelli quadrato agmine occupant; ad latera hinc inde congeries denticellorum figuræ ovalis oblongæ; inferius etiam duo tubercula afpera. Nares duplices: *oculi* mediocres; iridibus albis quas tamen linea circularis fufca prope pupillam obfcurat. *Pinnæ* ad branchias pro pifcis mole exiguæ, radiis fingulæ viginti communitæ. Quæ in ventre funt his tantillo pofterius fitæ, le-

norum

norum radiorum numero cum plerisque piscibus conveniunt. Pinnæ in dorso duæ, eidem concolores. Anterior à summo capite non longe, aculeis 5 [D. *Willughby* septem] omnibus caudam spectantibus horret, quo à *Rondeletii* Glaucis differt. Posterior circa centrum gravitatis incipit, & ad caudam proxime desinit; initio alta, post tres aut quatuor radios statim humilior ad decimum usque, deinde in eadem altitudine perseverat ad radium ultimum seu 34^{tum}, qui denuo præaltus evadit. Cauda admodum forcipata; quæ inter hanc & anum est pinna, dorsali posteriori persimilis, initio alta, deinde humilior, radio itidem postremo prælongo. Radiorum autem numerus 21, horum apices albi. Pinnæ hæ summa sui margine velut undulatæ sunt seu sinuatæ.

Ventriculus longus, tenuis, conicus. Appendices ad pylorum innumeræ, 108 numeravimus. Lien ingens & oblongus. Cystis fellea tenuis sed longissima, novem circiter digitorum; quinetiam porus bilarius grandis tribus ramis ex hepate egreditur. Vesica natatoria per totam abdominis longitudinem secundum dorsum extenditur. *Ventriculus aliaque partes interna.*

Glaucus *Aldrovandi* cum hoc nostro aculeorum situ convenit.

Quod ad *magnitudinem* attinet, *Rondeletius* tricubitalem aliquando se vidisse affirmat. *Magnitudo.*

Piscem hunc *Livorni* primum, postea *Romæ* nacti sumus. *Salviano* quoque descriptus est, unde patet eum in Mari infero non admodum rarum esse. *Locus.*

§. II. *Glaucus primus an secundus* Rondeletii?

Piscis est latus, *figura* rhomboide, tenuis, *colore* in dorso obscuriore, in lateribus & ventre argenteo: maculis in utroque latere fuscis tribus aut quatuor. *Squamæ* exiguæ, circumscriptione subrotundæ. *Oculi* mediocres, iridibus argenteis, nulla præter tunicas proprias membrana obducti, ut in plerisque piscibus solent. *Os* mediocre; *Lingua* obtusa. *Dentes* in maxillis minutissimi. Tam palatum, quam lingua & totum os interius cœruleo colore diluuntur. Branchiæ ita se habent ut in aliis piscibus. *Pinnæ ad branchias* binæ, radiis 17 aut 18 singulæ; binæ in *ventre*, singulæ radiis quinque instructæ. Hæ pinnæ in minutioribus piscibus adeo exiguæ sunt, ut vix veniant in conspectum. Pinnas in *dorso* nescio an duas eum habere dicam an unam: quippe quod anterior nihil aliud esse videtur quam spinarum ordo. Hæ septem numero sunt, quarum prima in anteriorem partem vergit, ad dorsum fere depressa; reliquæ omnes caudam spectant: connectuntur autem membrana, quæ anteriori per totam longitudinem adnexa, posterioris tantum pedem seu basin attingit. Aculei hi rigidi sunt, acuti, vix quartam digiti partem alti. Pinna dorsi posterior radios obtinet 26; qui à secundo qui altissimus est, ad 8^{vum} seu 9^{um} paulatim decrescunt, reliquis altitudine fere paribus. Hujus pinnæ superior & anterior pars colore nigro inficitur. *Retro anum* spinæ duæ humiles & validæ, iis quæ in dorso similes; sequitur pinna dorsalis æmula, macula nigra pariter insignis, radiis 25. Infra pinnas quæ in dorsi fastigio & ima corporis carina æqualiter procurrunt corpus in caudam tenuatur, & valde gracile evadit. *Cauda* longa, & omnium maxime in duo prælonga cornua seu angulos procurrit, quorum extremi apices colore nigro tinguntur. *Figura. Color. Squamæ. Oculi. Os, lingua, dentes. Pinnæ ad branchias, in ventre, in dorso. Retro anum. Cauda.*

Hepar pallidum. Lien ruber, oblongus, vesicula longissima ad anum usque protensa. Appendices innumeræ. Tum hæ, tum intestina parenchymate quodam, seu mesenterio intertexta sunt. *Partes interna.*

Glauci primi *Rondeletiani* icon huic egregie convenit. Nomen ei à colore impositum est, ut & reliquis Glaucis.

Descriptio Glauci primi apud *Rondeletium* in aliis huic nostro pisci exacte

exacte respondet, in eo aberrat, quod unicam tantum à ventriculo appendicem intestino attribuat.

Piscem hunc tum *Romæ* tum *Livorni* vidimus.

§. III. *Glaucus secundus* Rondeletii.

E Rondelet. HIc à priore differt quod ejus magnitudinem nunquam attingat, unde Γλαυκίδιον jure dici potest, cujus etiam meminit *Athenæus*. Præterea quod hic septem aculeos in dorso habeat ad caudam spectantes, prior quinque duntaxat. In hoc Glauco à superiore branchiarum parte ad medium corpus linea tortuosa admodum demittitur, hinc recta ad caudam protenditur: in illo à branchiis ad caudam rectam lineam duci diximus. Pinnæque posteriores tam superna quam interna parte maculam nigram habent, qua hic caret. Ille corpore est latiore, hic strictiore: alioqui corporis figura reliquisque partibus tum internis tum externis valde similis.

Hujus descriptionem e Rondeletii *piscium historia mutuati sumus; nobis enim nondum visus est.*

§. IV. *Glaucus tertius* Rondeletii, *seu sinuosus.* Gesn. *p.* 463.

E Rondelet. TErtium Glauci genus à secundo non multum differt, nisi quod huic dentes sint acuti. Linea à branchiis ducta longe magis flexuosa tortuosaque est, nimirum instar serpentum aut vermium corporis flexibus gradientium, vel undarum sese attollentium & mox deprimentium. Dorsum ex cæruleo nigrescit ad lineam prædictam usque: lineæ pars subjecta candidissima. Pinnis, aculeis, cauda, partibus internis, aliis Glaucis similis est.

Carne est pingui, suavi, dura. Hic litoribus nostris vix notus est. *Hujus etiam descriptionem Rondeletio debemus.*

CAP. XXI.

Ceixupeira *Brasiliensibus* Marggrav.

MAgnitudinem interdum acquirit 9 aut 10 pedum, atque crassitiem corporis humani: corpore oblongo, & capite atque figura corporis Tuberoni haud absimilis. Quem describo $2\frac{1}{2}$ tantum pedes longus erat. Caput ei compressum & latum, 7 dig. longum & fere 5 latum. Os haud ita amplum pro mole corporis, parabolicæ figuræ, edentulum, prominentiis tamen acutissimis confertim repletum: lingua lata: oculi albi, haud magni, paulo majores duplo stufero *Hollandico*, pupilla crystallina. Branchias habet satis amplas: Pinnas 7. nimirum post quamlibet branchiam unam, directe à latere protensam, triangularem, semipedem longam, $2\frac{1}{2}$ dig. latam ubi latissima. Interstitio fere $6\frac{1}{2}$ dig. ab occipitio in medio dorso incipit pinna 14 digitos longa, initio triangularis & 4 dig. alta, hinc sensim minuitur & ad caudam fere pertingit. Huic opposita est ejusdem figuræ una in infimo ventre 11 dig. longa, desinens cum superiore, sed non cum illa incipiens. Infra postbranchiales in infimo ventre duas habet junctas, quamlibet $3\frac{1}{2}$ dig. longam & $1\frac{1}{2}$ latam. Septima pinna est cauda, incipiens 2 dig. interstitio à fine dorsalis & ventris, bicornis, superius cornu 8 fere digitos longa, inferius paulo brevior viz. 7. dig. Pinnæ omnes anterius spinas habent, sed molles. In interstitio inter occiput & dorsalem pinnam 8 osseos triangu-

lares

lares aculeos obtinet, quos recondere in carne atque erigere poteſt, ac pro armis uſurpare. Ante quemlibet oculum intervallo unius dig. foraminulum habet duplex. Caput oſſeum & glabrum. Totum corpus exiguis ſquamulis veſtitur, ita ut totus piſcis glaber videatur. Colore totus eſt niger, excepto tamen ventre, qui albiſſimus inſtar cretæ. In lateribus (inter album & nigrum) paululum caneſcit nigredo, cætera (ut dictum) nigerrima. Pinnæ omnes nigræ, exceptis duabus infra poſtbranchiales in infimo ventre, quæ albæ ſunt, oris nigricantibus. In utroque latere piſcis linea profundior reliquis ſquamis tendit ad caudam uſque, ejuſdem cum corpore coloris. Piſcis eſt marinus, gravis ac pinguis, ac pro optimo habetur inter omnes in *Braſilia*, præſertim adhuc juvenis.

CAP. XXII.

Umbra Rondeletii *p.* 182. Geſn. 1230. *&c.* *Chromis* Bellonii Geſn. *p.* 265. *Venetiis* Corvo *dictus*.

Umbra *Bellonio* cetaceus eſt piſcis, 60 plerunque librarum ponderis, *Magnitudo.* quatuor plus minus cubitos longus. Quos nobis *Romæ* & *Venetiis* videre contigit Cyprini magnitudinem non excedebant. *Figuræ* eſt *Figura.* compreſſioris, dorſo cultellato & à capite aſſurgente; Cyprino latior, magnitudinis ratione habita, & tenuior: *colore* pulcherrimo: *Color.* Areolæ enim ſeu lineæ plumbeæ & pallide luteæ viciſſim à ſummo dorſo ad imum ventrem caput verſus oblique ductæ, undulatæ, latera perbelle pingunt. *Squamæ* ei mediocres. *Squamæ.* Opercula autem branchiarum totumque caput ad ipſum os uſque ſquamoſa: quod ei cum Mugile aliiſque pluribus, marinis præſertim piſcibus, commune eſt. *Lineæ* per latera *Lineæ laterales.* media decurrentes in hunc modum intorquentur. └──┐. *Caput* modicum, *Caput.* nec *oculi* grandes. *Oculi.* Opercula branchiarum extrema niger limbus ambit. *Os* exiguum. *Os, Dentes.* Maxilla ſuperior inferiore productior. *Dentes* in maxillis tenuiſſimi, necnon in imo ore duobus agminibus ceu maculis diſpoſiti. A mandibulæ inferioris angulo dependet *barbula* exigua & *Barba.* brevis, ¼ digiti longa, verrucam *Rondeletius* vocat. Medium os ſeu lamina branchias operiens ad margines ſerrata. Nares duplices. *In extrema maxilla inferiore tria magna foramina,* & ſupra illa quatuor aut quinque minima. *Foramina in maxilla.* Duas in dorſo *pinnas* gerit, anteriorem 9 aut 10 aculeis munitam; poſteriorem huic contiguam radiis 23 aut 24, quorum *Pinnæ in dorſo.* primus reliquis brevior & ſpinoſus. *Cauda* plana, in rectam fere lineam terminata [mihi nonnihil forcipata viſa eſt.] *Cauda.* Foramen ani paulo infra mediam longitudinem. *Podex.* Primi paris pinnæ mediocres, radiis circiter 15; ſecundi paris (quod paulo poſterius in ventre ſitum eſt) pinnæ radiis 6, quorum primus reliquis multo brevior & validior. *Pinnæ ad branchias, in ventre & ad anum.* Quæ retro anum eſt radiis octo fulcitur, quorum primus valida ſpina. Veſica aerea dorſo adnexa eſt.

Venetiis, *Romæ* & alibi in *Italia* ſatis frequens eſt. *Locus.*

CAP. XXIII.

§. I. *Coracinus* Rondeletii *l.* 5. *c.* 8. *p.* 128. Σκίαινα, *Umbra* Salviani *&* Aldrov. *p.* 81.

COlore tincam refert, figura ad Percam propius accedit. Squamæ ei mediocres: Os non ampliſſimum: Dentes in maxillis. Pinnarum numero, ſitu, figura, radiis, cum Umbra exacte convenit. Cauda non forcipata, ſed cum expanditur extrema circumſcriptione ſubrotunda. Summitates radiorum in Cauda & dorſi pinnis nigræ. Oculi mediocres, iridibus fuſcis & propemodum nigris. Pinnæ ventrales, & quæ retro anum eſt, nigræ, & velut atramento tinctæ. Apophyſes ad pylorum octo. Hepar grande, veſicula fellea mediocris, felle intus croceo pellucido. Hunc eundem eſſe puto cum jam deſcribendo. Forte junior fuit.

Coracinus dicitur vel à colore nigro (qui κορὸς Græcis eſt, unde & κόραξ i. e. Corvus) vel ab aſſiduo pupillæ motu, διὰ τὸ διηνεκῶς τὰς κόρας κινεῖν, ut *Athenæus*.

§. II. *Umbrino Romæ dictus, an Coracinus* Rondeletii? *an forte Latus ejuſdem?*

Figura. Color. SUperius proxime deſcripto corporis *figura* ſimillimus eſt, nec *colore* multum diſpar, lineis tamen ſubobſcuris fuſcis & ex glauco cœruleis, alternis, undulatis ſupra lineas punctatas, à dorſo medio caput verſus oblique ductis varius. Lineæ in lateribus punctatæ ſummo dorſo parallelæ. Infra lineas punctatas lineolæ obliquæ non ſunt adeo conſpicuæ; nam ſi minus curioſe & negligentius piſcem intuearis, ſquamæ omnes (quæ ei ſatis grandes ſunt) plumbeæ apparent: ſin attente eum obſerves, à capite caudam verſus tendentes lineas alternas obſcuras & lucidas agnoſces. Roſtrum acutum: *Oculi* mediocres, iridibus fuſcis. *Os* amplum. *Dentes* ſeu potius aſperitates quædam in maxillis; in lingua & palato nullæ. Lingua grandiuſcula. Circa roſtri margines *foraminula* quædam habet, in inferiori maxilla 5, in ſuperiori 8. Nares juxta oculos patulæ. *Pinnæ* in dorſo duæ, verum contiguæ, & quæ ſimplex potius pinna, quam geminæ dici merentur. Anteriori radii 11, rigiduli & nonnihil pungentes; horum primus breviuſculus, ut & ultimi duo: poſteriori radii 24, molles & ramoſi. Caudâ non forcipata, ejus autem in piſce quem deſcripſi radii inferiores ſuperioribus breviores [D. *Willughby* longiores] erant, omnes tamen lutei ſummitatibus nigris, exceptis tribus aut quatuor inferioribus, qui penitus nigri ſunt. Pinnæ retro anum radii novem, quorum anteriores duo albi & ſpinoſi, reliquum pinnæ nigrum. Primus autem aculeus breviſſimus eſt; ſecundus craſſiſſimus & validiſſimus, plus quadruplo longior. Pinnæ ad branchias duæ, mediocri magnitudine, radiis circiter 17: in ventre itidem binæ, radiis ſex grandiſſimis, quorum primus ſpina valida. Hæc etiam pinna velut atramento inficitur, excepto radio primo: h. e. ſpinoſo. A ſummo roſtro ad primam fere dorſi pinnam colore cæruleo ſeu azureo pulcro inſignis eſt hic piſcis. Jecur habet parvum in duos lobos proxime æquales diviſum; veſiculam felleam oblongam, rubente liquore repletam: ventriculum modicum. Appendices ad pylorum ſeptem vel octo. Inteſtinum ſemel tantum reflectitur. Splen longus eſt & anguloſus.

Margin notes: *Oculi, Os. Dentes.* — *Foraminula circa roſtrum.* — *Pinnæ.* — *Viſcera & Inteſtina.*

sus. Vesica natatoria grandis, turgida, non divisa, costis adhærens, non tamen adeo pertinaciter, quin inde facile separari & avelli possit.

D. *Willughby* branchiarum opercula & *caput* reliquum in hoc pisce *squamosum* observavit, quemadmodum in Umbra *Rondel.* In imo palato duo tubercula denticellis aspera: dorsum cultellatum; caudam sursum reflexam. Ab *Umbra differt* 1 Colore: 2. Quod barba caret: 3. Quod spina ad anum major & validior sit. Addit Salvianus hunc illo multo minorem esse, nec enim se unquam vidisse qui pedalem magnitudinem superaret: [*Rondeletius* cubitali magnitudine esse ait, & aliquando multo majorem, sed forte non de eodem pisce intelligit.] De Caracino suo nigro loquitur, cui nostrum hunc omnino eundem esse suspicamur. Saporis etiam suavitate atque carnis teneritudine illi inferior est. Figura Coracini quam *Gesnerus* dedit, pisci nobis descripto egregie convenit. *Caput squamosum.* *Quomodo differat ab Umbra.*

Latum suum *Rondeletius* his verbis describit. Λάτος Græcis dicitur; Latino nomine caret. Piscis est marinus, reperitur & in *Nilo*: Coracino & Umbræ similis, verum major, candidior tum carne, tum squamis. Tuberculo in mento caret, qua nota ab Umbra distinguitur. Corpore minus est lato quam Coracinus; squamis oblique sitis, argenteis. Cauda, pinnis, oculis, naribus, foraminibus ante oculos, branchiis, partibus aliis internis Coracinum æmulatur. Dentes evidentes habet, lapides in capite. Frequentissimus est *Romæ* & in *Adriatico* mari, apud nos non ita frequens. [*Nos tamen eum, si ab Ombrino* Romæ *dicto diversus sit, neque* Romæ, *neque* Venetiis, *neque alibi in* Italia *vidimus.*] Vocamus *Peis Rei*, quod delicatissimus suavissimusque sit, & dignus Regum mensis. *Latus* Rondel.

CAP. XXIV.

Corocoro *Brasiliensibus* Marggrav. *Coracinis affinis.*

Dorso est incurvato, capite & ore obtuso: pedalis longitudinis. Denticulos habet parvos, haud acutos: branchias satis amplas, quarum anterior pars in spinam definit acutam: Pinnas 6; nimirum in quolibet latere post branchias unam 3 dig. longam; subtus in infimo corpore duas triangulares fere, sed in extremitate circinatas & anterius firma & acuta spina suffultas: post anum unam, crassa, dura, & acuta spina nixam, cui parvula spina antestat. A summitate dorsi pinna incipit, quæ arcuatim ad medium dorsum tendit, firmis & acutis spinis sustentata, hinc definit, & contigua est illi mollis, quæ & arcuata fere est, & pene ad exortum caudæ protenditur. Cauda 2 dig. longa, 4 lata. Squamis majusculis vestitur, totus argentei coloris, sed in toto dorso & ejus summitate diluta umbra mixtis; & per latera transversim (non tamen ad ventrem usque) in quolibet 8 striæ, digitum latum crassæ ex diluta umbra descendunt: venter totus albus, ut & illius pinnæ. Pinnæ dorsales: postbranchiales & cauda ex argenteo & diluta umbra mixtæ. Pinnam autem anteriorem dorsalem in rimam potest recondere. Capitur in mari & edulis est.

CAP. XXV.

Guatucusa *Brasiliensibus* Marggrav. *Coracini, ut videtur, species :* Corvina *Lusitanis.*

CORpore est oblongo, dorso paulum, ventre minimum curvo : longitudinem 2 pedum non raro adipiscitur. Os habet acuminatum, cujus inferior pars paulo longior superiore, quodque ample potest diducere; dentes minimos; linguam conspicuam; branchias amplas; oculos stuferi magnitudine, pupilla nigra, circulo argenteo. Pinnas obtinet 7, post quamlibet branchiam unam oblongam ; duas sub his in infimo ventre paululum versus posticam partem; unam post anum triangularem: unam triangularem ac altam in summitate dorsi, duriusculis spinis suffultam, & huic fere contiguam alteram in posteriore parte dorsi oblongam, quæ æqualis fere latitudinis, atque ad exortum pene caudæ protenditur. Cauda constat pinna fere quadrata ac lata. Parvulis rotundis squamis totus vestitur, coloris per totum argentei splendentis, cui tamen in dorso aureus transsplendet, & ad tactum videtur lævis. Pinnæ & cauda, ut & venter, albicant. A summitate autem branchiarum per medium latus ad caudæ exortum tendit linea argentei coloris. Capitur in mari, & optimi est saporis.

LIBER QUARTUS

SECTIO V.

MEMBRUM II.

PISCES

Pisces aculeati unica in dorso pinna, radiis anterioribus spinosis, posterioribus mollibus.

His etiam admixti sunt nonnulli, quibus pinnæ dorsalis radii omnes aculeati sunt.

CAP. I.

Cugupu-guacu *Brasiliensibus*, *Lusitanis* Meros, *Belgis* Jacob Evertzen Marggravii.

INgens fit piscis: habui quorum corpus cum capite 5 pedes erat longum, & cum cauda 6: corporis ambitus 4 pedum & 8 dig. altitudo ped. 1½. Caput & os magnum habet, quod apertum in rotundum dilatat, edentulum: oculos mediocres, pupilla cryſtallina nigricante, circulo flavo: Branchias in ambitu rotundas, medio autem in triangulum definentes. Pinnas 5, nimirum unam à ſummitate dorſi incipientem, & non ita longe à cauda deſinentem, ad anteriorem partem ſeu medietatem plane anguſtam, & acutis ſpinis munitam; poſterior autem medietas lata eſt, & ſemilunata in ambitu, ſpiniſque haud firmis erigitur: prope anum unam ejuſdem figuræ cum medietate poſteriori dorſalis, ſed dimidio minorem: poſt branchias prope infimum ventrem duas longas & latas, tenuioribus ſpinis intertextas. Cauda magnam pinnam habet quadratam, in extremitate latiorem quam in exortu. Squamas habet parvas. Totum caput, dorſum ac latera cinerei ſunt coloris cum umbra mixti, & verſus dorſum paulo ſaturatioris. Venter albicat. Pinnæ omnes cum cauda dilute brunnæ. Per totum caput, dorſum latera & pinnas poſtbranchiales maculæ parvæ nigræ, ſeu puncta frequentiſſima diſperſa. Venter vero & reliquæ pinnæ cum cauda his punctis carent. Bonam habet carnem. Capitur in mari.

Piſcis hic ſi modo recte à *Marggravio* deſcriptus ſit, ad genus ſecundo pinnarum pari carentium proprie pertinet: verum quoniam id non animad-

nimadvertimus, antequam singulis capitibus numeros suos apposueramus, satius duximus id lectorem monere, quam cum tædio nostro tot lituras inducere, quot opus esset ad numerorum omnium characteres mutandos.

CAP. II.

Piratia pua *Brasiliensibus* Marggrav.

PIscis hic ingentem adipiscitur magnitudinem, ut *Capuripima*. Inferior mandibula paulo longior superiori. Dentes acuti in tota mandibula inferiori, in superiori solum in medio, qui longiores, quemadmodum & medii in inferiori. Os ampliare amplissime potest in rotundum foramen. Oculos obtinet non ita amplos pro corporis mole, pupilla crystallina. Branchias amplas, duras seu armatas. Corpore autem est oblongo, dorso paulum incurvato versus caput, & ventre mediocriter amplo. Pinnas habet 7: unam à summitate dorsi (incipientem versus capitis fere exortum) ad caudæ usque initium protensam: quoad medietatem anteriorem spinis suffultam, quoad posteriorem mollem sine spinis; in medio autem sui angustiorem, anterius latiorem, posterius adhuc magis latam & quasi circinatam in extremitate. In quolibet latere post branchias unam latam & in extremitate circinatam, cætera quasi quadratam. Sub his in infimo ventre duæ propinquæ sunt oblongæ, haud latæ, firmis spinis nixæ. Prope anum unam habet amplam satis, itidem circinata fimbria posterius, uti ea quæ in dorso. Corpus posterius quadrate extenditur, & continet septimam pinnam pro cauda, quæ ampla est, & figuræ pene quadratæ. Squamulis vestitur parvulis, ita ut ad tactum glaber videatur, etiamsi antrorsum mulceatur. Coloris est per totum ex obscuro aureo hepatici, qui tamen obscurior in dorso & summo capite. Huic autem colori per totum retis in modum cinerei coloris lituræ obtenduntur. Pinnæ omnes ejusdem cum corpore coloris; laterales autem præterea fimbrias habent aureas, reliquæ epaticas.

Carne satis probata est, si junior sit, nimirum 6, 7, aut 8 pondo, & assatus magis quam coctus, nam pinguis est: adultior vero, 200 aut plurium pondo, carnem habet pro bajulis, nec delicatiorem carne *Camarupimasa*, nimirum lentam, tenacem ac difficilis concoctionis. Capitur in mari.

CAP. III.

§. I. *De Scaro pisce.*

INter saxatiles Scarus excellere suavitate creditur. Alimentum autem ex eis [saxatilibus omnibus] non modo ad coquendum facile est, sed etiam saluberrimum. *Gesnerus* ex *Galeno*. Apud Antiquos nobilissimus habitus Acipenser, nunc Scaro datur principatus. *Plin.* 9. 17.

Etymon. Σκάρος Græcis dicitur ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, autore Athenæo, quod significat salire sive tripudiare, hic potius νέμεσθαι, id est, depasci: id enim aliquando significat σκαίρειν, ut ex Theocrito docet Phavorinus. *Rondeletius.*

Scarum piscium solum ruminare tradunt Veteres, *Aristoteles, Plinius, Ovidius, Oppianus.* Nos nullum omnino piscem ruminare credimus. Neque vero *Aristoteles* aut *Plinius*, illud de Scaro fidenter ut sibi compertum afferunt, sed ut vulgo jactatum narrant. *Plinius* enim illud dici, *Aristoteles* credi scribit. *Scarus ruminat.*

De piscibus ruminare proditis egregie differit *Peyerus* de *Ruminantibus*, & *Ruminatione* ut de *Scaro, Salmone, Aurata, Mugile* &c. consideratis dentibus, gula, & ventriculo, aliisque ruminationi requisitis, illos ruminare non concedi potest. Escam potius pinsunt, effringunt, & dissolvunt in suis stomachis, & intestinis, fibrosis, robustis, musculosis, & glandulosis; atque adeo non opus est ut ingesta refundant in os pro ulteriori masticatione, præparatione, & digestione. Hæc D. *Tancredus Robinson.*

Plinius Scarum herbis vesci, non aliis piscibus ait: idem & alii affirmant. *Bellonius* eum ad orientem tantum *Cretæ* insulæ inveniri scribit, quia mare herbas quasdam exiguas quibus vescitur, non producit nisi ab ea parte. Solus autem herbis non vescitur; nam Salpa (ut inferius dicemus) Algam aliasque plantas submarinas ingerit. *Quibus vescitur.*

Scarum è piscibus solum dormire tradiderunt *Seleucus Tarsensis* apud *Athenæum*, & *Oppianus*. *Gesnerus* constare ait alios quoque pisces dormire, quod tamen nobis non verisimile videtur, cum nec palpebras habeant, nec membranas nictatorias quibus oculos claudere possint. *Dormire dicitur.*

§. II. *Scarus onias* Rondeletii, *Sargo affinis.*

PIscis est marinus, saxatilis, squamis magnis, tenuibus, colore ex cæruleo nigrescente, ventre candido: Sargo similis corporis forma ad rotunditatem accedente, aculeorum pinnarumque situ & numero. His notis ab eodem secernitur, macula nigra in cauda, lineis nigris à dorso ad ventrem ductis caret. Dentes planos hominis modo maxillasque habet, imo proprie solus latos habet, pluraque & majora in maxillis ossea tubercula; caudam latam, in duas pinnas non divisam. Adhæc oculis est magnis, superciliis coloris Indici. Cor habet angulatum: Hepar in tres lobos divisum, à quo fellis vesica pendet, sed intestinis alligata: Fel nigri coloris & splenem: ventriculum parvum cum quatuor vel quinque appendicibus: intestinum convolutum.

Vidimus *Venetiis* piscem quendam quem piscatores & ichthyopolæ *Orada vecchia*, id est, Auratam vetulam appellarunt, tum figuræ tum descriptioni *Rondeletianæ* per omnia respondentem; An vero Veterum Scarus fuerit dubitamus: nam *Bellonius* Adriaticum mare Scaro carere affirmat. Et quamvis *Plinius* narrat, *Optatum Tiberii Cæsaris* libertum inter *Ostiensem* & *Campaniæ* oram Scaros disseminasse, posteaque inventos in *Italiæ* litore non antea ibi captos; eorum tamen sobolem vel penitus interiisse; vel, ut credi par est, longo patrii maris desiderio abductam, in Græciam remeasse cum *Jovio* putamus. Præterea Scarus hic *Rondeletii*, si ab Aurata & Sargo specie diversus sit, est tamen eis tum figura corporis tum sapore & qualitate carnis persimilis, proinde nulla ratio est, cur apud Veteres tanto in pretio esset, ut primum inter pisces dignitatis locum obtineret. His adde, *Bellonii* Scarum, (qui ob hoc omnino specie distinctus mihi videtur) apud vulgus *Creticum* in hodiernum usque diem antiquam appellationem retinere; adeoque eum ipsissimum Veterum Scarum esse verisimillimum est.

§. III. *Scarus varius* Rondeletii.

OCulis & ventris inferiore parte, in qua podex, purpurei est coloris; cauda coloris Indici; reliquum corpus partim ex viridi, partim ex nigro cæruleum est; squamæ velut notis obscurioribus asperſæ. Ore est mediocri, dentibus latis, in superiore maxilla densis: in inferiore raris & acutis. A dorso ad caudam fere aculei tenui membrana connexi, & æquis intervallis dispositi. In singulorum summa parte membranula pendet vexilli instar. Pinnæ ad branchias sitæ latæ sunt, ac veluti ovi figura. In medio ventris notas duas purpureas habet. Intus ventriculum satis capacem, hepar subalbidum, intestina lata & multa, fellis multum, splenem magnum. Formosissimus sane est hic piscis si quis alius.

Ex figura & descriptione vel Turdi species esse videtur, vel ad Turdos proxime accedere.

§. IV. *Scarus* Bellonii, *quem Veterum esse putamus, & ab utroque* Rondeletiano *diversum.*

COrpus Scari ex livido rubet ut Mullus, minus tamen florido colore. Squamis contegitur latis & translucidis. Caudam & pinnas habet obtusas ut Corvus: Branchias duplices, utrinque quaternas. Habet etiam utrinque appendices transversas atque eminentes ad caudæ latera, quas in nullo præterea pisce unquam conspexi. Phycidem marinam quodammodo refert, siquidem planum non habet corpus, nec prorsus oblongum: Dentibus est obtusis, quorum incisorii nostris sunt persimiles quibus herbas, quæ saxis inhærent, detruncat. Rictum non valde magnum edit. Unicam habet in tergore pinnam, tenuibus aculeis asperam: sub ventre autem quatuor ad ventriculi custodiam, qui delicatis ac sapidioribus herbis refertus à piscatoribus expeti solet. Cujus rei causa ventriculum & hepar (quod alioqui prægrande illi natura absque ullo felle præbuit) una cum fæcibus addito sale atque aceto conterunt, pulmentum inde cibis idoneum conficientes. Insipidus enim est Scarus nisi cum suis fæcibus edatur.

Corporis Scari moles vix unquam major est quam quæ pollice & indice comprehendi possit, neque raro est spithama longior.

Scari Phaseolos & pisa plurimum expetunt: unde *Cretensium* vulgus Phaseolis *Scarovotano* nomen indiderunt, quorum folia nassis immissa, ad Scarorum piscationem mari submergunt: alioqui calamis & hamis vix deciperentur. Addit & retibus perpaucos capi. Non capitur (inquit) in nostris litoribus, neque Mediterraneo neque Oceano mari, quod affirmo, & *Hellespontus* & *Euxinus* & *Adriaticum* hoc pisce carent: in *Cretæ* vero locis quibusdam adeo frequens est, ut non alius capi crebrius soleat.

Græci hodierni Scarorum ventriculos una cum fæcibus, & hepate, quod fere prægrande est, & sine felle, conferentes adjecto sale & aceto pulmentum elegans conficiunt, quo ipsius Scari carnes alioquin non admodum sapidas condiunt, & offis eo intinctis, quoties ferio *Græcantur*, ventriculum reficientes, vini malvatici amphoras strenue siccant. *Bellonius*, & *D. Mundy*.

CAP. IV.

Capeuna Brasiliensium Marggravio.

CORpore est oblongo, non lato, qui in 7 digitorum longitudinem excrescit. Os illi obtuse acuminatum, habetque in superiore atque inferiore mandibula, unam seriem minimorum denticulorum: tota cavitas oris cum lingua sanguinei coloris est insignis. Oculi illi parvi stuferi magnitudine, crystallini, circulo partim argenteo colore variegato. Pinnas obtinet 7; in quolibet latere post branchiam unam oblongam, tenuem quasi triangularem: duas triangulares in infimo ventre; unam post anum, firma spina munitam: unam per dorsi longitudinem excurrentem, cujus anterior medietas spinis munita, quam recondere potest, posterior mollis & sine spinis; cauda bicornis, molli pinna. Tegitur squamulis parvis argenteis, in quibus aliquid aurei transplendet. In quolibet latere habet duas lineas crassas aurei coloris, unam à summitate oris per oculos & medium latus tendentem ad caudam, alteram magis superius per dorsi latum pergentem. In summitate capitis livescit. Pinnæ omnes sunt cinereæ; venter albus, ut & ejus pinnæ. Coctus boni est saporis. Capitur in mari inter scopulos.

CAP. V.

Aurata Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 2. *p.* 115. Bellonii, Gesn. *p.* 128. Aldrov. *l.* 2. *cap.* 15. *p.* 169. *Orata* Italis Angl. *A Gilt-head.*

PIscis est latus, ad latera compressus, Abramidi seu *Cyprino* lato nonnihil similis, unde & Gallis *Brame de mer*, teste *Rondeletio*, dicitur, quo nomine etiam Sparum, Cantharum & similis figuræ pisces nuncupant. *Figura.* Ad duas nonnunquam spithamas *longitudine* accedit; ad denas libras cum maxime adolevit vix unquam pervenit. *Longitudo.* Squamosus *squamis* modicis. *Squamæ.* Dorsum obscure viride aut nigricans. Latera fusca intermicante aureo. *Color.* Ad supremum angulum operculorum branchiarum macula plerunque nigra, & infra eam non raro etiam purpurea. Inter oculos ductus arcuatus aut lunulatus aureus, cujus convexa seu gibba pars rostrum spectat, cornua, oculos. *Supercilia aurea.* *Oculi* satis grandes, irides argenteæ, maculis quibusdam nigris nebulosæ. *Oculi.* *Os* mediocre; lingua acuta. *Os,* *Dentes* habet in utraque maxilla optimo ordine in gyrum dispositos, oblongos & subrotundos ut Sargus, non autem latos ut Scarus, ut recte *Bellonius*. *Dentes.* *D. Willughby* in superiore maxilla dentes sex, in inferiore octo numeravit. *Tuberculis* insuper *osseis* granulosis utraque maxilla interius exasperatur. *Tubercula ossea in ore.* Dentes labiis contecti sunt, ut in Quadrupedibus; quod & aliis multis piscibus commune est, hujus præcipue generis, & Turdis. *Dorsum* cultellatum & admodum acutum, cui unica innascitur *pinna*, per totam fere longitudinem extensa radiis 24, anterioribus 11 rigidis & spinosis, 13. posterioribus cartilagineis & flexilibus, communita. *Dorsum. Pinnæ.* Cauda bifurca, radiis præterpropter 17. Quæ

imæ ventris carinæ ab ano hæret pinna radios obtinet 14: quorum anteriores tres spinosi, reliqui molles. Primi paris pinnæ prælongæ in acutum angulum desinunt & radios numerant 17. Secundi paris pinnæ, seu quæ ventri paulo inferius adhærent, singulæ solito sex radiorum numero constant, quorum primus spina valida.

Viscera & intestina. Interiores abdominis partes nigra & tenera membrana, seu peritonæo obvestiuntur. Quatuor habet appendices ad pylorum grandes. Verum Appendicum numerus variat, nam in nonnullis tres tantum observavimus. Vesica fellea longissima, ad reflexionem usque intestinorum dependens, felle intus flavo-viridi. Hepar pallidum: Lien niger. Ad cutem nigram [*transversam in summo abdomine membranam, ut puto, intelligit quæ pro vesica natatoria est*] canalis à ventriculo extenditur.

Etymon. A superciliis aureis Græcis χρύσοφρυς, Latinis Aurata dicitur. Carne est neque molli neque dura (inquit *Rondeletius*) sed mediæ cujusdam consistentiæ, optimumque succum gignit. Auratæ æstate raro, hyeme autem frequentissime capiuntur, quæ tum laudatiores existunt....... singularem & saporis simul & salubritatis gratiam obtinet. *Jovius.* Tam in mari mediterraneo quam in oceano frequens capitur. *Venetiis, Genuæ, Romæ* & alibi in *Italia* venales in foro piscatorio observavimus magna copia.

CAP. VI.

Sparus Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 3. *p.* 118. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 18. *p.* 180. Bellonii, Gesn. 1056. *Sparo* Venetis.

Figura. Figura corporis Auratæ non multum dissimilis est, verum pro magnitudine latior, & versus caudam corporis circumscriptione rotundior, cauda scil. minus producta: *Colore* etiam multo dilutiore, quam vel Aurata, vel Cantharus, vel Melanurus, luteo-viridi scil. pallidiore. Prope caudam macula annulari nigra insignitur, quod ei cum Sargo & Melanuro commune est. *Oculi* ampli, iridibus argenteis· *Os* parvum. *Dentes* eodem modo dispositi quo in Aurata, verum lati & humanis incisoribus omnino similes: tubercula pariter in utraque maxilla granulosa ossea similia, sed pauciora. *Pinnarum* numero, figura, situ, radiis cum Aurata convenit. *Appendices* habet quinque: vesicam aeream amplissimam, membrana opaca, valida, alba, dorso fortiter adhærente. *Ab Aurata* facile *distinguitur*, quod aureis illis palpebris careat, quod cauda macula nigra pinguatur; quod colore sit pallidiore; quod maculis illis nigris purpureisque ad branchias careat, quod denique non excrescat in magnitudinem Auratæ parem. A Sargo & Cantharo differt, quod areolas neque secundum longitudinem, neque transversas obtineat: quod pinnæ omnes excepta dorsali colore flavo inficiantur: quod squamis latioribus contegatur.

Color. Oculi, Os, Dentes. Pinnæ. Appendices. Ab Aurata ut differt.

Nominis ratio. Locus. Sparus piscis dictus videtur ἀπὸ τοῦ σπαίρειν, quod est palpitare, ut Scarus ἀπὸ τοῦ σκαίρειν. *Gesnerus ex Eustathio.* Sparus in *Hadriatico* sinu & mari infero ubique fere obvius est. *Carnis* sapore & salubritate cum Aurata convenit & reliquis congeneribus, Sargo scil. Cantharo & Melanuro.

Caro qualis.

CAP.

CAP. VII.

Sargus Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 5. *p.* 122. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 16. *p.* 16. *p.* 173. Bellonii Gesn. 993. *Sargo* Venetis, *aliisque Italis.*

ROstrum huic acutius quam aut Auratæ aut Sparo, sursum nonnihil reflexum. Dentes primores non acuti sunt & rotundi ut in Aurata, sed ut in Sparo lati & humanis inciforibus similes. Ab utroque differt, quod tuberculis illis osseis granulosis in maxillis careat: quodque totum corpus annuli transversi fusci distinguant, Percæ aut Mormyri in modum. Ab Aurata privatim, quod aurea illa lunula inter oculos Auratæ propria careat; quod annulo nigro prope caudam Spari aut Melanuri instar insigniatur: quod brevior, latiorque sit & extrema circumscriptione rotundior, magnitudinis ratione habita. *Quomodo à Sparo & Aurata differt.*

Rondeletius Sargum suum tum Sparo, tum Cantharo, tum Melanuro spissiorem facit, cum nobis descripti tenuiores fuerint. *Sargo Genuensis ex descriptione* D. Willughby.

Sargo Genuæ dictus piscis à *D. Willughby* descriptus corpore erat compresso & tenui, dorso acuto, cultellato, & cauda valde forcipata, colore ex albo cærulescente, lineis oblongis flavicantibus obscurioribus tamen distincto. Non procul à cauda inter extremas Dorsi & Ani pinnas macula nigra insignis, aliaque transversa inter occiput & dorsi pinnam à linea in uno latere ad lineam in alio oppositam extensa. Extrema quoque branchiarum colore nigro tinguntur. Oculi membrana diaphana obducti. Branchiarum opercula squamosa. Branchiæ singulæ duplici serie aristarum constant. Os acutum: labia ut in Turdis sed minora. Unicus in utraque maxilla dentium inciforum humanis similium ordo. Molares quoque quadrupedum molaribus similes. Vesica costis adhærescit. Peritonæum nigrum: cystis fellea longa.

Cæterum in pisce $4\frac{7}{8}$ digitos longo, primum pinnarum par à summo rostro distabat unciam $1\frac{1}{2}$; secundum $1\frac{3}{4}$; exitus excrementorum $2\frac{1}{4}$; oculi $\frac{3}{8}$. Pinnæ autem dorsi radii 26 inerant, è quibus anteriores 12 rigidi & spinosi; pinnis ad branchias singulis 14; ventralibus 6, primo spinoso; ei quæ ano succedit 17 anterioribus tribus spinosis. *Mensura.*

Ut externa corporis specie, ita carnis qualitate cum Aurata & reliquis congeneribus convenit. *Caro.*

Genuæ & *Romæ* Sargum vidimus & descripsimus. Quæ de variis capiendi modis Veteres habent apud *Gesnerum* vide. *Locus.*

Jaguacaguare Brasiliensibus, *Jaqueta Lusitanis Marggravii* huic vel idem est, vel simillimus piscis. *Mormyrus* enim longior est piscis, (ni hic male pictus sit) & plures lineas nigras transversas obtinet.

CAP. VIII.

Cantharus Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 4. *p.* 120. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 20. *p.* 185. Gesn. *p.* 211.

HIc figura superioribus duobus similis est, verum & ab eis & à reliquis congeneribus in multis differt. 1. Quod color ei obscurior & nigrior sit. 2. Quod squamæ longe minores. 3. Quod nigro illo *Quomodo à congeneribus differt.*

 prope

prope caudam annulo careat. 4. Quod dentes quamvis eodem modo dispositi quo in reliquis, non tamen lati sint, sed teretes & acuti. 5. Quod nulla in maxillis tubercula ossea, sed eorum loco asperitates quædam. 6. Quo præcipue ab omnibus differt, sunt lineæ luteæ prope parallelæ à capite ad caudam decurrentes, ut in Salpa, obscuriores tamen.

Oculi. *Oculorum* irides pulchre argenteæ sunt, nulla aurei aliusve coloris mixtura. *Lineæ in lateribus.* *Lineæ* latera media dividentes insignes sunt & latiores quam in aliis plerisque piscibus. *Viscera & intestina.* Appendices habet 4 vel 5: hepar pallidum, fel viride. Intestinum rectum in omnibus quos dissecuimus purpureo excremento plenum erat.

Nominis ratio. Cantharus à similitudine Canthari terreni, qui è fimo ingentes pilas aversis pedibus volutat, inquit *Plinius*, dictus mihi videtur. Ut enim hic fimo delectatur, & in eo hyeme conditur; sic Cantharus piscis in luto & sordibus libenter versatur. Quare in litoribus & portubus degit, in quæ loca maris sordes fluctibus pelluntur, cœnumque ex proxima terra pluviisque confluit. *Rondeletius. Gesnerus* à colore dictum existimat quo Cantharum id est scarabæum refert, sive nigricante, ut in pilulario: sive ex nigro rubescente, ut in scarabæo magno.

Acara pinima Brasiliensium *Marggravio* vel Cantharus est, vel Cantharo simillimus piscis.

Locus. Cantharus in mari Mediterraneo non infrequens piscis est. *Genuæ* & *Romæ* eum nacti sumus. Ut specie externa ita carnis qualitate cum Aurata, Sparo, Sargo, reliquisque congeneribus convenire videtur, cum quibus etiam frequens capitur.

CAP. IX.

Melanurus Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 6. Bellonii Gesn. *p.* 638. Aldrov. *lib.* 1. *p.* 63. *Latinis* Oculata, Occhiata *Romæ.*

Corporis figura oblonga ab Aurata, Sparo &c. differt, & ad Salpam accedit. Dorso est minus assurgente & cultellato quam Aurata, ex cæruleo nigricante, lateribus argenteis, lineis obscurioribus à capite caudam versus productis decoloribus. Oculi ei grandes, unde *Romanis Occhiata* dicitur; irides aureæ, in nonnullis nigricantibus nebulis suffusæ. Os mediocre: Dentium in utraque maxilla ordo simplex. Horum anteriores latiores, posteriores acutiores. Dentes in palato nulli, verum in imo ore duo tubercula aspera. Pinnarum numero, situ figura, radiis, cum Aurata reliquisque congeneribus convenit. Cauda admodum forcipata est: squamæ mediocres. *Rondeletius* & *Bellonius* squamas latas & grandes ei attribuunt. Appendices ad pylorum quatuor grandes. Prope caudam utrinque macula nigra notatur, unde Melanuri nomen à Græcis ei impositum. Longitudine est palmari aut sesquipalmari, pondere librali.

Locus. In mari infero circa *Liburnum*, *Romam* & *Neapolin* frequens est, in Mari supero, ut puto, rarior: nec enim *Venetiis* eum unquam vidimus. In Oceano *Gallico* & *Britannico* perrarus est, ut recte *Bellonius*.

Caro. *Carnis* sapore & qualitate non multum differre videtur ab Aurata & congeneribus.

Nominis ratio. Nominis utriusque tum Græci tum Latini ratio manifesta est, siquidem Melanurus dicitur à nigra in cauda macula, Oculata antem ab oculis, quos magnitudine insigues obtinet.

Quamvis

Quamvis piscis hic à nigra in cauda macula nomen suum obtinuit; hujusmodi tamen macula ei propria non est, sed Sparo & Sargo communis. Certiores notæ quibus à congeneribus differt sunt, figura corporis productior, & oculi grandiores.

In genere pisces quinque proxime descripti his notis quibus à se mutuo facile distingui possunt, insigniuntur. *Aurata* dentibus incisoribus acutis, superciliis aureis magnitudine eximia: *Sparus* incisoribus latis, nullis neque rectis neque transversis in lateribus lineis: *Sargus* incisoribus itidem latis, fasciis transversis nigris, ut in Perca. *Cantharus* incisoribus acutis, lineis secundum longitudinem flavis. *Melanurus* oculis magnis, lineis in lateribus nullis, figura corporis productiore.

CAP. X.

Erythrinus Rondeletii *lib. 5. cap. 16. p. 144. Erythrinus sive Rubellio* Aldrov. *p. 154. Rubellio vel Fravolino* Salvian. *Alboro seu Arboro* Venetiis.

AB *Aurata differt* 1. Magnitudine, qua ei multum cedit. 2. colore, qui huic per totum corpus dilute rubet. 3. Cauda magis forcipata. 4. Rostro acutiore. Figura corporis; Pinnarum numero situ, figura, radiis cum Aurata convenit. Radii anteriores pinnarum ad branchias prælongi sunt. Oculi amplissimi, iridibus argenteis cum aliqua ruboris tinctura. Os parvum: Lingua exigua, acuta reducta. Dentes ut in Aurata, verum tubercula ossea pauciora. Opercula branchiarum in hoc & omnibus congeneribus squamosa. *Ab Aurata cui alias similis quomodo differat.*

Ἐρυθρῖνος Græcis, Latine *Plinio* Rubellio à rubro cutis & squamarum colore dicitur: Fragolino Italis à colore rubro fragorum æmulo. Fragolini (inquit *Jovius*, Erythrinos autem intelligit) ex his qui assantur piscibus longe sunt probatissimi: sunt enim & gustui gratiores & stomacho nequaquam molesti, utpote qui rationabiliter febricitantibus conceduntur &c. Hos pisces hyeme longe sapidissimos experimur. *Ratio nominis. Carnis qualitas.*

CAP. XI.

Acarnan Rondeletii Gesn. *p.* 1.

PIscis hic cum inter Erythrinos & pro Erythrino *Romæ*, (ubi eum *Rondeletius* tantum vidit) vendatur, eodemque nomine (scilicet *Phragolino*) nuncupatur, merito eum Erythrino subjiciemus. Dicimus igitur (inquit) Acarnanem esse piscem marinum, Pagri vel Erythrini forma, colore candido, squamis argenteis, ore mediocri, tenuibus dentibus, rostro aquilino Pagri modo, spatio quod inter oculos est compresso, oculis magnis pro corporis ratione, aureisque: pinnis candidis. Ad pinnarum radicem macula est ex nigro rubescens: caudæ extrema rubescunt. Linea recta à branchiis ad caudam protensa. Partibus internis à Pagro non differt, eique & Erythrino adeo similis est, ut pro eis vendatur.

Piscis hic ab Erythrino non alia in re differre videtur quam colore candido; certe Rondeletius *non alias distinctionis notas affert, quocirca ego cum piscatoribus potius senserim eum ab Erythrino aut Pagro non differre specie. Qui plura de Acarnane velit,* Gesnerum *adeat.* Rondeletius *certe mihi videtur species sine necessitate sæpius multiplicare.*

CAP.

CAP. XII.

Pagrus Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 15. *p.* 142. Bellonii *Pagrus seu Phagrus* Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 7. Gesn. *p.* 173. Genuæ *Pagro* Angl. *a Sea-Bream.*

A Rubellione, cui alias persimilis est, in quibus differt.

RUbellioni persimilis est tum figura, tum colore: si tamen curiose eum contempleris, in multis differre observabis. 1. Quod in majorem molem excrescat. Cum enim Erythrinus libram aut sesquilibram raro excedat, hujus generis vidimus qui decem etiam libras pendebant. 2. Quod latior sit & spissior. 3. Quod caput summum inter oculos depressius sit & planius, nec eousque squamis vestitum. 4. Quod ad basin pinnarum branchialium maculam habet ferrugineam, quæ in Erythrino desideratur: item aliam magnam ad initium lineæ punctatæ utrinque. *Pinnæ* ad branchias quamvis longæ sunt, minus tamen quam Erythrini, quæ longissimæ. In hoc pisce peculiare est, quod in pinnis dorsi & ani extremis cutis in sinum quendam procurrit, & extremos pinnæ radios obvolvit & fere occultat; quod in Rubellione non fit. *Os* interius, lingua & branchiarum opercula pulchre in nonnullis miniata. *Oculi* grandes, iridibus argenteis. *Dentes* & tubercula granulosa ita se habent ut in Erythrino. Linea punctata dorso propior eique parallela: *Squamæ* magnæ: cauda forcipata. Nares duobus utrinque foraminibus hiant. Quatuor habet ad pylorum appendices, duas longas, duas breves: *intestina* semel tantum reflexa: hepar rubrum: vesiculam felleam longam; lienem nigricantem; vesicam natatoriam prægrandem dorso & costis affixam secundum totam abdominis longitudinem: quo etiam (teste *Rondeletio*) ab Erythrino differt. Quinetiam Pagrus eodem autore, rostro est spissiore & rotundiore quam Erythrinus, ad Aquilini nasi formam accedente.

Pinnæ. Os. Oculi. Dentes. Squamæ. Viscera & Intestina.

Caro qualis.

Pagrus (inquit *Rondeletius*) media est carne, vel satis sicca, unde fit ut alvum non cieat, ut molles & præhumidi, & satis nutriat. *Gyllius* post Acipenserem ex omnibus piscibus præcipuam autoritatem Pagris potius aliisque non paucis sapientius attribueret, quam, ut *Plinius*, Asellis. Ego, si de Asellis Oceani intelligat, cum *Plinio* senserim.

Etymon.

Græci Phagrum nuncupant, quod duros dentes habeat, ita ut ostreis in mari alatur. Isidorus, innuit παρὰ τὸ φαγεῖν, id est, ab edacitate dictum.

In tenebris lucet.

Genuæ cum essemus Anno 1664. Pagrum piscem satis grandem emimus, quem in cubiculo per noctem unam reservabamus, ut eum in sequenti mane dissecaremus, ecce hic in tenebris mirum in modum totus lucebat, velut pruna ardens aut ferrum candens, rarissimo spectaculo; antea enim tale phœnomenon non videramus.

CAP. XIII.

Dentex sive Synodon Aldrov. *lib.* 1. *cap.* 12. *Synagris* Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 19. 150. *Dentulis sive Dentex* Bellonii Gesn. *p.* 1119. Dentale *Italis.*

Figura corporis. Color.

RUbellioni aut Pagro non multum dissimilis est, verum pro magnitudine crassior & longior. Caput ei depressum; rostrum oblongum; dorsum acutum cultellatum, sordide viride aut flavicans, in gran-

grandioribus interdum purpurascens, maculis lucidis cæruleis & nigris varie resperfum. Idem est & laterum color. Ad radices extremorum pinnæ dorsi radiorum macula habetur nigra, nec non ad exortum pinnarum branchialium utrinque. Pinnæ ventrales flavicant, quæque ab ano est, sed minus. *Dentium* in utraque maxilla ordo unus, in quibus quatuor hinc inde præ aliis conspicui & caninorum æmuli, unde & nomen pisci inditum. Dentes labia contegunt ut in Quadrupedibus. *Lingua* glabra, mollis. *Palatum* quoque glabrum, dentium expers; in imo tamen ore tubercula duo aspera. *Oculi* grandes, iridibus aureis. *Narium* foramina utrinque bina, quorum posteriora oculis fere contigua. *Pinnarum* numero, situ, figura cum Aurata aut Erythrino convenit: verum radii molles in dorsi & ani pinnis pauciores sunt, in hac scilicet octo tantum, in illa decem. Appendices ad pylorum quatuor. *Dentes. Lingua. Palatum. Oculi. Nares. Pinnæ.*

Piscis hic cum adultior est (vidimus enim qui pedalem longitudinem superarent) rubore purpurascente totus diluitur. *Adultiores ex purpura rubent.*

Squamæ insuper dorsi si luci objiciantur, à parte capitis versus caudam spectanti purpureo aut purpuro-cœruleo colore resplendent. Color hic circa caput & in genis præcipuo notabilis est. Cauda huic pisci forcipata. Squamæ satis grandes. Foramen ani una plus tertia longitudinis parte à radice caudæ distat.

Venetiis & *Romæ* frequens est: in Oceano captos nondum vidimus. Caro sapida est & salubris, qualis Auratæ reliquorumque congenerum. Vulgarium *pondus* trium aut quatuor librarum esse solet: decem librarum pondere observavit *Salvianus*. *Locus. Pondus.*

CAP. XIV.

Synagris Bellonii. Gesn. 1120.

Synodontem & Synagridem non specie sed ætate sola differre *Rondeletius* sentit, ut Synagris dicatur minor & junior, Synodon major. *Bellonius*, *Salvianus*, *Gillius* & *Gesnerus* distinguunt, Aristotelis aliorumque Veterum autoritate. *Synagris a Synodonte diversus.*

Synagridem (inquit *Bellonius*) vulgus Græcum optimis notis à Synodonte distinguit. Dentex enim magis recurto est corpore: Synagris Cyprini in modum velut circino ita circumductus, ut pro longitudine ac latitudine magis crassus appareat. *Caput* utrinque compressum habet, pro sua crassitudine planum ac latum; oculos quemadmodum in serpentibus elatos: tergus aciei oculorum subjectum, quod si quando huc atque illuc moveat, varios *colores* edit. Caput habet veluti aureum, & lineas versicolores complures per squamas, quarum nonnullæ cœruleæ sunt, aliæ aureæ, deinde subnigræ, mox virides, vel his coloribus mixtæ. Verum ea quidem linea quæ latera intersecat, eo modo non variat, nigra enim est. Proinde *squamis* contegitur Corvi, rotundioribus & latioribus, sed tenuioribus. *Caudam* gerit admodum bifurcam, & *pinnas* laterum valde in acutum desinentes, arundinis alæ in modum oblongas. *Pinnam* aliam in tergore continuam gerit, vicenis aristis communitam, quarum quæ capiti finitimæ sunt, firmiores atque acutiores conspiciuntur. Umbilici pinna denis aristis constat: quarum duæ priores aliis fortiores conspiciuntur. Narium foramina circa oculorum fontes illi sunt pervia. *Dentes* canini, ut Synodontis, in superiore & inferiore maxilla, quorum quatuor præcipue aliis longiores eminent. Quum autem maxillas conjungit, dentes pyxidatim in alter- *Nota quibus a Synodonte differt. Caput. Color. Squamæ. Cauda. Pinnæ. Dentes.*

Lingua. Viscera & intestina. utram coeunt. *Linguam* exerit albam, oblongam & modice compressam. Cor habet sub branchiis angulosum, diaphragmate interseptum. Hepar pallidum, in duos lobos divisum, quorum dexter sinistro major est, sub quo fel includitur, duos digitos longum, gracili vesicula inclusum. Lutea sunt ejus intestina, præter rectum quod inter cætera candicat. Stomachus quoque illi est oblongus, per ventrem protensus, ex cujus summa parte propter œsophagum tres tantum appendices sive apophyses numerantur. Lienem, ut Juniperi bacca, orbicularem habet, à stomacho dependentem, firmis venis alligatum: Vulvam utrinque bicornem, per longitudinem spinæ exporrectam, innumeris ovis refertam.

Locus. Capiendi modus. Synagrides circa *Corcyram* (quo in loco nomen antiquum apud vulgum retinent) calamis decipi conspexi: raro enim nassis decipiuntur, sæpius tamen everriculis.

Synagridibus vesicæ ventosæ, (quæ piscibus datæ sunt ne immergantur) geniculo interceptæ comperiuntur: quod cæteris piscibus marinis, aut saltem paucis, minime accidit.

Quum itaque Synagris Latinum nomen non habeat, non est quod eum Denticis nomine ob confusionem appellemus.

Hæc omnia Bellonius: *quibus quæ addam non habeo, cum piscis isthic mihi nunquam visus sit, saltem si a Dentice differat specie ut* Bellonius *affirmat: notæ enim vix mihi sufficere videntur ad hujusmodi distinctionem inducendam.*

CAP. XV.

Hepatus Rondeletii Gesn.

HEpatus Græcis à colore & magnitudine hepatis dictus, Piscis est Pagro similis, oculis majoribus quam pro ratione corporis, ut Melanurus, colore obscuro, seu ex cæruleo nigrescente, pinnarum numero, situ, aculeisque Pagro similis, latiore majoreque cauda: nigram in ea maculam habet Melanuri modo, ad quam alludit is qui apud Athenæum dicit, se bilem non habere, ut nec Hepatus habet, seque ex iis esse qui μελάμπυγοι sunt. Dentes non latos sed rotundos, acutos, serratos obtinet: ventriculum magnum cum appendicibus quatuor: intestina tenuia, hepar album sine felle, cor angulatum, branchias quaternas utrinque; in cerebro lapides duos.

Piscis hic, si diversus sit ab Auratis, Sparis, Sargis & Cantharis, nobis certe incognitus est; verum Rondeletius *nullam ei notam adscribit, qua possit ab iis certo distingui. Quæ præterea de eo habet apud ipsum vide.*

CAP. XVI.

Orpheus Veterum Rondeletio Gesn. *p.* 752.

PIscis est marinus, litoralis, Pagro quodammodo similis, colore ex purpureo rubescente, ideo rubentem appellavit Ovidius [*Hæc apud Plinium ex Ovidio non recte citata leguntur.*] Oculis est magnis, dentibus serratis: pinnarum situ numeroque & aculeis Pagro similis: podice admodum parvo, habet enim rimulam tantum, quam vix animadvertas nisi ventrem comprimas. Seminis meatibus caret.

Piscis

Piscis hic nobis incognitus est: quæ præterea de eo habet Rondeletius, *apud ipsum vide: nobis tamen seminis meatibus carere vix persuaserit.*

CAP. XVII.

Orpheus Bellonii Gesn. 751. *Græcis hodie sic dictus.*

MAgis compressus est quam teres, hoc est, plus in latum quam in longum effusus, ut Phycis. Os habet parvum ut Cantharus; squamas quibus contegitur asperas, corpori firmiter inhærentes, ita ut vix possit desquamari. Pinnæ tergoris, laterum, ventris & caudæ variis coloribus insignes spectantur. Pinnam in tergore continuam, decem aculeis munitam habet: Caudam minime bifurcam: item laterum pinnas & ventris obtusas: Labia ut Scarus carnosa: Dentes quoque Scaro persimiles, minores tamen: Branchias utrinque quatuor. A media sui corporis parte secundum dorsum livet ac nigricat, albicat sub ventre. Caput est illi pene rubeum ut Channæ. Herbis vescitur, ut Salpa & Sparus. Maculam in radice caudæ, ut Melanurus, nigram gerit.

Piscis hic lautiores Cræcorum epulas honorare solet, apud quos sive frigatur, sive elixetur aut assetur, semper est magno in pretio.

Rondeletius piscem hunc pondere 20 libras æquare scribit.

CAP. XVIII.

Guaibi coara Brasiliensibus, *Buraco de Velha* Lusitanis Marggrav.

COrpore est latiusculo; dorso elevato & à capite arcuato: 12 aut 14 dig. longus, 4 latus ubi latissimus. Caput & os acuminatum, satis amplum, habens in utraque maxilla seriem minimorum denticulorum, linguam conspicuam, quæ una cum cavitate inferiori oris sanguinei est coloris: oculos Stuferi magnitudine, crystallinos, circulo coloris ex aureo & fusco mixti. Pinnas obtinet 7, nimirum post branchias in quolibet latere unam, quasi triangularem, mollem: in infimo ventre duas junctas: unam post anum duplici spina munitam: per dorsum autem una extenditur, cujus medietatem anteriorem 11 spinæ erigunt, quam recondere potest in cute, posterior medietas mollis & sine spinis. Cauda constat pinna bicorni, & parallelogrammi figura à corpore extenditur. Squamas habet mediocres instar Percæ, argenteas, quæ per oras sunt melini coloris, & aspectu referunt meros cubos. In occipitio & dorso summo squamæ ex argenteo cœrulescunt, & per oras itidem sunt melini coloris, exceptis duabus in infimo ventre, quæ magis albescunt: per latus autem utrumque versus dorsum secundum longitudinem tendit linea melini coloris ad caudam usque. Piscis est boni saporis coctus. Capitur in mari inter scopulos.

CAP. XIX.

Mystus marinus Bellonii Gesn. *p.* 144.

ARgenteo colore nitet: corpus habet oblongum in Mormyri modum, denis utrinque lineis transversis nigricantibus delibutum. Venter illi dorso candidior est, ac magis tersus: Cauda bifurca: sed pinnæ laterales Phagro breviores & latiores. Verum quæ in tergore decem crassioribus ac brevioribus spinis constat quam Cantharus: quæ vero ab ano ad caudam fertur, ea duobus tantum aculeis obfirmatur. Cæterum oblongo est capite ut Sphyræna, aut fluviatilis Mystus: Oculis non valde magnis, quorum irides aureæ sunt: Labris prominulis, mollibus, crassis, *Sturioni* similibus, sola antrorsum pro dentibus scabritie exasperatis. Cirri autem tenui membrana maxillæ inferiori conjunguntur. Molares quidem habet dentes in oris posteriore parte sursum ac deorsum abditos, ordine multiplici dispositos, albos, parvos, breves: branchias utrinque quaternas.

Sapida est illi supra modum caro, mollis, alba, friabilis, spinulis haud referta.

Squamæ cuti fortiter inhærent, quæ multo majores quam in fluviatili sunt. Proinde stomachus Mysto est oblongus: in quo arenam, conchulas, Tellinas, Pectines ac Mitulos reperies. Nullas præterea apophyses in ejus pyloro videbis.

Mystum marinum Bellonius *appellavit hunc piscem, ob similitudinem cum Mysto fluviatili h.e. Barbo, Quem vidit* Bellonius *a* Venetis *quibusdam piscatoribus captus est in sinu* Adriatico. *Nobis eum nondum videre contigit.*

CAP. XX.

Salpa Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 23. *p.* 154. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 21. *p.* 187. Bellonii, Gesn. *p.* 979. Genuæ *Sarpa.*

Magnitudo. LOngior est & spissior pro magnitudinis ratione quam Aurata, dorso minus repando. Quem descripsi fere pedalis erat. *Bellonius* raro duas libras excedere ait: *Salvianus* ubi adoleverit semper ad libram accedere: ita ut nullo alio piscium genere æque atque in Salpis eadem fere semper servari magnitudo videatur, indeque fortassis à *Pancrate* ἰσομήκεις [æquales magnitudine longitudineve] appellari. *Color.* Lineæ aureæ à capite caudam versus deductæ utrumque latus pulcherrime depingunt. Spatia intermedia in dorso supra lineas punctatas ex viridi obscuro cærulescunt, infra lineas argentea sunt. Hujusmodi lineas seu virgas aureas in utrolibet piscis descripti latere 11 numeravimus: qui tamen numerus in aliis fortasse piscibus variat. *Os, Dentes.* *Os* pro piscis magnitudine angustissimum, unicum tantum habens *dentium* ordinem, inferius latiorum, in acutos cuspides desinentium. Maxillæ superiori sedecim *dentes* insunt, omnes bicuspides; inferiori octodecim. Lingua lata, tenuis. *Oculi.* *Oculi* mediocres, laxa cute tecti; irides aureæ. *Pinnæ.* *Pinnarum* numero, situ, figura cum Aurata convenit. Differt 1. quod plures radios flexiles in dorsi & ani pinnis obtineat, in illa nimirum 17, in hac 14. 2, quod fundus (ut ita dicam) seu cutis cui innascuntur posteriores harum pinnarum radii, supra dorsum & ventrem in eminentiam assurgat; adeoque anteriores

anteriores harum pinnarum partes è rima ſeu foſſula emergant, poſteriores velut ex aggere oriantur. 3. Lineis in lateribus parallelis aureis. 4. Quod ad baſin pinnarum branchialium macula utrinque nigra. Cauda forcipata eſt. Squamis amplis tegitur.

Peritonæum nigrum eſt. *Inteſtina* Quadrupedum ſimilia, 46 digitos longa, in multas ſpiras convoluta, & Quadrupedum in modum meſenterio adnexa. Appendices ad pylorum quatuor grandes. Ventriculus Alga repletus, unde patet eum herbis marinis veſci, quod & Veteres & recentiores tradunt; proinde non immerito à quibuſdam *Bos* dictus eſt. *Inteſtina. Cibus.*

Litoralem eſſe aiunt & gregalem, quamvis *Ariſtoteles* ſolitarium prodidit. In mari Mediterraneo circa *Genuam* frequens capitur. Quamvis aſpectu pulcher ſit, non perinde guſtui gratus aut ſuavis eſt; verum plebeius omnino atque ignobilis piſcis habetur. *Locus. Carnis qualitas.*

In deſquamato eædem lineæ luteæ apparent.

CAP. XXI.

§. I. *Boops* Rondeletii *primus*: Venetiis, Romæ, Maſſiliæ, *Boga dictus* Geſn. *p.* 147. *Box prima* Bellonii.

BOops ab oculorum magnitudine dicitur. Βόαξ παρὰ τὴν βοὴν à voce, ut Grammaticis placet: quod *Geſnero* non probatur, quoniam nemo piſcium hiſtoriæ gnarus, hunc ſonum aliquem aut vocem edere prodiderit &c. Cum adoleverit plus ſpithamam longus eſt, gracilis, teretiuſculus. *Rondeletius* pedalem facit. Nobis ea magnitudine non viſi; perpetuo enim parvi ſunt. Squamis majuſculis tegitur. Dorſi *color* varius prout varie objicitur luci; olivaceus ſcilicet, ſi deſuper illud deſpectes, flavus ſplendens ſi ad latus contuearis. *Lineæ laterales* obſcuræ, latæ, ex lineolis compoſitæ; ſummo dorſo quam imo ventri multo propiores: quin & eidem [dorſo medio] parallelæ à capite ad caudam uſque. Infra lineas punctatas in utrovis latere quatuor lineæ parallelæ aureæ & argenteæ obſcuriores viciſſim à capite ad caudam producuntur. Venter argenteo ſeu albo colore ſplendet. *Oculi* grandes, unde & nomen Boops piſci inditum: irides plerunque argenteæ. *Os* modicum. *Dentes* in maxillis parvi. *Lingua* anguſta, longa, acuta. *Pinnarum* numero, ſitu & figura cum Salpa convenit. Cæterum pinna dorſi radios continet 29 aut 30, anteriores 15 ſpinoſos, mitiores tamen & non rigidos; poſteriores 15 molles & flexiles. Quæ ab ano eſt ariſtas 19 obtinet. Pinnæ branchiales rubro colore diluuntur. Caro ſapida eſt & ſalubris quocunque modo præparata. *Nominis ratio. Magnitudo, figura. Color. Lineæ in lateribus. Oculi. Os, dentes, lingua. Pinnæ.*

Inteſtina longa, anfractuoſa, Quadrupedum more meſenterio adnexa. Appendices ad pylorum ſeptem. Veſica aerea ſimplex, longa, dorſo affixa. Hepar pallidum. Cyſtis fellea ampla, felle cæruleo viridi diſtenta. Frequens reperitur hic piſcis in Mari infero, *Genuæ*, ſcilicet *Liburnis, Neapoli, Meſſanæ* atque etiam *Melitæ*. *Inteſtina & viſcera. Locus.*

§. II. *Boopis ſecunda ſpecies* Rondeletii, *Bogue ravel* Monſpelienſibus.

BOopi vel Mænæ ſimilis eſt, roſtro magis acuto, dorſo ex cæruleo rubeſcente, ventre argenteo, cauda rubeſcente, oculis magnis & variis, nimirum circa pupillam nigram circulo ex aureo vireſcente: corpore toto latiore quam Boops, ſed breviore. E Rondelet.

§. III. *Rara Boopis species* Rondeletio.

E Rondelet.

HUjus (*inquit*) nomen neque à noſtris piſcatoribus, neque ab aliis unquam potui extorquere propter raritatem.

Piſcis eſt palmi majoris longitudine, totus à ſquamis nudus, ore parvo, oculis valde magnis pro corporis ratione. In pronis partibus pinnam habet ad caudam uſque continuam. Cauda lata, ſpiſſaque eſt. Ad branchias & in ventre binas pinnas habet.

Sapore, carnis ſubſtantia, oculis, Boopem piſcem refert.

CAP. XXII.

Mæna Rondeletii *lib.* 5. *cap.* 13. *p.* 138. Bellonii, Geſn. *p.* 612. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 39. *p.* 223. Venetiis *Menelo.*

Figura magnitudo. Color.

F*Igura* corporis Percam refert, verum latior eſt & compreſſior, longitudine ſemipedali & interdum dodrantali. *Color* ei dilute admodum viridis aut ſordide flavicans, areolis tamen ſeu zonis obſcurioribus tranſverſis, & lineis ſecundum longitudinem cæruleis pingitur. Quodque præcipue notabile eſt, maculam utrinque nigricantem, magnam, rotundam in mediis fere lateribus infra lineam punctatam obtinet. *Maſſarius*, *Gyllius* & *Rondeletius* Mænam hyeme candidam eſſe ſcribunt, vere & æſtate variam, maculis & lituris cæruleis obliquis toto corpore, & potiſſimum in capite & dorſo ſparſis. Quod fortaſſe verum fuerit; nam quas *Venetiis* vidimus, ubi per hyemem fuimus, omnes albicabant; quas vero *Neapoli* & *Romæ* æſtate, longis cæruleis lineis pulcre depictæ fuere. Contra *Rondeletius* cum *Roma Venetias* veniſſet, Mænas tanta coloris varietate conſpexit, præ his quæ hyeme venduntur, ut vix primo aſpectu agnoſceret. Pinnæ ita ſe habent ut in Boope & hujus generis reliquis, niſi quod ariſtæ molles pauciores ſint tum in dorſi, tum in ani pinna; in illa nimirum undecim, in hac novem. Cauda non admodum forcipata. Oculi ſatis ampli, minores tamen quam in Boope, oblongi, communi membrana tecti: irides argenteæ. Utraque maxilla *denticulis* pluribus, acutis, munita; verum in inferiore 4 reliquis majores & longiores ſunt. In imo quoque palato tubercula duo aſpera. *Lingua* acuta, parva. *Os* clauſum (ut recte *Bellonius*) minimum quidem apparet, ſed dum hiat rictum magnum oſtendit: Nam labellum ſuperius tubi in modum in longum extenditur; & reducitur iterum cum os clauditur: Namque ſumma ſui parte coſtam ſeu fulcrum quoddam habet, quæ in theculam recipitur in ſuperiore maxilla excavatam. Hac nota ſola ab aliis hujus generis omnibus abunde diſtinguitur. In maxilla inferiore dentes quatuor reliquis majores & longiores. Dorſalis pinnæ ſpinæ longiores ſeu altiores ſunt quam in Boope: Peritonæum nigrum: Veſica aerea coſtis affixa: Appendices tres quatuorve: Branchiarum opercula ut in aliis hujus generis ſquamoſa.

Hyeme & æſtate colores mutant.

Dentes. Lingua. Os.

Partes interiores.

Magnitudinis menſuræ.

In piſce digitorum $7\frac{1}{4}$ à ſummo roſtro ad initium pinnæ dorſalis duo erant digiti; ad pinnas branchiales $1\frac{3}{4}$, ad ventrales $2\frac{1}{4}$; ad ani pinnam $3\frac{5}{8}$. Pinna dorſi radiis 23 firmatur, è quibus anteriores 11 aculeati: branchialis uterque 15; ventralis ſex, primo ſpinoſo; quæ retro anum eſt 12, anterioribus tribus ſpinoſis. Smarides & Mænæ piſciculi ſunt plebeii & viles adeo, ut non numero aut pondere, ut fere reliqui, ſed acervatim, invitato etiam emptore *Venetiis* vendantur. *Manardus.* Nobis ſatis ſapidæ viſæ ſunt, & minime contemnendæ.

Caro qualis. Locus.

In

In Mari Mediterraneo frequentes capiuntur. *Venetiis, Romæ Neapoli* &c. vidimus. *Locus.*

CAP. XXIII.

Smaris Rondeletii, Bellonii, Gesn. *p.* 616. Aldrovandi: *Λεθκομαινὶς Græcorum.*

MÆnæ similis est sed minor, digiti tantum magnitudine (inquit *Rondeletius.*) Quas *Romæ* vidimus Smarides corpore erant graciliore, teretiore, & pro magnitudinis ratione longiore, & ad Boopis figuram proxime accedente: colore obscuriore seu nigriore quam Mæna. Carebant insuper annulis transversis: maculam tamen nigram utrinque circa centrum gravitatis similem habebant. Pinnarum numero, situ, figura, radiis cum Mænis conveniunt. Pinnæ ad branchias & cauda extrema dilute rubra. Pinna dorsi maculis cæruleis inficitur. Oculorum irides argenteæ, fuscis nebulis suffusæ. Cauda forcipata.

Caput Mænadum & Smaridum valet ad callosas sedis rimas.

CAP. XXIV.

De Turdis piscibus, quo nomine & Merulas dictas & Pavones complectimur, aliosque nonnullos aliis nominibus autoribus insignitos.

TUrdorum *Salvianus* recte omnino & ex natura rei duo genera prima constituit. Nam aut minor est & latus turdus; aut major & oblongus. Quam divisionem & nos sequemur, Pavones & Merulas dictas Turdis, quibuscum genere proximo conveniunt, annumerantes. Turdi minores nobis descripti sunt.

§. I. Turdi minores.

1. *Turdus vulgatissimus, Tinca marina* Venetis: Cornub. *Wraße.*

TIncæ fluviatili figura similis est, *magnitudine* dodrantali. *Squamis* grandioribus vestitur. Lineæ laterales sub extrema dorsi pinna inflexæ sunt. *Color* ei varius, squamis vel rubris, vel xerampelinis & flavicantibus, atque etiam fuscis, lineas latiores alternas pallide luteas seu olivaceas & xerampelinas quinque vel sex, à capite ad caudam recta deductas efficientibus. *Rostrum* oblongum & sursum reflexum: *labia* crassa, carnosa, ultra maxillas producta: *os* exiguum; *dentes* in maxillis serrati, non admodum acuti: in imo ore duo tubercula denticulata; ossa insuper dentata, ut in *Cyprino.* Summum palatum glabrum & dentium expers. *Oculorum* irides in nonnullis cæruleæ, in aliis aureæ. *Pinna* in dorso unica, radiis 26 communita, (anterioribus 15 spinosis) lituris rubris, cœruleis, luteis varie picta. *Pinnæ* ad branchias luteo vel aureo colore tinctæ, radiis 14 instructæ; ventrales tantillo posterius sitæ sex, quorum primus spina valida: quæ ano subnectitur pinna tredecim radios obtinet, quorum anteriores tres spinosi. Caudam circumferen- tia

Figura. Magnitudo. Squamæ. Color. Rostrum labia. Os, Dentes. Oculi. Pinnæ.

tia circularis expansam terminat. Membranæ radios connectentes, tum in Cauda, tum Ani pinna cæruleis rubrisque lituris alternis, lineas alternas rubras & cæruleas efficientibus notantur. Retro singulas in dorsi pinna spinas radii molles spinis contigui habentur, supra spinas assurgentes, & in apices cœruleos exeuntes, vexillorum instar.

Partes internæ.
Folliculus aeri excipiendo & continendo destinatus simplex est & minime interceptus. Fel viride, Vesica urinaria manifesta. Intestina ab ano prolabi solent.

Nomina.
Cornubiensibus Wrasse dicitur, *Wallis* etiam eodem fere vocabulo *Gwrach* id est Vetula: Galli quoque consimiliter *Vielle* eum appellant: cujus nominis rationem me non percipere fateor.

Caro.
Hoc genus pisces in magnitudinem non multum excrescunt, longitudinem dodrantalem rarius excedentes: quamvis è saxatilium genere sunt, eorum tamen *caro* nec sapore nec salubritate commendatur.

2. *Turdus viridis minor, an* Verdone Salviani *p.* 88? *Turdus viridis seu decimus* Rondel.

Hic per totum undique corpus tam prona quam supina parte viridis est: imus duntaxat venter nonnihil flavicat; & in utroque latere hinc inde ab oculis linea seu areola extenditur cærulea. Pinnarum numero, situ, figura, radiis, reliquisque partibus tum internis tum externis cum supra scripto convenit: nisi quod pinnæ dorsali radii 30 insint, anterioribus 18 spinosis. Hujus generis nonnulli versus ventrem maculis cæruleis notantur.

Secunda varietas.

Tertia varietas.
Genuæ Turdum viridem *Garzetto* dictum vidimus corpore crassiore & latiore; pinnis parum maculatis, purpureo tuberculo juxta anum, radiis in pinna dorsi 24, anterioribus quindecim aculeatis.

3. *Turdus niger, Merula* Salviani, *&* Rondel. *lib. 6. cap. 5. p. 172.*

Color huic tam in dorso & lateribus, quam in Ventre & pinnis omnibus niger seu pullus ad cœruleum vergens, nec alia in re à præcedentibus differt.

Sapor, salubritas.
Turdus Veteribus boni succi est, concoctu facilis, & valetudinariis atque ipsis etiam ægrotantibus concedendus. *Saporis* etiam suavitate apud Veteres commendabatur. Hac vero nostra ætate nullibi fere admodum suavis est, aut multæ existimationis. *Salvianus.* Et revera nobis mollis, aquea & fere insipida gustantibus visa est ejus caro.

Etymon.
Turdus à coloris & punctorum similitudine piscis hic nominatus est, quod nimirum alvo varius sit ut Turdus avis.

Colorum varietas.
Naturam in hoc piscis genere colorum varietate ludere putamus. Hinc duodecim apud *Rondeletium* Turdorum species, & proculdubio si quis curiosius observare vellet per omnia maria captos, plures adhuc differentias invenire posset.

4. *Lepras vel Psorus* Bellonii, Gesn. *p.* 559.

Nihil istius piscis colorum varietate pulcrius. Vix autem palmo [*dodrante*] longior in mari *Adriatico* excrescere solet, cum pedem & amplius in Oceano excedere comperiatur. Proinde Lepradi nomen è reipsa probe inditum est, quod eosdem sugillationes habeat quæ in psora vel lepra laborantibus visuntur. Caudam & pinnas quas utrinque ad

ad branchias & sub ventre habet eodem modo rotundas esse videmus. Continuam tergoris pinnam gerit, sedecim aculeis munitam, atque aliam sub ventre ano vicinam. Multiplici colorum resperſu distinctus est: omnesque pinnas transparentes habet, leves, molles, luteo, rubro, cæruleo, viridi & aliis coloribus maculatas; nunc cancellatas, totum deinde corpus tam exacte polymitum, ut maculas nunc rectas, nunc in obliquum sparsas, in ipso pisce comperias: quanquam omnes fere squamas ad oram rubore suffusas habeat. Cæterum os habet parvum, dentes albos, acutos, Cinædo breviores & obtusiores: maxillam superiorem tubi in modum cranio infartam, ut pene duo labia carnosa esse credas. Squamas exerit latas: linguam albam pene solutam. Spinea pinnula exterior branchiarum carnosa est. Linea quæ piscibus utrinque latera dividit, nequaquam in hoc pisce recta procedit, sed à superiore branchiæ angulo arcuata secundum tergus deducta est: mox ubi tergoris pinna desinit, illuc quidem linea reflectitur, & quidem arcuatur, deinde recta per mediam caudam defertur. Caput ipsum non ita multis coloribus cancellatum est, sed lineas hinc inde deductas ex cæruleo, viridi ac rubro mixtus ostendit. Oculos habet parvos, rotundos, quorum pupilla nigra est, iris vero aeri similis, quam si quando in gyrum contorqueat cyaneum, deinde aureum, postremo argenteum circulum in crystallini coloris fulgorem referre conspicies. *Quæ de partibus internis habet omitto, quia nihil singulare & huic pisci proprium continent.*

Piscem hunc Turdi speciem esse piscatorum sententia vel nomen Vieille id est, Vetulæ ei impositum arguit: nec aliter quam colorum varietate a reliquis sui generis differt.

Cæterum Gesnerus Bellonium *reprehendit, quod tam levi conjectura exhibitum a se piscem Psoram & Lepradem Græcorum esse putaverit, præsertim cum psora vel lepra affectus sit turpissimus, & fœda cutis asperaque facies, hujus vero piscis colorum varietate nihil pulchrius. Hoc etiam (inquit) non animadvertit, hujus piscis nomen per o. breve scribi* Ψόρος, *psoram cutis vitium per* ω. *longum.*

5. Pira-pixanga *Brasiliensibus*, Marggravii *quæ Turdi species esse videtur*: *Belgis* Gat-visch.

Longus est 9 digitos ab initio oris ad exortum caudæ. Cauda 2 dig. longa. *Os* sesquidigitum amplum, minutis sed acutissimis denticulis præditum. *Caput* haud magnum: *Oculi* magni prominentes, pupilla coloris instar Turcoidis optimi, circulo nigro cum aureo & sanguineo mixto. *Branchiæ* in triangularem figuram desinunt, amplæ, spinula præditæ. *Pinnas* habet 7. unam per totius dorsi longitudinem extensam, unum ferme digitum latam, & in postica parte latiorem, cujus prior medietas 11 spinis firmatur, posterior est mollis: post branchias in utroque latere unam, 2 dig. longam & totidem latam, subrotundam & carnosam: duas junctas angustas in medio pene infimo ventre, unica spina singulas firmatas: unam mediocrem post anum, spina munitam. Septima est pro *cauda*, duos fere digitos longa, & totidem lata, non secta, sed extremo ambitu subrotunda. Tegitur *Squamulis* parvulis per totum corpus, ad tactum glabra, nisi à cauda versus caput digitis fricetur. Totum corpus, caput, pinnæ, cauda ex albo flavescunt: & per totum variegantur maculis sanguinei coloris diluti, rotundis, magnitudine seminis cannabis, quædam etiam in ventre majores. Pinnæ eodem modo maculatæ in ambitu suo obscurius rufescunt. *Figuram* fere Auratæ habet. Edulis est ac boni saporis. Captus per trihorium extra aquam potest vivere. Post bihorium cor exemptum movebatur. *Verum alii*

Longitudo. Os. Caput. Oculi. Branchiæ. Pinnæ. Cauda. Squamæ. Color. Figura.

quoque plures pisces diu extra aquas vivunt: præcipue lubrici & anguilliformes. Piscis descripus in omnibus cum Turdo convenit, præterquam dentium & squamarum exiguitate.

§. II. Turdi majores nobis descripti sunt.

1. *Turdus perbelle pictus, an Pavo* Salviani?

Figura. Pondus. Color.

HIc mediæ *figuræ* est inter longiores & latiores Turdos. Tres libras *pondere* æquat, & interdum etiam superat. Dorsum varium ex pullo & cæruleo. Nam in campo (ut vocant) fusco lineæ cæruleæ parallelæ quatuor aut quinque à capite ad caudam ducuntur. Circa caput præcipuæ & branchiarum opercula cæruleis ductibus & lituris crebris pingitur. Maxillam inferiorem cæruleus color fere totam occupat. Venter totus croceo saturo & rubente tingitur. *Rostri* figura reliquis similis. *Labia* pariter crassa: *Dentes* itidem acuti, albi. Lingua reducta. *Oculorum* irides triplici colore, miniato, aureo, fusco imbuuntur. *Pinnæ* dorsi anterior pars, ad radium nimirum decimum aut duodecimum, intense cærulea, summo margine excepto, quæ flavet: Reliquum pinnæ imo rubet, summo flavet, media parte cæruleis maculis pingitur. Radiis spinosis singulis singuli molles subjunguntur altius assurgentes, qui cum extenditur pinna non eriguntur, sed ad dorsum fere paralleli sunt: hi quoque radioli cæruleo colore imbuuntur. Pinnæ ad branchias dorso prope concolores, flavi & rubri tantillo admixto, breves pro piscis magnitudine, cum extenduntur extrema circumscriptione circulares. Pinnæ ventrales incarnatæ, ut vocant, summitatibus anteriorum radiorum cæruleis, dimidia posteriorum parte pulchre flava. Pinnæ ano subnexæ pars summa cæruleo colore lucido, reliquum partim croceo partim rubro tingitur. *Cauda* tota cærulea. Cæterum partibus omnibus internis & externis, Pinnarum etiam numero, figura, situ, radiis cum præcedentibus convenit.

Rostrum Labia, dentes. Oculi. Pinnarum descriptio.

Cauda.

2. *Turdus major varius præcedenti similis.*

Longitudo huic digitorum erat 13½. Cauda plana. Dentium unus ordo, sed anteriores majores sunt & longiores quam in aliis plerisque hujus generis. Caput cœruleum, ut & cauda ab extremo ad medium, à medio deorsum flava. Pinnæ ventrales & quæ ab ano est flavent apicibus tantum cærulescentibus. Venter & ima fere corporis medietas flavet. Dorsum à medio caudam versus flavescit, at versus caput è fusco cærulescit. Pinna dorsi à radio 13 caput versus cærulescit, apicibus radiorum flavicantibus, verum apiculis extremis supra aculeos iterum cærulescentibus. Cætera cum præcedentibus convenit. Hunc Liburni vidimus & descripsimus.

3. *Turdus viridis major.*

Color.

Dorsum & latera ad lineas usque punctatas intense viridia: prona pars dilutior & flavicans maculis cinereis vel pallide cæruleis varie respersus. Corpore est oblongo & Lucio *figura* non multum dissimili. *Pinnæ* dorsi radii 32 insunt, 19 scil. spinosi, 12 molles, & ramosi. Reliquæ pinnæ radiorum numero, ut & figura sua & situ, cum cæteris conveniunt. In radiis pinnæ Dorsi aculeatis membranæ connectentes juxta

Figura. Pinna.

ta aculeos supra pinnam assurgunt & in tenues pilos desinunt. Radii autem molles & cartilaginei spinosis & aculeatis tum in hoc pisce tum in hujus generis aliis altiores sunt. Pinnarum omnium radii molles in binos primo ramos divaricantur, hi autem rami in binos iterum surculos. Cauda & pinnæ ventris omnes dilute virent; pinnæ secundi paris solæ cœruleis maculis pinguntur. Viridi suo colore piscis hic linteamina vel chartas quibus recens involvitur inficit. *Squamæ* prægrandes sunt; *Oculi* parvi, iridibus aureis virore tamen dilutis: *Dentium* grandium, acutorum in utraque maxilla ordo unus. Lingua reducta: *Labia* crassa, carnosa: superius insuper labium velut geminum est, velamine superius ei incumbente, cujus interior superficies cœrulæo colore tingitur. Vesica fellea longa, felle intus flavo. Lien angulosus. Appendices nullæ: quin & intestinum semel tantum reflectitur; idque non multum. Ab hepate quoddam quasi omentum dependet, intestina operiens & connectens, utriusque tum mesenterii tum omenti munere fungens. Vesica aerea dorso affixa. Ventriculus figura sua ab intestino vix potest distingui; crebrioribus duntaxat vasis intertextus est & tunicis crassioribus constat. *Gula* seu ventriculi orificium superius angustum est & *dentibus* instructum, ut in *Cyprino*: quod præcipue notatu dignum est, reliquis etiam Turdis commune. Hunc *Romæ* visum descripsimus.

Squamæ. *Oculi.* *Dentes.* *Labia.* *Partes internæ.* *Dentes in gula.*

4. *Turdus oblongus fuscus maculosus.*

HIc à præcedente vix alia in re quam colore differt; qui ei in dorso & lateribus obscurus est maculis cæruleis distinctus; in ventre cæruleus, lituris & ductibus rubris varie depictus. Cauda & pinnæ omnes præter branchiales rubræ punctis cæruleis interstinctæ: branchiales autem flavicant. In reliquis cum priore omnino convenit; eadem corporis figura; idem numerus radiorum in pinnis &c.

Rondeletius Turdorum duodecim species exhibet; quas, quia ipso fatente solo fere colore differunt, aliæque forte adhuc plures varietates observari possint, descriptis à nobis visis contenti, omittimus, lectoremque qui eas scire desiderat ad *Rondeletii* librum remittimus.

CAP. XXV.

Alphestes sive Cinedus Rondeletii Gesn. *p.* 40.

PIscis est marinus (inquit *Rondeletius*) saxatilis, dorso purpureo, cæteris in partibus luteus, corpore strictiore quam Aurata vel Pagrus; Mænis figura similis, alioqui majore & spissiore corpore, pedali magnitudine; ore mediocri. Labra habet, & dentes serratos, caninis similes, quod omnibus fere saxatilibus commune est. A cervice ad caudam spinis tenui membrana connexas habet, non divisas, unde μονάκανθος ab *Aristotele*, citante *Athenæo*, dictus est.

Descriptio hæc videtur esse Turdi cujusdam; certe omnes notæ allatæ, exceptis spinis in dorsi pinna ad caudam usque continuis, Turdis conveniunt. Quod si diversi piscis sit, nobis nondum cogniti est.

Piscis à *Bellonio* pro Cinædo descriptus saxatilis est: cujus color ut reliquis saxatilibus evariat. Ut plurimum totus lutei seu cerei coloris est, quibusdam tamen sui corporis partibus admixtum rutilum colorem habens. Præterea squamas in gyrum crenatas gerit, quæ multa scabritie horrent. Nullus saxatilis tam firmos dentes habet, à quibus no-

men ei inditum fuisse puto. Hos in maxillis ostendit bino ordine dispositos, oblongos & acutos, ut piscis dentes esse minime dixeris, sed alterius cujusdam carnivori terrestris.

Nescio an hic piscis idem sit cum Alpheste Rondeletiano *an diversus: Alphestæ dicuntur hi pisces quia se sequuntur libidinis causa, eodem quoque nomine homines libinosi & incontinentes Veteribus dicti sunt.* Rondel. *idem significat & cinædus* ἀπὸ τοῦ τὰ κινεῖν αἰδοῖα *dictus.*

CAP. XXVII.

Julis Rondel. *lib.* 6. *cap.* 7. *p.* 180. Aldrov. *lib.* 1. *cap.* 7. Gesn. 549. *Italis* Donzellina *&* Zigurella.

Figura. Pisciculus isthic corporis *figura* Turdo parvo similis est, verum pro magnitudine longior & teretior, dorso minime cultellato. [Mihi ad Globium aut Alaudam accedere visus est.] *Squamis* parvis arcte adhærentibus tegitur. *Colorum* varietate & pulchritudine vel Turdum vincit. Pars corporis supina à rostro ad caudam usque nigricat. Media latera linea seu areola cœrulea à summo capite ad caudam reducta dividit: succedit huic linea parallela crocea aureave; imus venter sordide albet aut cœrulescit. *Oculi* parvi, iridibus rutilis flammeisve. *Os* mediocre, acutum, uno in utraque maxilla *dentium* ordine, quorum primores majores longioresque, duo præcipue in maxilla superiore. *Lingua* reducta. *Labia* ut in Turdis. *Pinnæ* in dorso unica, non longe à capite incipit, & ad caudam proxime desinit, rad. 21; imo flava medio rubra, summo cœrulea. Cauda non forcipata, flava, cum quadam rubri tinctura. Quod ab ano est pinna radiis firmatur 14; eisdem coloribus picturata quibus dorsi pinna. Branchiales pinnæ teneræ admodum, rad 14: ventrales parvæ, radiis sex donantur. Appendices ad pylorum nullæ; lien triangularis: cystis fellea ampla.

Squama. Color. Oculi. Os, Dentes, lingua, Labia. Pinnæ. Partes internæ.

Marium descriptio. *Mares* in hoc genere pulchrius depicti sunt; summum quippe dorsum obscure viret. A rostro per oculos ad media latera areola utrinque producitur, initio ad branchiarum angulos crocea, deinde nigra. partis nigræ oras color cœruleus terminat. A mediis lateribus ad caudam area utrinque dentata crocea. Præterea pinna dorsi insigni macula miniata, summa parte circa tres primos radios, atque insuper macula nigra inter secundum & tertium radium pingitur.

Locus. Magnitudo. Tibias natantium mordet. Circa *Genuam* frequens est: Antipoli & in toto Ligustico sinu frequentissimus, inquit *Rondeletius*. Julis vix excedit palmum longitudine. *Rondeletius* digiti magnitudinem vix superare ait. Cum aliquando, inquit idem, Antipoli & sanitatis & voluptatis causa, corpus in aqua marina lavare, & pisciculos capere vellem, vidi equidem pisciculos istos non aliter quam fucos adproperare, & morsu tibias petere, ne calce quidem, etiamsi pars sit callosa & dura, abstinentes. Quo adducor ut credam, veram veterum Julidem esse quam hic exhibemus.

Caro qualis. *Carne* tenera est & fragili, adeoque saxatilibus generosis merito adnumeranda.

CAP.

§. I. *Anthias primus* Rondeletii Geſn. *p.* 62.

ANθίας dicitur à Græcis, & ἱερὸς ἰχθὺς, teſte *Ariſtotele*, quo loco, inquit, Anthias ſit, ibi nullam belluam eſſe confeſſum eſt: quo indicio uſi ſpongiarum piſcatores urinantur, & ob id ſacrum piſcem hunc nominant. Dicitur & κάλλιχθυς, id eſt pulcher piſcis & καλλιώνυμος &c.

Anthias primus colore ſimilis eſt Pagro, vel cinædo, ſcilicet rubeſcente. Pinna ſtatim à capite ad caudam fere unica, rufa, cujus aculeus primus longus & robuſtus. Ad branchias pinnæ duæ rufæ: in ventre duæ aliæ multo longiores & tenuiores, ejuſdem coloris: à podice ad caudam fere alia etiam rufa. Cada rufa in duas pinnas longas deſinens. Caput rotundum non compreſſum, varium: roſtrum non prominens. Is eſt qui à noſtris *barbier* dicitur.

Locum ubi invenitur hic piſcis non meminit Rondeletius; *nobis hactenus incognitus eſt.*

Anthias ſecundus *Rondeletii* Aſelli ſpecies eſt.

§. II. *Anthias tertius* Rondeletii Geſn. *p.* 64.

TErtium Anthiæ genus *Oppianus* nigrum facit. Saxatilis eſt totus purpurei coloris vel Indici, corporis forma Scaro vario ſimilis, corpore longo, cauda craſſa, ſerratis & acutis dentibus. Labra habet, oculos admodum rotundos purpureos & rubros: podicem magnum, è quo inteſtinum rubro viridique diſtinctum excidit. Partibus internis cæteris ſaxatilibus ſimilis eſt.

Piſcis hic non alius eſſe videtur quam Turdi quædam ſpecies; certe notæ ejus omnes a Rondeletio *allatæ Turdis conveniunt, nam turdi nonnulli eodem prorſus colore tinguntur: proinde ſi revera diverſus fuiſſet, debuit* Rondeletius *notas quaſdam characteriſticas addidiſſe quibus & a Turdis & ab aliis quibuſcunque piſcibus certo poſſet dignoſci.*

§. III. *Anthias quartus* Rondeletii.

HUjus figuram exhibet *Rondeletius*, quæ aliis etiam piſcibus convenit, ut v. g. Melanuro ſeu Oculatæ; notam nullam addidit; niſi quod habet ſupercilia nigra oculos ambientia. *Quem piſcem intelligat nos ignorare fatemur.*

CAP. XXVIII.

Juruucapeba *Braſilienſibus aut etiam* Itaiara *dictus* Marggrav. *Turdi ſpecies.*

LOngus eſt 7 aut 8 digitos; 2 aut 3 latus, ubi latiſſimus: ore ſatis patulo, & ex triangulari rotundo, lingua anguſta, brevi, denticulis minutiſſimis: oculis rotundis, pupilla cryſtallina & circulo rubro. Poſt branchias in utroque latere pinnam habet ſeſquidigitum longam, quadratam, & exterius circinatam: ſubter has duas in inferiore ventre junctas. Paulo poſt occipitium incipit pinna, anteriori medietate ſpinis ſuffulta, poſteriori mollis, quæ tendit ſecundum longitudinem dorſi ad caudam

caudam usque, & semper fit latior, prope caudam digitum lata. In inferiore corpore versus caudam etiam pinnam habet haud amplam. Cauda constat pinna sesquidigitum longa, plus uno lata & quadrata. Squamatus est sed squamis ita complicatis, ut lævis esse videatur. Piscis universi color egregie ruber, in ventre autem ex rubro & albo maculatus: in lateribus autem constanter maculas habet puniceas, nigras, varias, majores & minores. Pinnæ omnes sunt rubræ & nigro maculatæ.

Pinguis est piscis & boni saporis, optimus tamen assatus. Capitur in mari inter scopulos. Parieti recens appensus noctu toto corpore clare lucet. *Verum hoc aliis quoque multis piscibus commune est.*

CAP. XXIX.

Carauna *Brasiliensibus* Marggrav.

MAgnitudine, figura & pinnarum situ cum superiore convenit. Os autem obtinet lunatum; dentesq; habet acutissimos sed minutos: Branchias amplas, quæ aculeis in postica parte sunt munitæ. Oculi versus summitatem capitis in lateribus positi non longe ab invicem, haud magni, pupilla ovali nigra, quam ambit circulus ruber. Squamulis in universum vestitur lunatis, coloris miniati per totum, & ubique punctula nigra magnitudine seminum Papaveris inspersa habet, præterquam in ventre.

CAP. XXX.

Sachettus Venetorum, an. Channadella Bellonii *&* Rondeletii? *quæ à Channa eorundem parum admodum differt.*

PIsciculus est Percæ fluviatili & figura, & colore, & annulis ètiam transversis nigricantibus similis. Magnitudine Percam auratam æquat, vel etiam superat. Pinnæ ita se habent ut in Mæna. Dorsi pinna post radios spinosos parte superiore macula nigra insignitur, quod huic pisci peculiare est, eumque ab aliis omnibus facile distinguit. Rostrum acutum. Os pro pisciculi magnitudine satis amplum: Mandibula inferior superiore paulo longior; utraque denticulis aspera: summo palato spatium triangulare asperum inest. Oculi cute laxa præter membranas proprias obducuntur: irides argenteæ. Pinnæ ventrales nigricant. Cauda forcipata, lineis transversis aureis varia. Squamis tegitur minusculis. Branchiarum opercula, ut in hujus generis reliquis, squamosa sunt.

Intestina tenuia. Peritonæum album. Vesica ventosa costis adhærescit.

In pisce digitos $2\frac{1}{2}$ longo à summo rostro ad initium pinnæ dorsi intervallum erat unius digiti, ad primi paris pinnas $\frac{3}{4}$ unius digiti, ad secundi paris tantundem. Radii pinnæ dorsi 21 inerant, è quibus anteriores 10 spinosi; branchialibus singulis 13: ventralibus sex quorum primus spinosus; ei quæ retro anum est 9, è quibus anteriores tres spinosi. Piscis hic sequenti seu channæ *Rondeletii* persimilis est, si non idem.

Channadella *Bellonii*, (si eam recte describat) alius piscis esse videtur,

tur, quamvis ille Channadellam ſuam *Venetiis* Sacchetum dictum aſſerit. Elegantem (inquit) & varium habet colorem, bona tamen ex parte purpureum...... Dum vivus capitur, ſpinoſum quiddam è branchiis vibrat, quo manus contrectantium ferit. Labiis eſt magnis: Dentes anteriores acutos & fere caninos habet, poſteriores tamen obtuſos oſtendit. Squamas habet lituris viridibus, cinereis, rubris, & interdum caſtanei coloris variegatis, atque extremam branchiam, quæ illi oſſea eſt, crenatam ut Lupus.

CAP. XXXI.

Channa Rondeletii & Bellonii Geſn. *p.* 260.

CHanna à verbo χαίνειν, quod ſignificat hio, deducitur, quod ſemper ore hiante ſit [*Bellonio* moriens perpetuo hiat] unde à *Gaza* Hiatula vertitur.

Piſcis eſt pelagius, nihilominus ſaxatili ſimilis, Lupum corporis habitu referens & oris ſciſſura. Maxillam inferiorem ſuperiore prominentiorem habet, ob quam cauſam ore fere ſemper eſt aperto: Dentes acutos; oculos parvos. Pinnis, cauda, aculeis, branchiis, internisque partibus cæteris ſaxatilibus eſt ſimilis, ſed ventriculo eſt majore & laxiore. Colore eſt vario, Dorſum ex rubro nigreſcit: lineæ à capite ad caudam ductæ ruſæ ſunt. Cauda maculis rufis notata: item pinna à podice ad caudam. Pinna dorſi rufa eſt. Adhæc cum permultas viderimus & diſſecuerimus, omnes vulvas habere comperimus, & ſæpius ovis, ſed non multis plenas, quod omnes fæminæ ſunt ut annotavit Hiſt. animal. lib. 4. cap. 6. *Ariſtoteles. Hæc Rondeletius.*

Tanta eſt hujus piſcis cum Orpho, Hepato & Perca marina (cum qua publice divendi ſolet) ſimilitudo, ut piſcem pene eundem eſſe credas: ſed Percæ marinæ Channis ſunt majores, lineiſque latis, tranſverſis ex rufo nigricantibus tergora diſtincta habent, Channæ autem promiſcue tranſverſas & rectas lineas ferunt. *Bellonius.*

CAP. XXXII.

Perca Marina Rondeletii *lib.* 6. *cap.* 8. *p.* 120. Geſneri 819. *A Sea-Pearch.*

PEdali eſt magnitudine (inquit *Rondeletius*) nobis viſæ minores fuere. *Figura* corporis Percæ fluviatili ſimilis eſt, nisi paulo tenuior ſit, nec *colore* multum diverſus. Dorſum inſuper & latera ejuſmodi areis ſeu faſciis tranſverſis nigris 6 vel 7 varia. Quod areis interjacet rubeſcit, præcipue caput verſus. Totum caput & anterior ventris pars ductibus miniaceis cæruleiſque eleganter pinguntur. *Pinnæ* dorſi radii inſunt 25 anteriores 10 ſpinoſi & humiliores, poſteriores 15 molles & elatiores. Quæ podici ſuccedit 10 tantum radiis donatur, anterioribus tribus ſpinoſis. Hæ duæ pinnæ pallide luteæ punctis croceis notantur; anterior tamen dorſalis pars rubris. Cauda non forcipata, radiis luteis cum punctis ad latera utrinq; croceis. Pinnæ branchiales flavæ, & in nonnullis ima parte lineis rubris tranſverſis pictæ. Pinnæ etiam ventrales maculas habent ſed pauciores. Verum colores in variis piſcibus variant, in aliis lucidiores in aliis obſcuriores. Roſtrum quam Percæ fluviatili, acutius, productiuſque.

Magnitudo. *Figura.* *Color.* *Pinnæ.*

Os. ductiusque. *Os* pro piscis mole amplissimum fere semper hiat. *Dentes.* *Dentes* in utraque maxilla acuti; in summo quoque & imo palato. *Lingua.* *Lingua* longa, acuta, glabra. *Oculi.* *Oculi* ampli, iridibus luteis & interdum rubentibus. *Branchiæ.* Aperturæ branchiarum amplissimæ, intus flavicantes. Operculorum laminæ mediæ denticulis serratæ. In angulo exterioris laminæ duæ magnæ, latæ spinæ. *Nares.* *Nares* duplices, oculis proximæ. Squamæ mediocres. Venter prominulus:

Vesica. *Vesica* aerea longa, non divisa, fundo ventriculi adnexa. Ventriculus magnus, pisciculis repletus. *Apophyses.* Ad pylorum apophyses septem aut octo.

Salubritas. Galenus 3 de aliment. facult. Percam in vere saxatilibus numerat, quare molli fragilique carne fuerit, optimique succi, sed de marina loquitur (inquit *Rondeletius*) fluviatilis enim dura est & glutinosa. Verum nobis quidem contrarium videtur, neque Perca fluviatilis carnis bonitate salubritateve marinæ cedit. *Locus.* Nullam (quod sciam) ex Oceano usquam vidi. *Bellonius*: nec nos quidem hactenus vidimus. Massiliæ tamen [imo & *Venetiis*] frequentissima est.

Etymon. Perca fortassis dicta fuerit à colore quem Græcis περκνὸν vocant *Gesner.*

CAP. XXXIII.

Piratiapia Margravii *Turdis congener piscis.*

Corpore est oblongo & satis crasso: interdum in eam magnitudinem excrescit ut 50 libras æquet: oris pars inferior longior superiori. Denticulos habet acutos, inordinate positos, & tota oris cavitas cum lingua est rubra. Oculi prominentes, pupilla crystallina, ovali, circulo rubro. Ante utrumque oculum habet foramen. Branchiæ desinunt in trianguli figuram & sunt amplæ. A summitate dorsi ad caudam usque extenditur pinna, quæ ad medietatem anteriorem spinis surrigitur, reliqua medietas est mollis. In inferiore corpore prope anum etiam pinnam mollem habet obrotundam: in quolibet latere post branchias unam, & duas in infimo ventre junctas oblongas. Cauda fere quadrata est, at in extremitate paulo latior quam in exortu. Squamis vestitur parvis. Dorsum & infimus venter cinnabrii sunt coloris, latera ex griseo fuscescunt. In totum præterea est maculatus, & in dorso quidem maculas habet majores nummo Misnico, ex gryseo fuscas; in lateribus vero & infimo ventre minores ejusdem coloris. Pinnæ omnes cinnabris coloris, in extremis oris lineam albissimam habentes, adque eam fimbriam latam nigerrimam. Post branchiales pinnæ totaliter cinnabriæ sunt sine fimbria nigra aut alba. Dorsalis pinnæ medietas anterior tota rubra, reliqua fimbriata albo & nigro, ut reliquæ. Optimi saporis carnem habet si coquatur.

CAP. XXXIV.

Piraumbu Brasiliensibus Marggrav. *Turdis item congener. Lusitanis* Chayquarona *dictus.*

Cyprini est magnitudine & figura: ab ore ad initium caudæ 10 digit. longus: paullo plus 4 latus ubi latissimus, versus caudam angustior & æqualis latitudinis, 2 nimirum digitorum. Os habet instar *Cyprini*; oculos magnos, prominentes, pupilla crystallina, circulo aureo cum albo mixto. Pinnas obtinet 8, unam in medio dorso, paulo plus

plus 3 dig. longam & unum latam, quam in rimam recondere potest, & erectam 9 firmis spinis sustentare: huic contigua est alia 3 fere dig. longa, minus uno lata, nullis innixa spinis: post utramque branchiam unam habet 3 dig. longam, unam latam in exortu; in infimo ventre duas junctas 2 dig. longas, vix unum latas, firma spina munitas; post anum unam, digitum latam, dimidium longam, itidem firma spina sustentatam: octava est pro cauda 3. dig. longa, totidem lata ac furcata. Squamas habet majores, instar *Cyprini*, argentei splendentis coloris pauxillo aureo mixti: quælibet autem squama mediam partem usque ab insertione sua coloris est *fueillemorte*: sub capite & ventris priore parte magis argenteus est. Omnes pinnæ dilute cinerei sunt coloris. In ore superius & inferius lapidem habet denticulis minimis præditum, vix sensibilibus. Edulis est ac boni saporis.

CAP. XXXV.

Acara-aya Brasiliensibus Marggrav. *vulgo corrupte* Garanha.

TRium pedum longitudinem adipiscitur, figura *Cyprini*. Dentes in inferiore mandibula habet acutos instar acicularum: in superiore duos longos, paulo crassiores, quibus interjacent minutissimi vix sensibiles. Oculi ipsi magni sunt, pupilla crystallina, circulo sanguineo primum, hinc argenteo. Pinnarum numero, situ, figura, radiis cum præcedentibus convenit. Cauda lata est & pene bicornis. Squamis vestitur argenteis mediocris magnitudinis, quæ sanguineo colore umbratæ sunt, ita ut maximam partem sanguineus videatur, argenteo colore transplendente: in ventre totus est albus, ut & sub faucibus. Pinnæ omnes sanguinei coloris, exceptis iis quæ sunt in infimo ventre, quæ albæ sunt, in extremitatibus tamen sanguineæ. Edulis est piscis: sale etiam conditur & servatur.

CAP. XXXVI.

Mormyrus Rondel. *lib.* 5. *cap.* 22. *p.* 153. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 19. *p.* 184.

F*Igura* corporis Dentici similis est, ad latera compressus, Aurata angustior, Mænade longior: dorso acuto, arcuato; rostro porrecto & acutiusculo. Pedalem *magnitudinem* raro attingit, nobis descriptus fere dodrantalis erat. Dorsum & latera ex viridi cœrulescunt. *Rondeletius* ex lineis hisce primam majorem facit, alteram minorem, & sic deinceps. Lineæ latiores, (seu zonas, seu fascias, seu annulos mavis dicere) transversæ, parallelæ, nigricantes, undecim aut duodecim ad intervalla per totam longitudinem dorsum & latera distinguunt; qua præcipue nota ab omnibus, quos mihi hactenus videre contigit, piscibus distinguitur. Nam quamvis alii nonnulli pisces, ut v. g. *Sargus* & *Perga* utraque, ejusmodi areolas transversas obtinent; *Mormyrus* tamen multo insigniores & conspectiores. Venter albidus est. Juxta oculos argenteo colore splendet. *Os* amplum; labia crassa; maxilla superior paulo porrectior. *Dentes* in angulo maxillæ acuti, parvi: interius in maxilla superiore tres aut quatuor, in inferiore duo tantum ordines tuberculorum granulosorum, seminum milii magnitudine. *Lingua* acuta, fundo

Figura. *Magnitudo.* *Color.* *Os, Dentes.* *Lingua.*

Oculi. fundo oris membrana annexa. *Oculi* mediocres, præter tunicas proprias laxa membrana tecti: irides aureæ obscuris maculis sordidatæ. *Pinna.* *Pinnarum* numero, situ, figura, cum Aurata & reliquis congeneribus convenit. Radii pinnæ dorsali insunt 23: rigidi & spinosi 11, molles & flexiles 12. branchialibus singulis 14, ventralibus 6, ei quæ ab ano est tredecim. Cauda forcipata est.

Intestina. Peritonæum nigrum. *Intestina* larga, fere pellucida, flaventia. Pylorus (quod miror) sine Apophysibus reperitur, inquit *Bellonius*: Appendices duæ breves, seu tubercula sursum spectantia. Mesenterium ut in Quadrupedibus. Vesica pneumatica costis adhærescit.

Victus. Carne est molli (inquit *Rondeletius*) præhumida, lutum olente: vescitur enim terræ excrementis, luto, cancellis, loliginibus parvis &c.

Etymon. Μορμύρειν de aqua æstuante (cum murmure & sonitu per onomatopoeiam) dicitur, ut apud *Homerum* Μορμύρων ἀφρῷ de Oceano murmurante & simul spumam agente. Derivatur ab hoc verbo Μορμύρος piscis, nescio qua ratione (inquit *Gesnerus*). Plura vide apud *Gesnerum*.

Locus. Genuæ hunc piscem vidimus & descripsimus: *Salviano* quoque describitur; unde in mari infero non infrequentem esse constat.

CAP. XXXVII.

Chromis Rondeletii, *lib.* 5. *cap.* 21. *p.* 152. Aldrov. *l.* 2. *c.* 14. *p.* 167. Gesn. 264. Monachelle *Siculis*, Castagnole *Tuscis & Liguribus*.

Longitudo. Color. Squamæ. Caput. Os, Oculi. Pinnæ. Pisciculus est quatuor plus minus digitos *longus*; pro longitudine crassior. *Color* ei obscurus aut fuscus, lineis tamen secundum longitudinem productis lucidioribus. *Squamæ* grandes pro piscis magnitudine. *Caput* parvum; rostrum breve; *os* exiguum cum denticellis in mandibulis. *Oculi* mediocres, iridibus vel aureis, vel argenteis, interdum obnubilatis. *Pinnæ* dorsi circiter 23 radii insunt; spinosi 14, reliquis mollibus. Radii spinosi altiores sunt, verum sibi invicem proximiores, membranis scilicet intercedentibus angustioribus. Retro hanc pinnam (quæ ad caudam fere protenditur) corpus angustatur, & in caudam gracilescit. Cauda forcipata: Pinnam ani radii duodecim firmant, quorum duo duntaxat anteriores spinosi sunt, præter aliorum piscium hujus generis normam, quibus pinnæ ani tres anteriores radii spinosi esse solent; ni forte nos in numero erravimus. Horum aculeorum primus humilis, secundus altus & validus. Ad exortum primi pinnarum paris macula nigra. Pinnæ branchiales radios circiter 17 longos obtinent: Quæ in ventre sunt tantillo inferius sitæ, radios sex, quorum primus spinosus, secundus longissimus supra membranam pinnæ *Lineæ laterales.* assurgens in tenuem setam desinit. *Linea* punctata in hoc pisce non protenditur ultra pinnam dorsi, ut in aliis fieri solet, ad caudam usque.

Partes internæ. Ventriculus parvus est, verum appendices duæ grandes, velut ventriculi secundarii. Vesicula fellea hepati in sinistro latere sito adhæret. Fel viride, aquæ marinæ colore. Vesica aerea simplex dorso adnexa, *Locus.* juxta spinam ultra foramen ani descendens. Circa Cataniam Siciliæ frequens capitur, & alibi etiam in mari Mediterraneo.

CAP. XXXVIII.

§. I. *Scorpius minor vel Scorpæna* Rondeletii Gesn. *p.* 1018. Aldrov. *lib.* 2. *cap.* 24. *Scorpæna* Salviani *seu* Scrofanello *p.* 94.

PIscis est non admodum grandis; rarius vidimus qui plus una libra penderent. Corpus ei pro longitudine crassum; caput maximum, & aculeis horrens: caudam versus gracilescit. Venter tumidus, non tamen planus; dorsum assurgens seu arcuatum; in universum figura corporis ad Percam accedit. *Colore* est obscuriore, sordide flavicante, fuscis maculis vario. *Squamis* tegitur parvis, serpentum similibus. Summum caput & opercula branchiarum crebris *spinis* horrida, quas, quia venenosæ creduntur, abscindere solent piscatores; rugis quoque & asperitatibus scabra [inferior lamina branchias operiens non procul ab angulo duas validas spinas obtinet; lamina superior in ipso angulo unam sed robustam: præterea superius versus oculos spina succrescit, inferius versus rostrum tres vel quatuor: Inter oculos & initia linearum lateralium spinæ validæ, breves]. Spatium oculos interjacens concavum. Supra oculum utrumque pinnula ut in Blenno. *Oculi* ipsi satis grandes & extantes, juxta se mutuo positi, cute communi obducti: irides aureæ, fuscis nubeculis umbrosæ. *Os* amplissimum. Maxillæ *denticulis* asperæ; ejusmodi denticulis in summo palato area triangularis, in imo ore eminentiæ quatuor globosæ, duæ supra, totidem infra, creberrimis consitæ. Ad inferiora narium foramina aliud pinnularum par. Pinnam gerit in dorso unicam, quæ tamen quia in medio humilior est, gemina videtur: ex radiis 21, quos continet, 12 anteriores rigidi sunt & spinosi, reliqui molles & flexiles: aculeus penultimus ex omnibus radiis humillimus est. Ultimus autem radius in hoc pisce & aliis quamplurimis ab eodem exortu geminus est. Pinnæ ad branchias peramplæ 16 radiis donantur, quorum anteriores quinque, exclusa prima, versus summitates suas in duos ramos dividuntur. Pinnæ ventrales, pari cum branchialibus à cauda distantia, radiis sex roborantur, quorum primus spinosus: Quæ ab ano imæ corporis carinæ hæret, radiis octo, tribus anterioribus spinosis. *Cauda* non forcipata, sed cum expanditur extrema circumscriptione subrotunda seu circularis, transversis lineis nigris ad intervalla distinguitur. Venter & quæ in ventre sunt pinnæ rubent.

Pondus. *Figura.* *Color.* *Squamæ.* *Spinæ.* *Oculi.* *Os, Dentes.* *Pinnæ.* *Cauda.*

Hepar pallide luteum: cystis fellea ampla. Appendices ad pylorum octo. Folliculum natatorium non invenimus; forte in pisce descripto corruptus erat. Vesicam urinariam observavimus ut in *Uranoscopo*. E ventriculo dissecto Squillam & cancellum exemimus. *Partes internæ.*

Frequens est hic piscis in mari Mediterraneo. *Venetiis*, *Romæ*, Genuæ vidimus: nec rarus in Oceano. *Locus.*

§. II. *Scorpius major*, Rondeletii, Gesn. 1017.

HIc à præcedente in his præcipue differt, alioqui simillimus, 1. Quod triplo aut quadruplo major sit. 2. Quod per totum corpus rubeat; maculis tamen interdum subobscuris varius est. 3. Quod plurimos habeat cirros seu barbulas, præcipue circa maxillam inferiorem, nonnullas etiam in superiore, quibus ille caret. 4. Quod pinnæ branchiales *Ut differt à præcedente.*

chiales radios habeant singulæ 19, ad nonum usque in duos ramos prope fastigia divisos. 5. Quod operculorum branchiarum anguli spinis circumvallati. 6. Quod color hepatis intensior sit, & fere croceus.

Partes internæ. Appendices in hoc quemadmodum in illo novem. Vesicula fellea similis. Folliculum æreum neque in hac specie invenimus. Foramen ani in utrisque longius à pinna distat quam in plerisque piscibus. Irides oculorum miniatis maculis pinguntur in hoc tantum.

Puer a Scorpio ictus, a Rondeletio *quomodo sanatus.* Puerum ab hoc pisce misere ictum, dum eum in sinum recondere vellet, curavi Mullo dissecto & imposito cum ejusdem Scorpionis hepate, adhibito ad vulneris ambitum lentisco contuso. Quod ideo commemorare volui, ut Scorpionis ictuum antipharmaca à Veteribus tradita vera esse & à me experientia comprobata omnibus indicarem. *Rondeletius.*

Scorpii nominis etym. Scorpius piscis dictus est non à Scorpii terreni formæ similitudine, sed quod pungat & feriat venenumque effundat Scorpii terreni ritu. *Idem.*

Scorpius salubrior Scorpæna. Scorpæna cibi salubritate longe Scorpione inferior est: quod ipsum non modo ex Antiquorum conscriptione accepi, sed certa palati sapientia expertus sum. *Gillius* apud *Gesnerum.*

Bellonius caudam & reliquas pinnas huic pisci rotundas esse observavit: Nam pisces, inquit, quibus cauda est bifurca, his quoque pinnæ in acutum tendunt: *quod & observatu dignum & verum esse putamus.*

§. III. Jaguaraca *Brasiliensibus* Marggrav. *Scorpium accedens.*

MEdiocris Percæ magnitudine est, ore acuto, edentulus. Oculos habet magnos, pupilla crystallina, nigra, magna & ampla, circulo coloris argentei, & superius maculam sanguineam habente. Pinnæ laterales & ventrales ita se habent ut in Turdo: per dorsum vero secundum longitudinem extenditur pinna digitum lata, usque ad unum digitum ab initio caudæ, constans tenui membranula. 11 spinis acutissimis suffulta, quam potest elevare & substernere pro libitu, atque non solum componere, sed abscondere in rima cui pinna insidet. Hanc sequitur alia contigua, digitum lata, pertingens ad caudæ exortum, 2 dig. longa, triangularis & superius desinens in acumen. Caudæ autem pars reliquo corpori subtensa subrotunda est, sesquidigitum longa, continens pinnam furcatam, cujus pars inferior duos digitos longa, superior paulo longior. Ad branchias in utroque latere, in quolibet duos habet aculeos, in quorum medio alii sunt minimi. His branchiis & aculeis ferit & vulnerat. Ferit etiam cum pinna dorsali, & cum iis quæ sunt in infimo ventre, ad quarum singularum latus aculeus est satis longus: & quidem in pinna prope caudam in infimo ventre spina est unum digitum longa. Totus piscis tectus est squamulis eleganter dispositis; & quælibet squamula in ambitu minutissime est serrata. Color totius corporis est argenteus: in ventre plane albicat. Caput superius incarnati est coloris, & hispida testa munitum. Pinnæ omnes coloris sunt dilute incarnati: ea autem quæ in dorso spinis suffulta, prope spinas auro est umbrata. Caro pinguis est, & boni saporis, præsertim si piscis assetur. Capitur in mari inter scopulos.

Piscis hic aculeis suis ferit & vulnerat Scorpii aut Draconis in modum; cumque caput hispida testa Scorpii instar munitum sit, Scorpius Americanus aut Brasiliensis non inepte dici possit.

CAP.

CAP. XXXIX.

Acarapeba *Braſilienſibus* Marggravii *Belgis* Braſem.

MAgnitudine eſt & figura fere *Bley* Pomeranorum, nimirum corpore lato, ſquamis majoribus, in totum argentei coloris ſplendentis: pedalis circiter longitudinis, 5 digitos latus ubi latiſſimus. Os habet edentulum, haud amplum, acuminatum, quod extendere & contrahere poteſt: oculos dupli ſtuferi magnitudine, argenteos, pupilla magna cryſtallina nigricante. Pinnam in dorſo extenſam habet ad caudam fere, anterius 2 digit. altam, firmis ſpinis ſuſtentatam, & ſenſim anguſtiorem: in quolibet latere poſt branchias unam, 3 dig. longam, plus uno initio latam & triangularem: in infimo ventre tres, duas videlicet junctas verſus anteriora, craſſa ſpina firmatas, & unam prope anum, initio firma ſpina ſuſtentatam & ad caudam fere protenſam, ſed minutiorem. Cauda conſtat pinna furcata, 3½ dig. longa, & in exortu antequam dividatur pene duos lata. Pinnæ omnes albi ſunt coloris tranſplendentis. Edulis eſt piſcis.

Smaridi aut Sacchetto ſimilis eſt piſcis, niſi quod major ſit, & os habeat edentulum. Quod poſterior pinnæ dorſalis pars in hoc piſce radiis mollibus extenditur, non diſerte affirmat, Marggravius, *poteſt tamen id ex verbis colligi; ideoque in hac claſſe, piſcium nimirum cui unica in dorſo pinna radiis partim ſpinoſis partim mollibus, eum diſpoſuimus. Et, ut verum fateamur, vix nobis perſuadet* Marggravius *tot inveniri piſces* Americanos *unipinnes, quibus radii omnes in pinna dorſali ſpinoſi ſint, cum in* Europa *vix unum cui pinna ejuſmodi ſit vel ipſi obſervavimus, vel ab aliis obſervatum legimus aut audivimus.*

CAP. XL.

Pira Jurumenbeca *Braſilienſibus, vulgo* Bocamolle Marggravii.

VIvit in mari in cœno: oblongus eſt piſcis, haud latus: novem aut decem interdum pedes longus; duos & ſemis latus ubi latiſſimus. Os habet elevatum, quod ampliare & rotundare poteſt: oculos magnos, pupilla cryſtallina, circulo ex argenteo & brunno mixto. Septem habet pinnas, duas anguſtas poſtbranchiales, duos digitos longas; duas in infimo ventre junctas, duos fere digitos longas, unum latas: unam poſt anum firma ſpina ſuffultam: ſextam per totum dorſum extenſam & biſectam: anterior ejus pars plus ſeſquidigito longa, unum lata, triangularis, quam erigere & in rimam recondere poteſt, mollis & tranſlucens; altera pars uſque ad caudam fere porrecta, tres digitos longa, ſemidigitum lata, itidem mollis. Septima eſt cauda, duos fere digitos longa, ſeſquidigitum lata, figura pentagoni, cujus baſis inſerta in corpus. Squamas habet toto corpore argenteas, ſplendentes, mediocris magnitudinis: in dorſo viridis & aureus color tranſplendet. Pinnæ argenteæ, & in medietate exteriore aureæ. In quolibet latere linea tendit paulum elata, etiam argentei coloris ut reliquum corpus. Edulis eſt & boni ſaporis.

Piſcem hunc in hac claſſe repoſuimus, quamvis Marggravius *radios omnes pinnæ dorſalis molles & flexiles eſſe innuere videtur; partim quia anterior ejus pinnæ pars mollis eſt & tranſlucens, quam piſcis erigere & in rimam*

recondere potest, qualis esse solet in hoc genere pars pinnæ dorsalis. Spinis radiata; partim quia pinna post anum firma spina suffulta est: nullum autem hactenus piscem vidimus hujusmodi, qui non & spinas in dorso habuit.

CAP. XLI.

Cururuca *Brasiliensibus* Marggravii.

PIscis est fluviatilis, sesquipedem longus: corpore oblongo, ore satis amplo; oculis mediocribus nigris. Pinnas habet 7, unam per dorsi longitudinem ad caudam fere protensam, quæ divisa est, & prior pars latior, tres digitos ferme, & totidem longa, triangularis, spinis suffulta; posterior longior sed exilior. Cauda fere quadrata. Squamas habet mediocris magnitudinis, argenteas, cum aureo & subfusco pauco mixtas, præsertim in dorso & lateribus. Pinnæ in dorso & lateribus ac cauda cinereæ; in medio ventre flavescunt & fuscescunt. Edulis est.

CAP. XLII.

Cernua fluviatilis Bellonii Gesn. *p.* 226. *Perca fluviatilis minor*, *Aurata* Tragi Gesn. *p.* 825. Aldrov. *Aspredo* Jo Caii *apud* Gesn. *p.* 228. Angl. *A Ruffe*.

Figura. F*Igura* corporis ad Percam vulgarem accedit, verum minor est (ut quæ longitudiuem semipedalem vix superet) & zonis illis transversis nigricantibus caret. *Squamæ* *Squamis* tegitur majusculis seu mediæ magnitudinis, crenulis tenuibus in gyrum incisis & velut fimbriatis, quæ piscem hunc scabrum admodum efficiunt. Plurimum habet viscosi lentoris squamis adjuncti, ut recte *Bellonius*. *Color.* Dorsum ex viridi sordide flavicat; ima latera cum pallore flavent. Circa branchiarum tegumenta aureo fulgore relucet; unde à nonnullis *Perca aurata* dicitur. Venter albet. Dorsum & summa latera, quin & cauda & pinnæ omnes (exceptis tribus in parte supina, una post anum & binis in summo ventre) punctis & lituris nigris distinguuntur. *Os, oculi.* *Os* modicum; maxillæ limæ instar asperæ: Palatum & lingua glabra. *Oculi* ex dimidio superiori fusci, ex inferiori subaurei. *Nares.* *Narium* foramina parva, juxta quæ utrinque tres aut quatuor in rostrum impressæ cavitates nares mentientes. *Hæc verba Italico charactere descripta* Gesneri *sunt.* *Ubi linea quæ piscium latera secat ad branchias incipit, ibi aculeum ad caudam spectantem videas, & alterum quoque paulo inferius, utrumque extremis branchiis, id est branchiarum margini, qua aperiuntur adjunctum: in* *Spinæ in operculis branchiarum.* *mediis etiam branchiis denticulatas aliquot spinulas, crenatim (ut ita dicam) apparentes, si de proximo intuearis. superius minores & frequentiores, inferius majores, paucas & majoribus intervallis. Sunt autem illæ digestæ in margine portionis cujusdam branchiarum, quæ a parte subjecta deduci & elevari potest. Est & supra branchias spinea pars obliqua, utrinque versus occipitium se colligens, tantillis serrata denticulis, ne tactui magis quam visui pateant. Item alia pars spinea triangularis superinnata a branchiarum scissura, statim supra pinnas ibidem, retrorsum spectat, & in brevissimum sed acutum spiculum desinit.* *Pinnæ.* *Pinna dorsi una oblonga & continua est; differt teamn partibus: nam anterior aculeis constat quatuordecim, quorum primi tres reliquis breviores,* [& in his primus brevissimus, secundus duplo longior, tertius triplo] medii longiores, longitudine paulatim

latim ad penultimum decrescente, nam ultimus iterum longior est: omnes autem supra membranas intermedias eminent. Posterior pars fibris duodecim extenditur, pars fere altitudinis, in summo bifidis, angustioribus intervallis distantibus. Cauda forcipata. Pinnæ ad branchias flavicant, radiis 15 in summo bifidis instructæ. Pinnæ ventrales, paulo inferius quam è regione initii pinnarum quæ ad branchias sunt incipiunt, & sex singulæ radiis, anterioribus osseis & spinosis, reliquis cartilagineis flexilibus & ramosis donantur. Ei quæ ab ano est pinnæ octo radii insunt, quorum primi duo aculeati & rigidi.

Ventriculus rotundus, in quo dissecto hexapoda aliquot aquatica invenimus. Appendices ad pylorum tres, breves, crassæ, albæ, in aliis hujus generis quatuor. Intestinum semel tantum reflectitur. Hepar carnei coloris. Folliculus ventosus amplus, non disseptus, tenui membrana constans, per totam abdominis longitudinem extensus, dorso adhærescens. Orificium excrementorum caudæ quam capiti propior. Fæmina *Aprilis* initio ovis foeta erat, necdum pepererat. *Partes interna.*

Ab asperitate squamarum nostratibus *Ruffe* [rectius *Rough* scriberetur) dictus est: *Jo. Caio* Aspredo. A dorso, ad rostrum usque à medio, porci fere in modum, declivi non absurde Porcus fluviatilis (Χοῖρος *Strabonis*) censeri potest; præsertim cum spinas in dorso aculeatas ut porci setas erigit. *Nominis ratio.*

Gesnerus Italiæ & *Galliæ* ignotum putat, quod vix mihi persuaserit. In *Angliæ* nostræ fluminibus præsertim majoribus passim invenitur, ut v. g. in *Hiero* qui *Norwicum* alluit, *Camo* qui *Cantabrigiam, Iside* qui *Oxonium*; in *Thamo* nostro, qui *Trentam* influit, aliisque plurimis. *Tragus* apud *Gesnerum* torrentia amare refert, *Caius* locis arenosis gaudere. *Locus.*

CAP. XLIII.

Schrollus Danubianus Gesn. *paralip. p.* 1289. Schrolln *Ratisbonæ, quem præcedenti eundem puto.*

Figura corporis Percam refert; ejusmodi etiam squamis consertis. Colore est ex fusco flavescente, dorso & pinnarum membranis maculis nigrioribus aspersis. Maxillæ denticulis valde exiguis asperæ: duo etiam denticulorum globuli sunt ad imum palatum. Superior lamina operculorum branchiarum ad marginem spinulis munita, quarum quinque aut sex gulam versus majores sunt reliquis superius versus lineas laterales sitis. Cauda nonnihil forcipata. Pinnarum numero, situ figura, radiis tum spinosis, tum mollibus cum Perca fluviatili minore convenit, ut non dubitem eundem piscem esse.

CAP. XLIV.

Schraitser Ratisbonensibus.

Piscis est *Danubianus, Ratisbonæ* frequens. Quem descripsimus longus erat digitos $6\frac{1}{2}$. Branchiales pinnæ summo rostro distabant unciam $1\frac{3}{4}$; ventrales $1\frac{7}{8}$; Dorsi pinna $1\frac{5}{8}$; foramen ani $3\frac{1}{4}$; pinna retro anum $3\frac{3}{4}$. Pinnis ad branchias singulis nervi sex cartilaginei inerant; ventralibus singulis radii sex, quorum primus spinosus; ano sub-

nexæ

nexæ octo, è quibus duo anteriores spinosi; dorsali triginta, octodecim anteriores spinosi. Cauda forcipata, radiis circiter septendecim.

Mandibula superior membranam velut labium à se demittit. Ossi branchias operienti medio spinulæ innascuntur. Membrana pinnæ dorsalis spinas connectens maculis varia est. *Vesica* natatoria & intestina ita se habent ut in Schilo. Rupta vesica apparet aureus & splendens color ad fundum ventriculi, ut in erucarum nonnullarum aureliis. Tam in hoc quam in Schilo septem vel octo sunt foramina à mandibula inferiore ad spinulas modo dictas. Ad radicem pinnæ dorsalis utrinque linea nigra.

Cum Perca minore convenit 1. spinulis in margine superioris laminæ operculorum branchiarum; 2. pinna dorsi unica, radiis partim spinosis, partim mollibus donata, membranis intercedentibus maculosis. Ab eadem differt, 1. Aculeorum numero, qui in illa quatuordecim tantum pinnæ dorsi insunt, in hoc octodecim. 2. Lineis duabus nigricantibus per latera ductis, quarum superior supra lineam punctatam incipit, postea per ipsam lineam extenditur. 3. Quod illa crassior sit & brevior, dorso assurgente, & Percæ similior; hic longior, tenuior & rostro etiam longiore. 4. Colore inter lineas albidiore.

CAP. XLV.

Acarapucu Brasiliensium Marggravio.

FLuviatilis est piscis, in sesquipedalem longitudinem excrescit, ubi latissimus 4 aut 5 digitorum. Os acuminatum, circiter 2 digitos longum, haud amplum; labia abscondere & contrahere potest, ut solum hiatus appareat: nullos habet dentes. Oculi magni, pupilla nigra splendente, circulo ex albo & fusco mixto. Pinnas habet 7: unam per dorsi longitudinem ad caudam fere extensam, non latam, quam erigere & spinis sustentare, atque recondere potest: postbranchiales duas, totidem in infimo ventre, unam post anum: septimam pro cauda, furcatam, 4 aut 5 digitos longam. Totus splendet squamis argenteis minoribus: in dorso tamen aliquid auri admixtum: & in quolibet latere 6 oblongæ maculæ cœruleæ rufescentes, non ita conspicuæ. Pinna dorsi & cauda dilute cœrulei sunt coloris, ut & laterales: duæ in infimo ventre flavescunt paulum, ut & ea quæ prope anum est. Edulis est.

CAP. XLVI.

Guatucupa juba Brasiliensibus Marggrav.

IN duorum pedum longitudinem excrescit, dorso paulum incurvato. Os habet triangulare, acuminatum: dentes parvos acutissimos: oculos magnitudine *Stuferi Hollandici*, pupilla magna, nigra, splendente, circulo rubro. Pinnas habet molles sine spinis in lateribus: nimirum unam in quolibet latere post branchias angustam, $2\frac{1}{2}$ dig. longam; duas tales junctas in ventre subter illas, unica spina munitas; & unam prope anum, digitum longam ac latam, unica quoque spina armatam. Ante medium dorsum versus occiput incipit pinna, desinens ad caudæ initium, 5 digitos longa, unum fere lata, quæ 22 spinis erigitur. Cauda

duos pene digitos longa, unum lata, pinnam habet plus uno digito longam & 4 latam, paululumque exterius versus interiora arcuatam. Vestitur squamis paulo majoribus coloris argentei, & striis flavis & ex argenteo rufescentibus, secundum longitudinem extensis à capite ad caudam usque. In utroque latere etiam à capite ad caudam eminens linea tendit. Caput ex argenteo, rufo, flavo mixtum. Pinnæ albæ sive argenteæ: Caudæ pinna ruffa. Venter albus. Capitur in mari inter scopulos. Boni est saporis, & lingua & caro circa mandibulas longe optimi, ut in *Cyprino*.

Lineis flavis a capite ad caudam deductis Salpam imitatur.

CAP. XLVII.

Acara Brasiliensibus Marggrav.

PAlmam longus est, dorso curvo, & alto corpore ut Perca. Os habet angustum; & dentium loco limam: oculos haud magnos, nigros, circulo aureo: Pinnas obtinet 6: nimirum sub qualibet branchia unam longam; triangulum acutum referentem. A summitate autem dorsi pinna extenditur, firmis spinis sustentata, & in triangulum acutum prope caudæ exortum desinens. Cauda oblonga est, parallelogramma, & in extremitate recta. Vestitur squamis satis magnis, argentei coloris, sed in capite, dorso & lateribus ita umbra mixtis ut fuscus videatur. Venter albicat. Pinnæ omnes & cauda fusci sunt coloris ex umbra. In medio quolibet latere magnam habet maculam nigram, ut & prope exortum caudæ. Edulis est piscis & capitur in fluviis dulcibus.

Piscis isthic & sex proxime sequentes Brasiliani, *itemque* Acarapuca & Guatucupa *juba, si modo a* Marggr. *accurate describantur, sui generis sunt, & ab* Europæis *nostris, Lipari duntaxat excepta, diversi, quod pinnæ, quam in dorso unicam singuli habent a capite ad caudam fere extensam, radii omnes aculeati sunt.*

CAP. XLVIII.

Acarapitamba Brasiliensibus Marggrav.

OBlongo est corpore ut *Mullus* seu *Barbus*, in duorum pedum aut etiam majorem longitudinem excrescit. Os habet minutum & dentes: Oculos amplos, pupilla crystallina, circulo miniato: Pinnas 7; unam à summitate dorsi tendentem ad exortum caudæ fere, spinis suffultam, digitum latam aut paulo amplius: post quamlibet branchiam unam tenuem & longam: subtus in ventre duas junctas, & prope anum unam. Cauda constat pinna 5 digitos longa, quæ in duo obliqua cornua desinit. Squamis totus vestitur modo *Cyprini*, eleganter ex purpureo cœruleis. In utroque latere in medio ab oculis ad caudam tendit linea sesquidigitum lata, aurei coloris. Per totum autem dorsum ad hanc lineam usque puncta aurea majuscula habet: sub linea in lateribus subtiles lineas aureas seu flavas secundum longitudinem. Venter albicat. Pinnæ laterales & ventris ex albo flavescunt. Dorsalis pinna & tota cauda aurei sunt coloris. Pinnæ ejus lucent noctu. Capitur in mari. A pediculis marinis vexatur.

CAP. XLIX.

Uribaco Brasiliensibus Marggrav.

DOrso est incurvato, ventre protuberante, 15 aut 16 dig. longus, 5 aut 6 altus ubi altissimus. Dentes ei parvuli, acuti; lingua lata: branchiæ amplæ, in triangulum definentes: oculi dupli stuferi magnitudine, pupilla crystallina, circulo argenteo, cui aliquid cinnabrii mixtum est. Pinnas habet 6 nimirum post quamlibet branchiam unam, longam, triangulum acutum referentem, sed exterius paulum circinatam: sub his in infimo ventre duas triangulares, anterius firma spina munitas: post anum unam oblongam, in exteriori ambitu circinatam, molliusculis spinis per medium suffultam, anterius autem dura & acuta spina. A summitate autem dorsi ad exortum fere caudæ tendit pinna latiuscula, latitudinis fere ubique æqualis & acutis spinis sustentata. Cauda itidem lata in duo velut cornua distenditur. Vestitur squamis magnis, in totum argentei coloris, sed cui parum cinnabrii translucet. Pinnæ laterales & infimi ventris albæ seu argenteæ; dorsalis & cauda plus cinnabrii quam argenti habent. A summitate denique branchiarum ad caudam usque (paulum arcuatim) tendit linea rubra, & supra eam in posteriore parte corporis in utroque latere maculam habet nigram magnitudine grossi Misnici. Capitur in mari; edulem habet carnem & bonam.

CAP. L.

Pira acangata Brasiliensibus *i.e. Piscis duro capite* Marggrav.

PErcæ mediæ magnitudine est, 7 aut 8 digitos longus, ore haud amplo; oculis nigris, circello nigricante, aureo & ruffo colore mixto. Pinnas habet sex, & septimam pro cauda; duas postbranchiales, duas in infimo ventre junctas; unam versus posteriora in ventre, & unam per totius dorsi longitudinem, usque ad caudam extensam & erectam, firmis spinis suffultam, quam in vaginam recondere potest. Pinna caudæ furcata. Tegitur squamulis argenteis, aureo & igneo colore transplendente, præsertim in dorso: in ventre in argenteo thalassinus color translucet. Pinna dorsi argentea transsplendens, & maculis fuscis insignita. Pinnæ laterales albæ; quæ in ventre cœrulescentes. Caudæ quoque pinna in extremitate cœrulescit. Est edulis.

CAP.

CAP. LI.

Piranema Brasiliensibus Marggrav.

Cyprini mediocris aut Percæ est magnitudine; 9, 10, aut 11 dig. longus; latus ubi maxime 3 digitos aut paulo amplius. Os habet amplum, subrotundum, edentulum quidem, sed acutissimis prominentiis asperum: oculos magnos instar solidi Hollandici, pupilla crystallina, circulo albo splendente, qui superius ad dimidiam partem coloris est miniacei. Branchias habet admodum amplas. Pone has in quolibet latere pinnæ digitum quidem longæ, sed haud latæ, & subter has in ventre duæ sibi propinquæ, duos digitos longæ, & sesquidigitum latæ, triangulares, spinis suffultæ. A ventris medietate ad caudæ exortum usque pinna protenditur, 3½ dig. longa, unum lata, itidem spinis intertexta, quam abscondere fere potest in rima ad hoc comparata. Per universum dorsum ab occipitis fine ad exordium caudæ pinna extenditur, 5 digitos longa, paulo plus digitum lata, tenui membrana constans, duabus & viginti spinis intertexta, quam erigere atque deprimere potest & fere abscondere in rima. Cauda quæ à Corpore protenditur sesquidigitum est longa, unum lata, pinnam habet 3½ dig. latam, & plusquam sesquidigitum longam. Color totius piscis est argenteus laccatus lacca *Florentina*. Squamulas habet minutulas, quasi triangulares: in ventre plus albicat, seu argenti plus laccæ intermixtum cernitur.

Capitur in mari, edulis est ac boni saporis.

CAP. LII.

Pudiano [rectius *Bodiano*] *vermelho*, Brasiliensibus *Aipimixira* & *Tetimixira* Marggr.

Piscis mediocris Percæ magnitudine. Latitudo corporis ubi maxima 2 digitorum; prope caudam unius aut paulo plus. Caput parvum; os acutum; superius in anteriori parte denticuli acuti minimi, inferius item & versus interiora in utraque mandibula alii minimi denticuli. Oculos habet paulum eminentes, pupilla nigra, exteriore albo, hinc flavo circulo. Pinnas habet 7: nimirum duas plus digito longas, haud latas, post branchias, in utroque latere unam: sub his duas junctas in ventre: aliam in ventre versus caudam, 2 dig. longam, secundum longitudinem adnatam: unam item talem in dorso 3½ dig. longam: & septimam pro cauda quæ est quadrata, digitum longa & lata. Tegitur piscis squamis subtilibus, ita arcte complicatis, ut ad tactum glaber esse videatur. Color totius corporis flavus cum aureo mixtus. Summitas autem capitis & totum dorsum ad media utrinque latera, & fere usque ad finem dorsalis pinnæ purpurei est coloris egregii cum lacca mixti: extrema ora pinnæ majoris in ventre versus caudam etiam purpurascit, ut & pinnæ illi junctæ totaliter. Reliquæ pinnæ flavæ cum aureo colore mixtæ, ut & totum reliquum corpus. Pars ultima pinnæ majoris in dorso etiam flava, ut & cauda. Piscis est edulis.

CAP. LIII.

Pudiano verde Lusitanis Marggravii.

PIscis est oblongus, nimirum 10 digitos ab oris extremo ad caudæ initium: corpus 3 dig. latum circa caudam autem $1\frac{1}{2}$ Os acuminatum, haud amplum, anterius in superiore mandibula habens duos dentes acutos, longos, & seriem denticulorum minimorum: inferius in anteriori parte 4, longos, acutos, & seriem minutorum candidorum. Oculos habet parvos, pupilla nigricante, circello primum aureo, dein exterius albescente. Pinnas obtinet 7; nimirum unam per dorsi longitudinem extensam, $6\frac{1}{2}$ digit. longam, dimidium latam, quam spinis erigere & sustinere potest, colore aureo, & striis undulatis cœruleis secundum longitudinem notatam; post utramque branchiam unam, 2 digitos longam, paulo plus uno latam, colore albicante cum cœrulea in laterali ambitu lineola: sub ventre duas parvas junctas branchialibus concolores: ab ano unam pene ad caudæ exortum pertinentem 4 dig. longam, unum fere latam, ex ruffo ad brunneum colorem vergentem, striis itidem cœruleis secundum longitudinem notatam. Septima pinna est cauda, quæ est quadrata aut parallelogrammi figura, sesquidigitum longa, duos lata; rufescit autem striata thalassino ac cœruleo secundum longitudinem, in extremitate autem paululum virescit. Squamis latis totus vestitur, quæ ita compositæ sunt, ut meri cubi sibi appositi videantur; lutei seu aurei coloris, ac per totum ambitum linea seu fimbria elegantissima azuri seu cœrulei coloris. Caput superius aureum est cum magna macula coloris ex viridi thalassini, circundata azureo; & azureis, flavis, subviridibus, & albicantibus striis variegatum.

Piscis insignis coloris, & edulis est. Capitur in mari.

CAP. LIV.

Aculeatus vel Pungitius marinus longus Schoneveldii.

CUm piscis hic (*inquit*) à nullo (quod sciam) antehac descriptus sit, & ob id peculiari nomine careat, ad Pungitios reliquos non incommode referetur, quibus & aculeis & pinnis respondet.

Est autem animalculum corpore quadrangulo, tenero, digitum crasso, oblongo dodrantem vel palmos duos, versus caudam, item quadratam, valde gracilescente. Cute lævi est, quæ in dorso nigricat, ventre ex albo flavescente; capite Lucio non absimili, nisi quod tenerius rostrum est & porrectius. Pinnas habet ad branchias duas, in dorsi medio unam triangulam, à qua cervicem spectant recto ordine aculei quindecim, retrorsum nonnihil inclinati, discreti, nullaque membrana connexi. In medio ventre aculei duo sunt, ad latera aversi, à podice unicus, à qua pinna quarta superiori ex adverso respondet: hinc tenuissimam caudam pinna triangularis claudit.

In sinu *Chiloniensi* capitur, ubi eum piscatores vocant *Steinbicker*. In *Hilliglandia* insula Oceani sex milliaribus ab Albis ostio distante, quæ *Illustriss. Slesvici* & *Holsatiæ Ducum* imperio subjacet, non plane ignotus est, ubi incolis vocatur *Erßkruper*.

Hic

Hic piscis nostris incognitus undis, nobis nondum conspectus est: videtur tamen accidere ad Pungitium nostrum secundum cap. 56. *descriptum, ut descriptiones diligenter conferenti patebit.*

CAP. LV.

Pisciculus aculeatus Rondeletii *de Aquatil. p.* 9. Gesn. *Pungitius Piscis* Alberti Aldrov. *lib.* 5. *cap.* 36. *A Stickleback, Banstickle or Sharpling.*

PIscem hunc Autor obscurus de natura rerum Spinachiam vocat: alius obscurior Turonillam *Gesn.* vocis Pungitii formationem *Gesnerus* non laudat: hujus enim terminationis nomina, inquit, vel à participiis passivis præteritis derivantur, ut fictitius, factitius, vel à nominibus, ut lateritius: à verbis vero præsentis temporis nullum opinor: quamobrem analogia defendi non potest. Punctorem aut punctium dicere oporteret, qui *Stickling* Germanici nominis vim quam proxime exprimere vellet. Centriscum *Theophrasti* in libello de piscibus non alium esse ab Aculeato nostro conjicio; 1. à corporis aculeis, unde nomen in plerisque linguis ei factum est. 2. quod pisciculus sit exiguus, ut forma nominis diminutiva insinuat: 3. quod fluviatilis non marinus: 4. quoniam sponte & absque seminio nascitur centriscus, quod de Pungitio etiam *Albertus* testatur. Hactenus *Gesnerus*. *Nomina eorumque ratio.*

Corpore est latiusculo & compresso, rostro acuto; cauda acuminata; longitudine $2\frac{1}{4}$ digitorum [Mutinæ in *Italia* Spinachias majusculas quadrantem fere longas vidimus, in quibus mares viridiores erant, maculis transversis fuscis; in ventre ab ore ad aculeos rubro colore tincti, præcipue sub rostro; fœminæ pallidiores, pauco rubore ad interiorem tantum partem aculeorum ventralium.] *Pinna* in dorso unica est; ad branchias geminæ, hinc inde una; ab ano una, radiis novem donata; in ventre nullæ: *Aculei* in dorso tres discreti pinnam antecedunt. In pisce quadrantali anterior summo rostro distabat digitum unum; media digitum unum; & tres insuper octavas digiti partes; posterior (quæ minima est & ad radicem pinnæ dorsalis sita) digitum unum cum tribus quartis. In ventre duo alii aculei sunt majores, robustiores, durissimo ossi pinniformi affixi; nam pinnarum ventralium loco laminas duas osseas triangulares obtinet. Squamis caret: corpus tamen anterius, à duobus dorsi aculeis ad illos qui in ventre sunt, loricis transversis seu osseo tegmine munitum est. Armatura hæc superius in quatuor vel quinque laminas divisa est, inferius in unam contracta. Spinas pro libitu vel arrigit, vel caudam versus deprimit. Oculi grandiores sunt, pupillæ virescunt: *Os* denticulis admodum exiguis serratum: Mandibula inferior superiore paulo productior. Peritonæum undique maculis nigris aspersum est: Venter semper ovis tumidus. Hepar amplum: Fel nigrum. *Figura. Magnitudo. Color. Pinnæ. Aculei. Armatura corporis. Os, Dentes.*

In fluviis, lacubus, fossis, rivulis passim inveniuntur. *Sconveldius* in aquis etiam salsis reperiri asserit, ubi gregatim natant &c. *Locus.*

C A P. L V I.

Pifcis aculeatus minor Rondel. Gefn. *p.* 9. *Pungitii pifcis alterum genus lib.* 5. *cap.* 36. Aldrov. *The leffer Stickleback, Banftickle* or *Sharpling.*

Figura. Color. Spina. COrpore eft quam præcedens pro magnitudine longiore, verfus caudam angufto & contracto valde. Squamis caret. Dorfi *color* olivaceus; venter argenteus eft, lævis & nonnihil fplendens. *Spinæ* in fummo dorfo à capite caudam verfus ordine difpofitæ decem aut undecim (non fex tantum, ut in Aculeato *Rondeletii* & *Bellonii* fecundo) non *Pinna.* perpendiculariter erectæ, fed viciffim una dextrorfum, altera finiftrorfum inclinatæ. Spinis fuccedit *pinna* (quam in dorfo unicam habet) nervis octo aut novem radiata. Pinnis ventralibus caret; earum autem loco lamellas duas offeas triangulares obtinet, quibus adnafcuntur *Cauda. Oculi. Dentes. Vifcera.* aculei duo, nimirum hinc inde unus. Ab ano fpina una, cui adnexa pinna, novem præterea nervis intertexta. *Cauda* rotunda. Pinna ad branchias hinc inde una, novem vel decem nervis radiata. *Oculi* majufculi, membranulis tecti. Irides interdum albæ, interdum flavicantes. *Denticuli* exigui: maxilla inferior fuperiore paulo longior. Hepar magnum, trifidum. albicans: lobus ejus dexter reliquis multo major. Cyftis fellea ampla, felle flavicante. Lien ruber. Inteftinum grande, vix reflexum: *Locus.* vefica aerea magna. Peritonæum nigris maculis afperfum. In rivulis noftris hic in agro *Warwicenfi* paffim reperitur.

Aculeatus pifcis minor *Rondeletii*, *fpinarella* pufilla *Bellonii* vel perperam ab illis, fex tantum in dorfo fpinis, defcriptus eft, vel ab hoc noftro diverfus.

A præcedente quomodo differt. A præcedente differt. 1. Pluribus in dorfo fpinis: 2. Corpore longiore. 3. Quod careat armatura illa in lateribus tribus laminis conftante.

Pifcatores hoc genus pifcium fponte generari aiunt, & ex ipfis alios omnes: hac obfervatione inducti, quod in lacunis novis primo ftatim anno inveniantur, & poftea fequentibus annis pifces alii diverfi, quanquam nulli fuerint immiffi. Albertus. Dari in animalibus, faltem perfectioribus, ortum ejufmodi fpontaneum ego certe ægre inducor ut credam.

A P P E N D I X.

De Apuis five Aphyis.

DIctæ funt Aphyæ ὡς ἂν ἀφυεῖς ἔσαι, τετέσι δυσφυεῖς tefte *Atheneo*, i. e. μικροφυεῖς parvæ. Αφυὲς ἀντὶ τῦ μικροφυὲς ὅθεν καὶ Αφύη ὁ ἰχθὺς λέγεται ὡς μικροφυὴς, ὡς ἐν ἰχθύσιν. *Euftath.* quia maligne & nimis pufillo corpore natæ funt, vel quia maligne & non omnino crefcunt: non quafi non natæ, ut vult *Rondeletius.* Sunt autem ἀναυξεῖς καὶ ἄγονοι tefte *Ariftotele* i. e. nec accrefcunt nec procreant.

Apuæ (inquiunt) nec procreant, nec procreantur, fed fponte nafcuntur fine coitu ex imbribus fpumefcente mari: unde illis etiam nomen Αφρων à fpuma. Aliis à limo putrefcente nafci dicuntur. Quicquid autem de hac fpontanea earum origine fertur nobis incertum & fufpectum eft.

Apua

Apua vera Rondeletii.

Piſciculus eſt admodum exiguus, vix unquam minimi digiti longitudinem æquans, ſæpius candidus, aliquando rubeſcens, nigricantibus oculis. In Liguſtico litore frequens eſt. Præterea adeo mollis, tenera tenuiſque eſt ut citiſſime percoquatur; unde parœmia, ἴδε πῦρ Ἀφύη, quaſi vidiſſe modo ignem ſufficiat ad decoctionem. Aphya omnis humidum alimentum præbet, flatuſque gignit.

Apua Phalerica Rondeletii.

Phalericæ dictæ ſunt magnæ, à Phalereo Atticæ portu. Piſcis eſt Sardinis ſimilis, minor & tenuior ſed latior. Squamas in mari habere certum eſt, ſed ſtatim excidunt, remanentibus earum veſtigiis, iiſque ſquamis quæ ventrem firmant & aſperum efficiunt, ut in Aloſis & Sardinis videre licet. Mollis eſt & adeo pinguis piſciculus iſte, ut ſi aliquandiu digitis tractetur, liquefiat: aut ſi magna copia in navicula vehatur, ſupernatantem pinguedinem colligant piſcatores, qua olei vice ad lucernas utuntur. Maxima hujus copia præſertim autumno capitur. Noſtris *Melete* dicitur. *Bellonio* Membras eſt quæ *Meleta* Maſſilienſium vulgo appellatur. Membradem autem nihil aliud eſſe quam Thriſſæ fæturam ab Authoribus traditum eſt, inquit *Bellonius; quorum ſententiæ & nos quoque accedimus.*

Quæ de Aphya Mugilum, hoc eſt Mugilis ſpecie ſine coitu naſcente ex terra arenoſa vel limo, itemque de Aphyis Mænidum & Mullorum eodem modo ſine mare & fœmina ſponte ortis *Rondeletius* habet, apud ipſum vide. Nobis enim Mænidum & mullorum fœtura eſſe videntur.

FINIS.

APPENDIX AD Historiam Naturalem PISCIUM.

Pisces Indiæ Orientalis a *Joanne Nieuhofs* Descripti.

Verkens Visch seu Meer-Swiin, i. e. *Porcus Marinus*, *Apri seu Caprisci Species*.

VEL Capriscus est Salviani imperfecte descriptus, vel ab eo accidentibus duntaxat nonnullis, ut *v.g.* tribus transversis lineis cœruleis, per pinnas ductis, diversus.

Guaperuæ Brasiliensium *Marggr.* tum figura tum descriptio magis recedit à Caprisco quam hujus, ut dubitem an idem specie sit, necne. *Append. Tab.* 1. *n.* 1.

Perca Amboinensis.

Amboynæ insulæ aquarum dulcium alumna est, sed rarius occurrit, spithamam circiter longa, Percam nostratem natandi modo, nonnihil etiam corporis figura & sapore referens. Colore est subobscuro aut fusco, lineis subcœruleis sub rostro variis, unde & pinnæ etiam contiguæ cœrulescunt; laterales autem seu postbranchiales subvirides sunt & maculosæ. Carne est salubri, & sapore, si rite præparetur, delicato. *Append. Tab.* 2. *n.* 3.

Icon repræsentat areolas transversas obscuras, à medio dorso per ventrem ad latera ductas, ut in Perca. Pinnam dorso medio innatam non recte pictam suspicor, radiis discretis, nullis intercedentibus membranis connexis.

Brama Saxatilis seu Pagrus Indicus.

Piscis est grandis & speciosus, 4 interdum pedes longus, Bramæ fluviatili similis est, (unde & ei nomen inditum *Brasem*) verum magnitudine excellit. Oculi grandes. Rostrum dilute rubet, ut & pinnæ posteriores una cum cauda; rictus amplus. Piscis est pelagius, hamis frequentius, difficilius retibus capitur. Caro inter dissecandum se contrahit, unde nonnullis *Crampers*, i. e. Spasmodes dicitur. Carne est solida & non insipida. *Appen. Tab.* 1. *n.* 3.

Ob nomen Bramæ, quo & Nostrates Pagrum insigniunt; colorem rubrum quo caput & pinnæ diluuntur, figuram corporis similem, & magnitudinem insignem, vel ipsissimum Pagrum Europæum, vel Piscem ei simillimum esse judico, quamvis pinna dorsalis minus recte picta sit. Acarapeba Brasiliensium, Belgis Brasem Marggrav. quamvis genere cum hoc conveniat, specie tamen diversus videtur & ad Sargum aut Sparum propius accedere.

Kael-hop, id eſt, Phalacro-cephalus Indicus. Append. Tab. 2. n. 1.

Ita dictus eſt quia caput & collum calva videntur. Colore eſt caneſcente: Roſtro (cujus hiatus amplus) rubris maculis vario. Oculi grandes è capite extant, Iridibus flavis ſplendentibus. Ad bipedalem longitudinem excreſcit.

Ex optimis Indiarum piſcibus habetur, carne ſapida & guſtui grata, quocunque modo præparetur.

Anadromus eſt, & in aquis tam dulcibus quam ſalſis capitur.

Meer Bleiir, id eſt Blicca marina, potius Harengus minor Indicus. Append. Tab. 1. n. 2.

Harengi magnitudine eſt, verum brevior & latior, nec colore differt, ſalituram etiam admittit Harengorum modo. Cauda eſt forcipata; capite figuræ inſolitæ & exoticæ, roſtro & oculis amplis. Catervatim magnis agminibus natant una cum Harengis, ad oram Malabaricam præcipue. Sapor non ingratus, non tamen Harengis ſimilis. Iis utuntur Malabarici ad agros, quibus oryzam ſerunt, impinguandos.

Piſces plerique Indici, ſi non recens capti eſitentur, in farinaceam quandam ſubſtantiam molleſcunt. Hujus tamen caro firmior eſt & durabilior, unde & ſale, ut diximus, conditur, & per univerſam Indiam circumfertur.

Stront-viſch, i. e. *Piſcis Stercorarius.* Append. Tab. 2. n. 2.

Ita dicitur, quia circa latrinas, ubi victum quærit, plerunque capitur; unde nonnulli, ut inſalubrem, rejiciunt; boni tamen ſaporis eſt ſeu toſtus, ſeu elixus. Planus eſt & latus, vix ſpithamam longus, latitudine fere pari, ventre ſubcœruleo, corpore maculis fuſcis vario.

Hunc ex eorum genere eſſe ſuſpicor, qui in latus projecti natant; verum, ni pictura fallat, oculorum ſitus repugnat.

Geel-ſtardt, i. e. *Xanthurus Indicus.* Append. Tab. 3. n. 1.

Figura & magnitudine ad Bramam accedit. Roſtrum dentibus acutis rectà prorſum extantibus munitur. Color in dorſo & verſus caudam flavus: Cauda autem ipſa eo colore tota imbuitur, unde & nomen Piſci inditum. Venter cæruleſcit, caput verſus fuſcus eſt: Pinnæ rubent.

In aquis ſalſis degit, & circa rupes hamo capitur. Carne eſt ſapida & ſalubri.

Icon unicam tantum pinnam, in dorſo ad caudam uſque productam, repræſentat.

Raeven beck, i. e. *Koracorhynchus Indicus.* Append. Tab. 7. n. 2.

A roſtri ſimilitudine nomen accepit. Spithamam circiter longus eſt, dorſo & cauda rubentibus, ventre flavicante. Utrumque latus binæ lineæ flavicantes, à capite caudam verſus ductæ & paulatim evaneſcentes, diſtinguunt. Caro alba, firma, eſu ſalubris, ſeu igne torreatur, ſeu aqua elixetur.

Icon duas in dorſo pinnas repræſentat.

Naeld viſch. Acus Piſcis. Append. Tab. 3. n. 2.

Ab Acu noſtrate non video quid differat, niſi ventris & caudæ colore purpureo.

Konings

Konings visch, *Guarabucu Brasiliensium* Marggr. *Pelamidis aut Thynni species.* Append. Tab. 3. n. 4.

Piscis Regius dicitur, quoniam ob saporis præstantiam & carnis salubritatem inter Indicos omnes principatum obtinet. Ad 7 pedum longitudinem, & humanam interdum magnitudinem excrescit. Ductus laterales in icone non obliqui, sed ad longitudinem paralleli, falso, ut suspicor, pinguntur.

Aelem, *Anguillæ.* Append. Tab. 3. n. 3.

Primum genus,

Præter maculas pallidas, nihil in harum descriptione invenio, quod non conveniat Anguillis Europæis. Quod de coitu addit mihi fabulosum videtur.

Secundum genus,

Corpore est flavicante, lineis rubris striato; rostro acuto, oculis parvis, carne sicca, insipida & insalubri.

Meer Ael, i. e. *Anguilla marina*, *Ubirre* J. de Laet. *Append. Tab. 3. n. 3.*

Invenitur non raro multis Indiarum in locis. Totus fuscus est, maculis tamen Rhomboidibus spolii serpentis in modum distinctus. Anterior corporis pars tenuis, posterior duplo crassior: Rostrum longiusculum & plerumque hians: Dentes acutissimi, non tamen facile conspicui. In imis cavernis petrosis versatur, ubi pinguescit admodum, & salubris cibus fit. Qui hos interimunt tremore afficiuntur & interdum somnolentia ex afflatu seu contagio, quæ tamen cito evanescunt.

Mucu Marggravii huic congener est, diversus tamen.

Meer haen, *Gallus marinus seu Faber Indicus.* Append. Tab. 7. n. 1.

Marggravio describitur & depingitur sub titulo Abacatuaia Brasiliensium, Peixe gallo Lusitanorum.

Wit visch. Albula Indica marina. Append. Tab. 7. n. 4.

Piscis est squamosus, Harengum minorem seu Celerinum referens, capite crasso, dorso fusco; ventre cœruleo ad flavum vergente. Retibus in mari prope litus capitur. Carne est bona quocunque modo præparetur.

Knorre pot. Piscis grunniens. Cuculi fortasse species. An Guaibi coara Marggr?

Cum capitur grunnitum edit, alias mutus. In dorso lineæ utrinque duæ à capite ad caudam decurrunt, fusca una, altera lutea. Corpore est squamoso squamis minutis, carne multa, spithamæ longitudine, capite instar ollæ. Seu torreatur seu elixetur bene sapit.

Knorre haen, i. e. *Gallus grunniens.* Append. Tab. 4. n. 1.

Huic & præcedenti eadem nominis ratio. Corpore est crasso, tereti; cute glabra, maculosa admodum & tuberculis inæquali, colore fusco, ductibus nigricantibus vario. Caput crassum est & tuberculosum; rostrum grande; oculi rubri; cauda obtusa. Pinnæ laterales rubent. Palato arridet & in cibis laudatur.

Ad Scorpium marinum accedit.

Verkens visch, Peixe porco Lusitanis. Append. Tab. 4. n. 4.

A pisce cognomine, primo in loco descripto, differt. Longitudine spithamam vix æquat, colore viridi obscuro; squamis, pinnis & cauda nigris, oculorum iridibus luteis: Crassus est & pinguis, sapore grato. In aquis dulcibus capitur.

Ad quod genus proximum pertineat nec figura nec descriptio nos certos reddunt.

Zee Luis, i. e. *Pediculus marinus.*

Cancer Molucanus esse videtur, male depictus & descriptus.

Bont Ael seu Neegen-oog, i. e. *Lampetra Indica seu Enneophthalmos.* Append. Tab. 6. n. 2.

Longitudine pedem superat. Cute est glabra, pinguis ut Anguilla, à qua tamen forma corporis differt. Color fuscus; pinnæ imæ purpureæ, latera superne maculis flavis varia. Caput, limacis instar, cornua seu antennas obtinet. Pinnæ ut in *Pennevisch* venenosæ.

In aquis stagnantibus & piscinis degit; edulis est & gustui non ingratus.

Mustelæ potius quam Lampetræ speciem & figura & descriptio arguunt. Si tamen plura utrinque ad branchias obtinet foramina, ut nomen indicat, novum piscis genus est.

Kabbos seu Ael quabben, Mustelæ species. Append. Tab. 4. n. 3.

Præcedente nonnihil major est, ut qui binos pedes longitudine interdum superat. Cute est glabra & squamis nuda, colore fusco; rostro pallido, maculis nigris vario, capite obtuso, oculis velut in extremo sitis.

Mustelæ species esse videtur: Icon tamen plures transversas rimulas pro branchiis, ut in cartilagineo genere, ostendit.

Penne visch. Append. Tab. 6. n. 3.

Bagre Marggravii *prima species nobis esse videtur.*

Elefants neuse. Acus Indica mandibula inferiore in spiculum producta. Append. Tab. 6. n. 4.

Acus species est, figuræ exoticæ & insolitæ. Mandibula inferior in acutam spinam procurrit. Corpore est tereti, eleganter maculoso. Linea viridis media latera secundum longitudinem dividit. Sparlingum ut magnitudine ita & sapore refert. In aquis salsis capitur.

Jacob Evertzen. Append. Tab. 6. n. 1.

Marggravio plenius & accuratius sub titulo *Cucupu guacu* Brasiliensium describitur & depingitur.

Krom rugh, i. e. *Piscis gibbosus.* Append. Tab. 4. n. 2.

A figura denominatur. Piscis est glaber, squamis destitutus; ventre albo, pinnis & cauda nigris. Quatuor interdum pedes longitudine superat. Per totam Indiam capitur, & ob carnis soliditatem & præstantiam plurimum expetitur.

Hoorn

Hoorn viſch, i. e. *Piſcis cornutus.* Append. Tab. 10. n. 2.

Cornu habet in ſummo capite ſeu dorſi initio ſingulare, [quod nobis nihil aliud eſſe videtur quam pinnæ dorſalis anterior radius ſpinoſus prælongus & robuſtus] alia duo inferius pinnarum ventralium loco, incurva, fragilia, quorum ictu venenato vulnus inflictum ægre & difficulter curatur, præſertim ſiqua cornu particula intus remanet, quod ob fragilitatem non raro evenit.

Zee-ſnip. Tab. 5. n. 6.

Guebucu Braſilienſium titulo *Marggravio* depingitur & deſcribitur.

Corett. Thynni ſpecies. Append. Tab. 9. n. 1.

An à Thynno noſtrate ſpecie differat, non facile dixerim; puto tamen eundem eſſe, quamvis minus recte pictus ſit. Ad ſex ſeptemve pedum longitudinem adoleſcit, oculis grandibus, iridibus flavis: Cauda lata forcipata, flava & vireſcente. Pinnæ etiam ventrales flavicant. Venter cœruleo-viridis argenti inſtar ſplendet cum recens capitur. Piſcis eſt pelagius carne ſapida, non inſalubri. Hamo capitur.

Zee duiivel, Diabolus marinus. Append. Tab. 9. n. 3.

A ſpecie monſtroſa & terrifica denominationem accepit. Raiæ autem ſpecies eſt, roſtro bifido & velut bicorni. Latera utrinque in pinnam anguſtam producuntur. Cutis caput verſus fuſcis lituris pingitur. Ad ſeptem pedum longitudinem excreſcit. Caro ferinam ſapit.

Zee Duif, Columba marina, Orbis ſpecies. Append. Tab. 5. n. 5.

A capite Columbino ſimili, & pectore Columbæ gutturoſæ inſtar prominente nomen accepit. Squamis caret, verum maculas in cute habet diverſarum figurarum. Rarius capitur, nec bene ſapit.

Zee Egel. Append. Tab. 5. n. 2.

Orbis muricati eam ſpeciem eſſe puto, quam deſcribit Marggravius *Guamaiacu guara* Braſilienſium titulo.

Suiger. Append. Tab. 5. n. 1.

Imperati Remora eſt, *Marggrav.* Iperaquiba.

Hayen. Append. Tab. 5. n. 1.

Canis carchariæ aut Lamiæ ſpecies eſt: Verum cauda proculdubio non recte pingitur.

Zee Katiie. Append. Tab. 5. n. 1.

Lolliginis ſpecies eſt, nec forte à vulgari diverſa.

B *Klip*

Klip viſch ſeu Soldaten viſch. Append. Tab. 5. n. 4.

Bramæ ſpecies eſt (inquit Autor) at ni pictura fallat à Brama longe recedit. Spithamam longitudine raro ſuperat, corpore lato coloris pallidi. Pinnæ dorſalis radii aculeati veluti Percæ: Cauda acuta; oculorum irides flavæ.

Ex optimis Indiarum piſcibus eſt, carne alba, firma in plagulas dividua, ſaporis grati & ſalubri.

Zee Adelaer.

Hujus iconem factitiam puto: monſtroſum illud terriculamentum repræſentat è Raja effingi ſolitum quod Plani & Agyrtæ Baſiliſci nomine venditare conſueverunt.

Bont viſch. Append. Tab. 8. n. 3.

Pedem circiter longus eſt & admodum craſſus. Color tam corporis quam pinnarum & caudæ fuſcus, maculis pallide cœruleis, crebris undique reſperſus. Squamis caret. Oculos flavos annulus cœruleus cingit. Sub capite ingluvies quædam propendet, pulchris lineis ad caudam decurrentibus ſtriata. Pinnæ laterales flavent. Os parvum pro Piſcis magnitudine.

Ab incolis valde expetitur: Habet tamen venenati aliquid, quod caute & diligenter removendum.

Ni ſquamis careret Turdi ſpeciem eſſe dicerem.

Pit viſch. Tab. 8. n. 1.

Et hunc etiam Turdi ſpeciem facerem ni eadem ratio obſtaret. Sperlingo majori æqualis eſt, corpore tereti, ſquamis carente, maculis cœruleis & flavis pulchre variegato. Oculi è capite extant, quos protrudere & retrahere pro libitu poteſt. Pinna dorſi aculeata eſt. Loca cœnoſa frequentat, boni nihilominus ſaporis eſt. Velox admodum, eo impetu ſe projiciens, vt ex una foſſa in aliam tranſiliat.

Zee Vleermuiis. Append. Tab. 10. n. 3.

Aquilæ marina ſpecies eſt, capite craſſo, obtuſo, roſtro grandi. Tribus ductibus cœruleis ad corpus tranſverſis inſignitur.

Viis oog, Pentophthalmos. Append. Tab. 10. n. 3.

A quinque maculis oculorum æmulis in caudæ pinna conſpicuis dictus eſt. Cute tegitur glabra & ſquamis deſtituta, flavicante. Corpore eſt craſſiuſculo, capite parvo, roſtro longo, oculis trucibus. Pinnas binas habet rubras, caudam cœruleam. Aquarum dulcium incola eſt, carne alba, ſapore grato. *Anguilliformis eſt Piſcis, & ad Liparin ſeu Butterfiſh Cornubienſium accedit, verum magnitudine excellit.*

Wit fiſh or Week fiſh. Append. Tab. 8. n. 4.

Tæniæ dictæ ſpecies eſſe videtur, Aſelli mollis magnitudine, dorſo recto, ventre prominulo arcuato, roſtro ſurſum ſpectante, cauda forcipata. Unicum in dorſo geſtat ſpiculum. A capite fere ad caudam in ima ventris carina excurrit pinna. Corpus Piſcis ſtriatum ſpinæ dorſalis ad inſtar. E roſtro

extremo

extremo duæ barbulæ tenues, ceu filamenta, & prælongæ exeunt. Sapor Piscis delicatus est, assus tamen elixo præstat.

Klip Visch.

Piscis est planus & latus veluti Passer major, cute glabra & squamis nuda: Cauda lata: Dorso fusco maculis albis vario. Latera ad ventrem candidiora sunt & pulchre striata. Oculi & rostrum Bramæ æmula.

Stip Visch, Append. Tab. 9. n. 4.

Cute est maculosa, carne boni saporis. Hamis plerunque capitur in alto mari prope insulam S. Vincentii.
Referri potest ad Pisces dorso bipinni, pinna anteriore spinosa.

Viif Vinger Visch, i. e. *Piscis pentadactylos.* Append. Tab. 8. n. 2.

A quinque maculis nigris in utrovis latere, veluti notis totidem digitis impressis, denominatur. Vix pedem & dimidium longus est, capite pro reliqui corporis magnitudine parvo, rostro magno, pinnis ramosis ad caudam usque extensis. Color corporis reliqui pulcher & splendens, velut ex cœruleo & purpureo argentatis. Squamis caret. Sapore commmendabilis est, paululum tamen siccus. In aquis salsis degit & per totam Indiam capitur.

Pag. 3. l. 2. In Phocæna D. *Tyson* palpebras obſervavit, inque ſuperiore palpebra ductum Stenonianum clare detexit, ſetas etiam iis immiſit, quæ ad glandulam innominatam, unde ortum habuere, penetrabant. *Johnſtonus* è *Cardano* affirmat, Phocænas interdum lachrymare; ſi facultas lachrymandi & occaſio adſit, materia lachrymis non deeſt: Utcunque D. *Tyſon* liquorem hunc inſervire exiſtimat eluendæ ſubinde aquæ marinæ ſalſugini, ne ab eadem oculus erodatur, qui in calido hoc Animali fortaſſe tenerior eſt quam in aliis piſcibus, qui in hunc uſum tunicam propriam obtinent, quæ nihil aliud eſt quam cutis ipſius productio corneam operiens, ibique tranſlucida, ut in Aſello molli manifeſtum eſt.

P. 4. l. 2. In pleriſque piſcibus muſculos, pinnarum motrices, carne plerunque rubicunda conſtare obſervavi, cum reliqui corporis caro fere alba eſſet. D. *Tyſon*.

P. 6. De Cerebro Piſcium vide D. *Collins* Anatom. comparat.

P. 7. l. 3. Organum Auditus prout mihi in Phocæna apparuit deſcripſi in ejus Hiſtoria, P. 41, 42. verum, P. 42. l. 44. omiſſa ſunt à Typographo quæ ſequuntur. Poſt verba illa & ad *latus interius Tympano oppoſitum*, os habuit parvum ſurſum aſſurgens cujus tamen pars abrupta erat. Nullum hic neque incudem, neque ſtapedem, neque malleolum obſervare potuimus; verum ad Tympanum———

P. 11. l. 4. Inteſtinula illa aliquando exiſtimavi piſcibus propria fuiſſe, h. e. in iis ſolis hunc ſitum ventriculo proximum obtinere, verum poſtea eadem obſervavi in Inſecto quodam, quod in doliis ſacchari & Tabaci frequens ad nos defertur. Eſt è ſcarabæorum genere (*Blattam* vocant Hiſtoriæ Inſectorum Scriptores) noſtratium nonnullis a *Cock-roach* dictum; in cujus inteſtino paulo infra ventriculum tres vel quatuor ejuſmodi appendices occurrebant. D. *Tyſon*.

De Lingua Piſcium, ad Pag. 5. cap. 2. l. 1. illa quæ ſequuntur de Piſcibus in genere addita & annexa ſunt ab ipſo D. Rajo.

Lingua pleriſque piſcibus data eſt: Nonnulli, ut Cyprinus, ea carent. Hi tamen ejus vice palatum obtinent carnoſum, quod ab Apitiis delicatiſſima habetur offa, & lingua dicitur. Linguæ uſus in piſcibus quis ſit non ſatis liquet, nec enim voci flectendæ aut modulandæ inſervit, cum nullam edunt: At neque volutando in ore cibo, cum & lingua immobilis ſit, nec Piſces cibum in ore retineant maſticandi cauſa, cum pauciſſimi dentes molares & ad mandendum comparatos obtineant: Nec tandem idoneum guſtus organum videtur, cum in pleriſque piſcibus, *Cetaceis* exceptis, cartilaginea ſit, & minime carnea, ut cibi partes ſubtiliores cum ſaliva permiſtæ in ejus poros ſe inſinuare, & ſaporis ſenſum excitare nequeant: Quocirca Piſces quamprimum eſcam ceperunt, eam illico deglutiunt. Poteſt tamen fortaſſe lingua obſcuro guſtus ſenſu prædita eſſe, & cibo deglutiendo conducere. Linguam qui habent, alii hærentem plane & immobilem obtinent, ut *ſquamoſi*: Alii exertam & liberam, ut *Delphini*, Rondeletio teſte, quod tamen nobis mirum videtur, cum *Phocæna* bellua *Delphino* ſimillima oris pavimento per totam longitudinem adnexam habeat. *Cetacei* omnes Piſces ſeu Belluæ marinæ linguam carnoſam & ſpiſſam & Quadrupedum ſimilem obtinent. Nonnulli Piſces dentes in lingua habent.

Ad Libri primi caput ſextum.

Piſcibus in imo ventre ſeu abdomine eadem omnia quæ Quadrupedibus viſcera, *Hepar*, *Lien*, *Pancreas*, *Renes*.

De Hepate Piſcium.

Hepar pleriſque magnum pro corporis modo, aliis integrum, aliis in lobos diviſum, coloris etiam in variis piſcibus varii.

In Cartilagineis (viviparos intelligo, σελάχη Ariſtoteli dictos) longis omnibus, nobis ſaltem obſervatis, Lamiis, Galeis, Caniculis, Centrina, *&c.* in duos

duos dividitur lobos. E planorum [Cartilagineorum] genere alii, hoc respectu cum longis consentiunt ut *Pastinacæ* & *Torpedines*, alii in tres divisum lobos obtinent, ut *Raiæ* & *Squatina*.

Oviparis planis spinosis (quantum quidem hactenus observare licuit) jecur simplex est & indivisum.

In reliquis hoc respectu variat: Aliis enim simplex est & unicum, aliis bifidum, aliquibus etiam sed paucis ut *Asellis* nonnullis, *Scorpænæ*, &c. trifidum seu in tres lobos dissectum.

In Cartilagineis piscibus hepar pingue & adiposum est, ut in oleum facile liquari & resolvi possit.

In plerisque quos dissecuimus piscibus *cystin felleam* invenimus: Schwenckfeldius fel omnibus inesse ait, excepto *Delphino*; verum & *Phocæna* felle caret, & ut verisimile est reliqui omnes cetacei. In Centrina etiam nobis sedulo inquirentibus vesicula fellea nulla comparuit, ut neque in Milvo Salviani, neque in Ophidio Plinii *Aldrov*. At neque his defuisse fidenter asserere ausim, cum potuit intra hepatis substantiam occultatum delitescere & visum nostrum effugere. In nonnullis enim ut, *v.g.* Cartilagineis, hepati immersum latet; in aliis hepati adhæret: In paucis quibusdam ab hepate omnino sejungitur ut *Serpente* marino & *Muræna*, in quibus poro bilario appenditur, nec ullum cum hepate præterea commercium habet: Qua in re (ut id obiter moneam) Serpens marinus cum Vipera convenit.) In Ammodyte quoque vesicula fellea collo oblongo ad digiti distantiam ab hepate dependet. Vificula fellis.

Lien & *Pancreas* eundem proculdubio piscibus quem aliis animalibus usum præbent: Magnitudine autem, figura & situ in variis piscibus plurimum variant.

Appendices (inquit Schwenckfeldius) circa ventriculum exeunt ut in iis quasi lacunis cibum conditum macerent atque concoquant: Nos cibo concoquendo inservire opinamur, at quomodo id præstent nondum assequimur. Coctioni necessarios non esse constat, quoniam multi Pisces iis carent, ut Cartilageni, & ex spinosis, nobis observantibus, *Turdus*, *Merlucius*, *Mugil alatus* Rondel. *Alauda*, *Julis*, *Barbus*, *Phoxinus*, & forte etiam reliqui malacostomi fluviatiles, & proculdubio alii multi nobis non observati. Ex iis qui Appendices habent, nonnullis unica tantum & simplex conceditur, ut, *v. g.* Ammodyti, in quo Appendix illa seu cœcum videtur esse quasi intestinum sursum productum; eodem fere modo ac in quadrupedibus cæcum coli productio videtur; ita ut pylorus ei quasi ad latus inseratur: Aliis sed paucissimis binæ; aliis ternæ aut quaternæ quinæve grandiores ut *Auratæ* & congeneribus: Aliis plurimæ parvæ ut Asellis: Aliis innumeræ, ramosæ, & velut parenchymate quodam intertextæ, quorum quotquot nobis observare contigit enumerare non pigebit: Sunt autem. 1. *Sturio*. 2. *Thynnus* in quo appendicum trunci in infinitos ramos tenuissimis filis subtilitate pares, qui velut parenchymate quodam contexti sunt, dividuntur. 3. *Pelamis* Thynno congener, in quo Appendicum massam ingentem minutissimarum & in unum corpus coalescentium, ut primo aspectu hepar esse judices, observavimus. 4. *Gladius*, in quo juxta pylorum massa grandissima Appendicum innumerabilium, quæ quodam velut parenchymate contexta pulmonis quandam imaginem repræsentat: Nam ab ipso intestino duodeno ortæ tribus truncis peramplis in ramos dividuntur, & deinde in innumerabiles surculos capillares sparguntur, eodem fere modo quo aspera arteria & reliqua vasa in pulmonibus. 5. *Callichthys Bellon.* qui ad pylorum varios habet Appendicum truncos, qui in plures mox ramos divisi in minutissimos tandem surculos albos desinunt, quodam quasi parenchymate albo connexos & placentam uterinam referunt. 6. *Glaucus* secundus Rondel. in cujus descriptione invenio Appendices innumeras carnoso quodam corpore, ceu mesenterio contextas. Appendices seu Intestinula.

Præter hos autem à nobis observatos, proculdubio in rerum natura, alii multi sunt, quos aliis indagandos relinquimus.

Ad P. 11. pro ventriculis Piscium consul. D. *Grew* & D. *Collins* Anatom. comparat.

De natura Piscium è Schwenckfeld.

Piscis minus nutriunt quam pedestria animalia, sanguinem enim gignunt tenuiorem, unde non affluenter nutriunt, & celerius discutitur.

*Et tamen ob saporem apud Apitios & gulones & olim & etiam nunc dierum maximo in pretio & honore sunt, palmamque tum Quadrupedibus tum Avibus præripiunt, unde Asinius Celer, referente * Plinio è consularibus Claudio principe mullum unum mercatus est octo millibus nummum.*

* Lib. 9. cap. 17.

Omnes natura sunt frigidi & humidi, etsi alii quam alii plus & minus; pro ratione scil. natura & consuetudine elementi ex quo ortum habent & victum quærunt, & ob eorum frigiditatem & viscositatem difficilius concoquuntur. Sanguinem quoque frigidum generant & phlegmaticum, unde multi iidemque graves oriuntur morbi: Nervos enim molliunt & ad paralysim præparant. Stomacho frigidiori & humidiori nocent; ut contra, bilioso & calidiori valde conducunt.

Ego ut Pisces aqueum & frigidum succum generare facile assentior, ita difficulter concoqui minime concedo: Ipse enim sentio, & alii plerique, quos consului, se sentire fatentur post esum Piscium citius esurire & cibos appetere quam post esum carnium, quod argumento est, Pisces non tantum cituis descendere quum carnes sed etiam probe concoqui, indicio.

Caro præstantissima boni succi & gustu suavis, iis qui in mari sincero victitant, qui inter saxa & scopulos degunt, πετραῖοι saxatiles inde dicti, alimento non vario utuntur, nec loca mutant, nec fluviatilibus aquis gaudent. Hi carnem obtinent mollissimum, friabilem, concoctu facilem, probi succi; sanguinem gignunt medium, humectant modice, corpus recte & alunt & augent, neque excrementosi sunt, neque flatus gignunt: otiosis, imbecillibus, ægrotis salutares.

Pessimam habent carnem, mucosam, excrementitiam, & mali succi qui in aquis stagnantibus, limosis & sordidis degunt.

Pisces cum impleri incipiunt à coitu boni omnes sunt, sed procedente tempore alii præstant, alii non.

Ego Pisces oviparos spinosos non omnino coire crediderim, sed ovis à fæmina editis marem supervenientem lac suum seu sperma aspergere quo fæcundantur. Pisces autem ovis & spermate prægnantes bonitate præstare & pinguiores sapidioresque esse post partum vacuis ovisque & semine exhaustis experientia testatur.

Pisciculi recens nati facile in ventriculo corrumpuntur.

Partes caudæ proximæ sunt suaves & meliuscule nutriunt, ut quæ sui motione exercitentur magis. Quæ ad ventrem pertinent pinguedinis plus habent, ac proinde Stomacho innatant & per alvum facilius redduntur: Dorsum, carnem duriorem. Caput minus præbet alimenti, & quod non facile digeritur.

Piscium præparatio è Schwenckfeld.

Pisces vel conservantur vel præparantur.

Conservantur muria conditi seu salsamento macerati, ut Haleces, Lucii, Anguillæ, Salmones, aliique.

Exiccati & durati, Aere frigidissimo, Passeres, Aselli: Fumo omnis generis, Salmones, Truttæ, Cyprini, Lucio-percæ, Bramæ.

Hi omnes concoctu difficiles & insuaves. *Ego Harengos aliosque Pisces fumo induratos in cibis probo, modo parce sumantur & salubres existimo, ob salem volatilem quem continent à fumo acceptum.*

Nonnunquam assi seu elixi aromatibus respersi aceto immerguntur, ut Lampetræ, Sturiones.

Præparationis duo potissimum sunt genera: Unum correctionis, cum Piscium vitium corrigitur, veluti cum saliuntur, ut crassus humor salis vi extenuetur, & generando sanguini accommodatior fiat: vel cum decoquuntur Apio, Cepis, Porro, Cerefolio & aliis additis ad crassi humoris attenuationem, qua præparatione meliores redduntur omnes Pisces qui crassum glutinosumque succum gignunt.

Alterum, quo sæpius utimur, voluptatis potius quam valetudinis rationem habentes, cum condimentis ea permiscemus quæ ad gulam irritandam titillandumque palatum faciunt.

Cocorum enim opera ita varie miscentur ac temperantur ex aromatis, herbis obsoniisque omnis generis, ut genuinum saporem odoremque nullo modo retineant. Nam quæ salsa nitrosa sunt frequenti dulcis aquæ inter coquendum mutatione, Mellis vel Sacchari permistione fiunt dulcissima.

Contra iis quæ insipida sunt tantam Salis copiam inspergunt, ut sapidissima reddantur. Quæ acrimonia nulla linguam pungunt, palatumque irritant Cepa, Porro, aromatibus, omphacio, vino, aceto ita condiunt, ut acria acidave sint.

Pisces aqua & sale elixi, Ιχθύες ἑφθοὶ, purgati & frustatim incisi aquæ ferventi cui sal injectus immittuntur, & usque ad humoris consumptionem in lebete cupreo coquuntur, tandem cum aceto vel Rhaphano rustico aut aliis condimentis mensis inferuntur. Ventriculo humidiori conducunt.

Pisces assi, Ἀνθρακίδες Ιχθύες ὀπτοὶ, vel simpliciter, vel infarcti, sale respersi craticula assantur & butyro illinuntur. Nutriunt magis, nec tamen facile permeant.

Pisces frixi, ἰχθύδια τηγανιστὰ, in lebete cum butyro friguntur. Gustu suaves, sed stomacho minus grati, facileque concoquuntur, minus nutriunt & ventriculo innatant.

Pisces jurulenti minus nutriunt & citius permeant.

E. gr. Lucii variis modis apparantur à Coquis. Vel enim integri torrentur supra carbones ignitos, butyro illiti. Vel infarciuntur mixtura è pane candido, ovis, carne propria, Saccharo, Petroselino, Majorana, Rosmarino, butyro; additis Pipere, Zingib. Macis, Caryophyllis, sale, & deinde assantur, ac mensis inferuntur simpliciter, aut liquamine aromatico perfusi. Vel diviso ventre secundum longitudinen, in craticula, suppositis carbonibus ignitis, torrentur, & brodio ex aceto, butyro & multo pipere ac Zingibere perfunduntur.

Elixantur pluribus modis.

I. Ex aqua cum sale elixantur, qui si prius aceto vini calidiusculo imbuti fuerint, pulcherrimum colorem acquirunt. Cum Aceto vini offeruntur.

II. Elixantur & cum jure albo ex aqua, butyro & radicibus Petroselini præparantur. Alii addunt tantillum aceti cum mica panis candidi pro sapore. Hæc præparatio ægris accommoda.

III. Ex vino coquuntur additis Limonibus, mica panis candidi, aromatibus, Zingib. Cinnam. Pipere, Croco, Saccharo condiuntur.

IV. Alii liquamini ex Cepis copiosis, multo pipere, Croco, Zingib. immergunt & mensis inferunt, more Polonorum.

De Arte piſcatoria varii tractatûs extant tam Anglice quam Latine, ad quos Lectorem remittimus, ne cramben toties coctam repetamus.

De Piſce *Monocerote*, ſeu Unicornu.

Ad pag. 43. de Piſce *Monocerote*, ſeu *Unicornu Marino* hæc habet *Tulpius*, Obſ. Med. c. 59. Erat hic Piſcis (cujus cadaver anno 1648. 10. Nonas Junias inventum fuit in mari aquilonari prope Inſulam *Majam*, & cujus figura extat loco citatæ hiſtoriæ noſtræ, p. 43.) admodum obeſus, longus pedes 22, latus 12, capite cyprino, ſive Carpioni ſimili. Os latitabat infra cornu, quod protuberabat ex oſſibus maxillæ ſuperioribus, inter ſe dehiſcentibus, ibidem propemodum loci, ubi Priſtis dentatam emittit ſerram; non quidem exacte in maxillæ medio, ſed loco aliquatenus dextrorſum vergente, licet lævorſum in neutro, quod conſpexi, cranio ullum alterius cornu occurrerit veſtigium. Corium autem erat fuſcum, & ſub illo plurimum lardi, è quo copioſum quidem igne mercatores elicuere Oleum, attamen præ odoris fæditate parum ipſis lucroſum: Spina dorſi ut ex validis conſtabat vertebris, ſic deſinebat in caudam bifidam, adhærente utrique lateri pinna ſatis valida. Cornu vero erat rectum, durum, & album, ſtriiſque profundis, à latiore baſi uſque ad acutum mucronem, tam æquabiliter ornatum, ut juraſſes te videre nitidum ac niveum ebur, exquiſitiſſima arte expolitum; longitudinis erat 9 pedum, ſeptem cum dimidio extra cranium protuberantibus, ſeſquipede vero eidem etiamnum inſidente, cujus exemptæ ſuperficies etiam reliquo corpore fuit aſperior, minuſque ſplendida.

Hic Piſcis glaciei cruſtis majoribus implicatus, magno impetu hoc dente ſe expedit, unde frangi & mutilari hoc os haud raro contingit, & in magna copia reperiri in *Iſlandiæ*, *Gronlandiæ*, freti *Davis*, aliarumque ſeptentrionalium partium littoribus.

Figura Unicornu Marini à *Thorlac Scaloniæ Holæ* in *Iſlandia* Epiſcopo, in *Daniam* tranſmiſſa Legato Gallico Le *Tuilerie*, & *Lutetiæ Pariſiorum* poſtmodum typis in publicum edita, ad amuſſim convenit cum Tabula *Tulpii*, præterquam quod huic præ flacciditate in ſe concidenti defuerint in cervice duo illa foramina, per quæ cum cæteris balænis monſtrum hoc aquam emiſerat.

Piſcem Monocerotem, quem *Wormius* deſcribit in Muſ. p. 285, 286. erat 12 Ulnas longus, pinnas caudamque habens, quales habere ſolent Cete. Cutis plana, glabra & ſine ſquamis, colore pallido; in medio dorſi bina prominebant tubera carnea; ſub pelle habuit multum lardum, in occipitio reſpiramen, binos in fronte oculos bubulis paulo minores. Caput, ſi ad corpus compararetur, admodum tenue videbatur. Nares nullæ conſpicuæ; ſiniſtra promuſcidis parte dens ille ſe exerebat ad longitudinem 3 ulnarum cum quadrante, cui extremus apex ablatus; cæteroquin aliis dentibus caruit: Lingua exporrecta erat; mandibula ſuperior inferiori prominentior. Corii fruſtulum à Cranio detractum nigricabat, nec admodum craſſum, fibroſum tamen. Cranii, & Cornu ſeu potius dentis prolixas deſcriptiones vide apud *Wormium*, p. 282. uſque ad p. 286.

Menſe Auguſto An. 1669. Piſcis monoceros captus fuit a Piſcatoribus Hamburgenſibus; cujus deſcriptionem & Hiſtoriam vide apud *Paulum Lud. Sachſium* M. D. qui integrum librum de illo conſcripſit.

An. 1644. Unicornu Marinum rejectum erat in littora Inſulæ *Teſtudinis* (*Tartuga*) dictæ juxta *Hiſpaniolam*, ſupraſcriptis valde diſſimile figura capitis, ſitu cornu, ſquamis, & pinnis. Caput ſimul cum cornu ſuſpenſum fuit in Caſtello inſulæ; tandem D. *Vaſſeur* gubernator loci illud dono dedit D. *Francart*; Hujus rei teſtis Ocularis fuit D. *Montel*. Vide figuram, deſcriptionem & Hiſtoriam apud gallicum ſcriptorem *D' Hiſtoire Naturel des Iſles Antilles*.

De ſupradictis vix eſt dubitandi locus, ne maxime incredulis; licet fatendum eſt multas fabulas de hujuſmodi Piſcibus volitare per ſcripta & ora virum; magna illa varietas cornuum, ſeu ejuſmodi dentium in Muſæis, & Gazis Mercatorum reperta, videtur arguere varietatem ſpecierum hujus Piſcis.

scis. Consulantur figuræ nostræ, *Olaus Wormius* & *T. Bartholinus* de *Unicornu.*

De vi alexipharmaca hujus ossis contra venena & morbos Pestilentiales inter se digladiantur scriptores; qui incertis controversiis & fraudulentis speculationibus delectantur, adeant ipsos Autores, *Bartholinum, Wormium, Tulpium, Sachsium,* &c. quantum ego conjectura (licet fallar sæpissime) assequi possum, tota ejus vis dependet à sale suo volatili, reliquis ossibus etiam communi.

Hæc omnia de Pisce *Monocerote* seu *Unicornu Marino* habui à D. *Tancredo Robinson.*

Embryonis Galei lævis Anatome. D. Edwardi Tyson. *Ad Cap.* iv. *Lib.* 3.

Piscis hic adeo singularis est & observatu dignus, ejusque partes, internæ præsertim, adeo curiose excogitatæ & affabre extructæ, ut oculatæ manus, docti cultelli, acuta ingenia maximi illius sui seculi Anatomici *Hieronymi Fabricii ab Aquapendente*, & post eum Celeberrimi D. *Georgii Entii* in iis rimandis & examinandis non immerito fuerint occupata: Ut omittam pauca illa, aut certe parum apposita & fere supervacua quæ *Severinus* scripsit, & forte etiam alii. Verum adeo difficile est ex una aliqua aut paucis observationibus totum Naturæ in admiranda hujus Animalis fabrica artificium & mechanismum investigare ejusque accuratam rationem reddere, ut mirum non debeat videri, si novus quispiam è media medicorum caterva, tantis viris succedens, eorumque subsidiis adjutus, jam observatis & inventis, quod facile censeri solet, aliquid adjiciat.

Quæ inpræsentiarum in medium adferemus sunt adnotamenta nonnulla seu παρατηρήσεις in Piscem hujus generis in Repositorio Societatis Regiæ à me dissectum factæ. Hæ autem, quoniam Piscis fœmina fuit, ejusmodi potissimum erunt quæ Embryonem & uterum respiciunt; quibus tamen nonnulla de vetula seu matre præmittenda duximus.

Erat ea à summo rostro ad extremam caudam mensura sumpta 5 pedes longa, ambitu qua crassissima duorum pedum; quas dimensiones mensuris D. *Georgii Entii* respondere video; cumque ille externas Piscis partes accurate descripserit, iis ego non immorabor: Duntaxat adnotabo, me quoque una observasse, oculum membrana nictitante insigni instructum esse: Quodque cutis, manu sursum à cauda caput versus ducta, admodum aspera sentiretur, deorsum vero si demulceretur, lævis; unde & lævis epitheton nomini additum.

Aperto abdomine, *Hepar* ex duobus prælongis lobis ad anum fere extensis componi animadverto, dextero 24 uncias longo, $3\frac{1}{2}$ lato, sinistro 18 in longitudinem porrecto, latitudine quincunciali. Ad supremam hepatis partem lobos interjacet vesicula fellea, prout ab Aquapendente *Tab.*22. *Fig.*71. repræsentatur, inque icone nostra * *Tab.* 6. *Fig.* 22. quæ cum ab hepate aliquantulum occultetur, inde fortasse nata assertio illa erronea in * Mantissa Anatomica, *Vesiculam felleam nullam adesse.* Ductus bilarius amplus illic loci ab hepate exiens, Intestini recti seu coli (ut ab *Aquapendente* appellatur) principio inseritur, quamvis ille cui intestino inseratur non dicat. D. *Entius* eum in *bursam* vas dictum ingredi & descriptione sua affirmat, & icone demonstrat; minus recte, quatuor enim digitos infra bursam progreditur antequam in intestinum se exoneret: Prope bursam tamen membranas penetrare incipit, interque eas proreptans, 4 inferius digitis terminatur, & in intestinum aperitur.

Hepar. Cystis fellea. * D. Collins. Anatom. comparat. * D. Charleton. exercit. de Different. & Nominibus Animal.

Ventriculus, inter hepatis lobos situs, $13\frac{1}{2}$ uncias longus erat, non ea prorsus figura qua in Mantissa Anatomica exhibetur, neque eodem vasorum eum decussantium progressu, sed obliquus sursum, versus ejus fundum, prout in conum sensim tenuatur, excurrentium: Et exinde ortum habuit Intestinum

Ventriculus.

primum, quod D. *Entius* duodenum appellat, *Fabricius ab Aquapendente* jejunum. Erat id tenue, & secundum totam ejus longitudinem decurrebat.

Lien. Lienis pars figura in Mantissa exhibita, quæ & illud [Intestinum] quodammodo circumambiebat sinu ad id excipiendum excavato, fasciculos aliquot vasorum sanguiferorum eidem obiter impertiens.

Pancreas. Pancreatis figura qualis in Mantissa extat. Verum ut porum bilarium ita & ductum Pancreaticum infra bursam se in intestinum exonerare verisimile est; quanquam inter dissecandum illud explorare per oblivionem omiserim.

Bursa. Bursa cujus jamjam aliquoties meminimus, ut à D. *Entio* primum observata est, ita ab eodem nomen ei inditum. Apud Fabricium ab Aquapend. nulla ejus, quod sciam, mentio: Intestinum primum seu duodenum à secundo seu Colo dividit, valvulis utraque respicientibus instructa. Aqua ventriculo à me infusa in duodenum prompte delabebatur; exinde vero parce admodum & difficulter in colon penetrabat; quod contigit ob interpositas bursæ valvulas aditum obstruentes. Quin & colo inflato Spiritum

Ejus usus. non multum transita Bursa in duodenum evadere experti sumus. D. *Entius* folliculum hunc Felli & succo Pancreatico excipiendo inservire statuit. Verum natura potius eum destinasse videtur, parti reliquæ vitellorum ovorum, unde embrya exclusa sunt, recipiendæ, ut in figura nostro clare apparet.

Colon. Intestinum quod infra bursam ad anum excurrit ab Aquapendente *colon* dictum, præcedente multo amplius & capacius erat.

Renes. Renes ad Diaphragma fere ascendebant, sursum versus sensim angustiores redditi, versus anum largiores, contra quam in aliis piscibus fieri observavimus. Erant autem substantia friabili, & facili negotio in glandulas exiguas

Ureter. frustulatim rumpebantur: Ureterem autem conspicuum ad anum promittebant.

Cor. Cor (ut observat D. G. *Entius*) bursæ pastoriæ seu marsupii figuram æmulabatur. In vena cava auriculam intrante ad digiti circiter transversi ab eadem distantiam duo extabant protuberantia & pœne cartilaginea corpora: In

Auricula cordis. ipsa auricula textum reticulare muscularium fibrarum; & in corde valvulæ

Aorta valvulæ. usitatæ. Verum in aorta è corde exeunte duos valvularum ordines observavi. In Sturionis aorta 4 valvularum ordines pridem adnotavi, tres sibi invicem proxime admotos, quartum plus digito à reliquis distantem; quæ sunt differentiæ hujus partis ex omnibus quæ mihi hactenus innotuerunt præcipue memorabiles: De quibus postea fortasse plenius agemus, ut & de visceribus admirandi hujusce Piscis.

Ad anum binæ apponuntur pinnæ, quæ diductæ seu divisæ detegunt & clarius spectandos exhibent ductus seu aditus in intestina, uterum utrumque & ureterem tendentes, quorum ultimus inter duos uteros prope spinam dorsi situs est. Erant insuper extra rimam uteri duo adhuc alia foramina, quæ in abdominis cavum aperiebantur, quorum usus in embryo ostendemus.

Uterus. In hoc Pisce duo potius uteri distincti fuere, quam unus in Cornua divisus, qui per totam abdominis longitudinem ad Diaphragma usque extendebantur, juxta anum in unum communem, eum tamen brevissimum meatum hiantes. Erant autem uteri 4 aut 5 uncias lati, ad utramque extremitatem sensim angustati: Verum ad eam quæ diaphragma respicit, pollice non multo crassiorem factam, paulo superius insignem intus valvam obtinuit, quæ labiis versus uterum hiantibus ostendebat usum sui esse impedire ne quid ab utero illac transiret. Erat ea corpus albicans, robustum, bifores efformans valvulas: Exterius facile visibilis, nodi specie. Trans valvulam continuabatur ductus, quem ego pro tubo seu oviductu Fallopiano habeo, (Aquapendente meatum ovarii appellat) quique ovis in uterum devehendis inservit.

Ovarium. Ovarium cornua uteri interjacet, spinæ dorsi membrana adnexum. Prope summam ejus partem ova numerosa observavi, variæ magnitudinis, à capitelli

capitelli aciculæ ad Cerasi molem, colore albida, figura sphæroide, curioso vasculorum plexu textum retiforme dimidium fere ovum obducens efficiente ovario alligata.

Residua paris ovarii, ovis vacua, inflammata & sanguinea visa est, forte ab ova per vim abrupta.

Piscis hic, observante Fabricio, partim viviparus est, partim oviparus, revera oviparus simul & viviparus, quorum altero Quadrupeda, altero Volatilia imitatur. In sinistro enim utero * 6 fœtus grandes inveni, pedem longos, & præterea duo ova perampla, embryonibus fœta, altero vix digitum longo, altero trium circiter digitorum. In utero dextro fœtus adeo parvus inerat, ut ejus partes agre potuere discerni. Adeo ut quamvis Piscis hic multiparus sit, non tamen existimem eum omes suos fœtus una eniti, cum alii perfecte formati & partui idonei, alii informes adhuc necdum maturi una in utero continerentur.

* Tab. 22. Anatom. comparat. D. Collins unum ex his repræsentat.

Numerus embryonum in utroque utero par erat, hoc est totidem dextro inerant quot sinistro.

Ova prædicta embryis prægnantia perampla erant, siquidem in plano jacentia commensurata *6.* digitos longitudinis obtinere deprehendebantur, $3\frac{1}{2}$ latitudinis. In ovis istis singulis, singulæ membranæ pellucidæ, eadem horizontaliter cingentes conspiciebantur, quas ante exclusionem exuunt. Observavimus enim ex iis aliquammultas ab ovis separatas seorsim in utero jacentes.

In ovis duo distincti continebantur liquores; alter tenuis admodum & fluidus, qui disrupta tunica exteriore illico effluere incipit, albumini in pennatis respondens: Alter membrana sibi propria inclusus coloris lutei, qui ad umbilicum confluebat, & erat vitellus.

In ovis hisce embryo liquori pellucido innatabat, in membranis seu amniis distinctis contento, quemadmodum *Avium* pulli antequam excluduntur, vitello extra abdomen dependente, qui cum partui proximi sunt per umbilicum in ejus cavitatem recipitur. Cum autem in his vitellus amplior sit quam in Gallinæ ovo, oportet ut umbilici foramen ei commensuretur: Quod & apertum manere observavi aliquandiu postquam vitellus in abdomen receptus est. Quocirca Piscis succo suo nutritio innatante, fieri nequit quin bona pars alimenti eadem intret namque in omnibus quos dissecui hujus generis fætibus abdomen liquore illo repletum perpetuo inveni. Post partum vero, cum umbilicus occluditur, ne liquor isthic Pisci officeret, natura duo ampla, superius memorata, foramina aperuit, per quæ commode possit evacuari. Ad impediendum autem ne aqua marina eadem in ventrem influeret, ad horum foraminum ostia seu aperturas externas, è membranis orificia ambientibus productis & conniventibus quædam quasi valvulæ efformantur, ad meatus illos obturandos. Si foramina isthæc satis paterent posset fortasse color aliquis & probabilitatis species inde induci Historiæ illi quæ vulgo fertur, nimirum fœtus recens editos matres comitari, cumque sibi timent ab aliqua re, vel in ventriculum, vel ut alii volunt in uterum matrum se recipere, iterumque excusso metu exire.

Hoc equidem quamvis merito incredibile videri possit ob conditionem loci in quem recipiuntur, ventriculum intelligo, qui omnia ei inclusa statim tabefacit & dissolvit, quacunque tandem qualitate id efficiat: Quoniam tamen idoneis testibus confirmatur, fidem ei denegare non possum.

Interiorem uteri partem obvestit membrana vasis sanguiferis repleta, quæ cui usi inserviat incertum est. An placentæ uterinæ loco sit? Eam enim pro fœtuum numero in totidem veluti cellulas se dividere observavi, vel certe portionem aliquam emittere, quæ inter singulos fœtus pro currebat. Aquapendente Piscem hunc carneam aliquam molem obtinere expresse negat.

Diffectis aliquot embryonibus aquam in Abdomine (ut fuperius dixi) obfervavi; hepar albefcere, multoque brevius effe quam in adulto Pifce; in illo enim lobi ad anum fere extendebantur, in hoc ne ad dimidium hujus fpatium: Veficam felleam adeffe; ventriculum liquore pellucido repleri; quod argumento eft eos humore Amnii, cui innatant, ore haufto ali. In embryone majore vitellus intra cavum abdominis receptus eft, in minore foras ex umbilico dependebat: In utroque ductum inteftinalem obfervavi, qui à vitello ad burfam porrigebatur: Ut in figura clare repræfentatur. Colon feu inteftinum à burfa ad anum fæcibus fubluteis replebatur.

Ad pag. 179. *Generi Thynnino addendi funt tres Pifces à* Pifone *defcripti, viz.* Alba Coretta, Coorza, Guarapucu *Belgis* Konings-vis, *quorum figuras vide inter noftras Generis Thynnini.*

Inter gregales Pifces (inquit *Pifo*) altum mare incolentes, non magnitudine folum, fed & carnis bonitate celebres funt illi, quorum aliqui a pube nautica & pifcatoribus *Coorza*, aliqui *Coretti* dicti, qui omnes ejufdem quidem generis funt, fed diverfæ fpeciei ob magnitudinis & molis differentiam: Hi enim Afelli Noftratium circa funt magnitudinis, optimi infuper palati & boni nutrimenti. Cæruleis fquamis in dorfo, argenteis vero in ventre, ac proinde Albi *Coretti* vulgo nomen audiunt.

At vero altera fpecies (*Coorza*) præcedenti (*Corettæ albæ*) fimillima eft, fi figuram & naturam examines, verum magnitudine multum ab eo differens; quippe 16 vel 18 palmarum eft longitudinis. Pelamydum, Amiarumque familiæ afcribenda, fi Ichthyographos confulas, adeoque cum iis participat, ut quantum ab aliquo eorum una corporis parte recedat, tantum alteri fua fimilitudine appropinquet, quafi perpetuus appareret naturæ lufus inter novi & veteris orbis animalia. Corporis enim capitifque ac caudæ figura ad parvos Thynnos, fi ftrias nigricantes cæteraque externa confideres, ad *Amias*, *Pelamydafque* potius referri debent: Squamis teguntur ex nigricante cœruleis magnis (quæ in coctione dehifcunt) fed ita ad amuffim compactis, ut læves effe videantur. Sunt roftro acuto, ventre craffo, cauda tenui, in figuram Lunæ in cornua curvatæ definente; dorfo cœruleo fplendente, ventre argenteo. Pinnas habent duas branchiales & duas dorfales, totidemque in ventre, atque unam verfus podicem forcipatam. Ventriculus, ficut in plerifque voracibus & rapacibus folet, magnus cum infinitis appendicibus: Inteftina tenuiora: Lien magnus: Hepar ex albo rubefcens. Vefica fellis hepati non folum fed toto inteftino annexa. Pifcatores teftantur hos quoque *Thynnorum* more certis temporibus œftro infeftari adeo dolorofo, ut è mari exiliant aliquando in naves. Caro eorum eft multa, non fpinofa, fuavis ad flavedinem vergens, ficcioris & durioris fed multi nutrimenti, ac proinde à pube nautica multum expetita. Si condiatur & obfoniis Aromaticis inftar Carpionis apponatur antequam adoleverit, à delicatioribus minime contemnitur.

Guarapucu, Lufitanis *Cavalo*, Belgis *Konings-vis*, corpore eft, ubi adoleverit, feptem pedes longo; non fquamis, fed cute lævi argentei & cœrulei coloris operta, intercurrente linea a capite ad caudam ex tenuiffimis fquamulis contorta. Pifcis potiffimum marinus, quod ibi pariat, licet in oftiis fluviorum dulcibus aquis fubinde videatur delectari. Si ad Pifces Europæos referatur, minus cum figura & natura *Schombri* quam *Pelamydis* & *Thynni* convenit, quamvis corporis proceritate & elegantia, atque carnis quoque dignitate utrofque fuperet. Nofter hic Guarapucu, ut Thynnus, eft quoque gregalis, pifcivorus, velox; menfibus pluviis coiens & pinguefcens. Proinde tum omnibus paffim incolis tam recens quam falitus & in penu reconditus, magno eft oblectamento. Carne enim quamvis fit ficciori, falubri tamen & grata, fi juvenis fit.

Horum mentio fit in *Johan. NNieuhoffi* Hiftoria Pifcium Indiæ Orientalis.

Brama

Bramma Marina cauda forcipata. Ad Cap. de *Sargis.*

Piscis est planus, Rutili fluviatilis in modum, prætenuis, carne compacta & solida, totus squamosus: 26 uncias longus, 10 latus, ad caudam valde gracilis, quam habet forcipatam, in duas Pinnas 5 digitos longas diductam. Color ei in dorso niger; latera paulatim lucidiora versus ventrem, qui argenteo splendet. Inferior mandibula duobus dentium ordinibus instructa est, quorum interiores majores; superior simplici tantum serie minimorum denticulorum munitur. Oculi grandes colore & figura Quadrupedum persimiles. Branchiarum opercula perampla, Salmonum æmula; quibus subnexa utrinque Pinna 6 ½ uncias longa: In ventre utrinque Pinnam habet parvam 1 ½ unciam longam; aliam in medio dorso per totam longitudinem continuam, eique oppositam in ima ventris carina ab ano ad caudam propemodum extensam.

In palude Middelburgensi prope Tesæ fluminis ostium æstu maris delatus, undis recedentibus destitutus repertus est, *Septemb.* 18. 1681. Descripsit D. *Jo. Johnson.*

Liparis nostras, Dunelmensibus & Eboracensibus, The Sea Snail, *i. e, Limax marinus dictus, Piscis Rondeletiana Lipari forte idem. Vid. Tab. H. 6. N.* 1. *& Cap.* 24. *l.* 4.

Quinque digitos longus est, colore cum recens capitur in dorso, lateribus & Pinnis Bætico obscuriore (Brunneum vocant) in ventre albo; cum inquam recens capitur, nam post 10 aut 12 horas totus Piscis Pinnis exceptis in Bæticum dilutiorem seu lucidiorem mutatur. Caput crassum, rotundum, non planum seu depressum ut in Gobio capitato. Os edentulum, maxilla tamen seu interior pars oris tam supra quam subtus nonnihil aspera. Branchiarum aperturæ parva sunt foramina, vix Pisum admittentia; ad superiorem Pinnarum adjacentium partem valvula seu operculum utrinque exoritur, quod quando opus est clauditur & aperitur. Ab occipitio ad imum guttur extenditur basis Pinnæ quæ propemodum concurrit cum opposita in altero latere. Sunt autem Pinnæ hæ unciam unam longæ, plus unciam latæ. Sub imo gutture macula rotunda cernitur sigilli impressi vestigium exacte referens. Colore albo coerulescente, 12 aliis fuscis maculis in orbem cincta; infra quam ad dimidii digiti distantiam orificium excrementorum, & pone illud tantundem inferias incipit Pinna ad caudam usque procurrens cumque eadem continua, quemadmodum & dorsi Pinna à scapulis aut scapularum loco initium sumens, ut posterior pars Piscis Anguilliformis sit.

Totus Piscis tam caput, quam corpus, admodum mollis est, & unctuosus, in liquorem oleosum facile resolubilis, unde Limacis nomen meruit. Capitur non in ipso mari, sed in fluminum ostiis ad 4 vel 5 milliarium à mari distantiam, verum in aquis Salsis. Magnitudinem iconis adpositæ raro excedunt, quæ Pisci ipsi secundum omnes dimensiones undique exacte respondet. Captum *Sept.* 15. 1685. descripsit D. *Jo. Johnson.* An squamosus sit necne, non dicit.

Ad *lib.* 3. *cap.* 14. prope finem post verba illa *nihil temere pronunciamus* adde D. *Dent* Cantabrigiensis foramina hæc prope anum in Raiis aliisque cartilagineis, tam maribus quam fæminis observata, aquæ intra abdominis cavum admittendæ inservire existimat. Quem vero usum aqua illa Pisci præstaret, non ita facile est divinare. An ut corporis pondere aucto Piscis majori impetu prædam, præsertim deorsum & versus ima maris, insequi possit?

Ad idem caput adde, De ovis Raiarum observavit idem D. *Dent*, ea duplici quidem liquore, albumine & vitello constare: Verum vitellum non fixum & stabilem in medio albuminis utraque extremitate chalazis adnexum hærere,

ſed in eodem libere huc illuc fluitare ; & ſitu ovi mutato albumen facile permeare, & utrumvis extremum pondere ſuo deſcendere.

Deinde albumen à coctione in hoc genus ovis non indurari, neque albeſcere, quemadmodum in Gallinaceis ; nonnihil duntaxat craſſeſcere, verum diaphanum adhuc permanere.

Ad finem *cap.* 2. *lib.* 4. adde. In *Caſp. Schwenckfeldii* libro de *Piſcibus Sileſiæ*, piſciculum hunc breviter deſcriptum invenio ſub titulo *Lampretæ minimæ cœnoſæ*. *Schwenckfeld.* autem pro Lampetra minima 2. *Geſn.* eum habet, quamvis in ejus apud Geſnerum deſcriptione nulla fiat cæcitatis mentio. Ad ſpeciem Tertiam, ſeu Lampetræ medium genus adde, hanc ſpeciem eſſe exiſtimo quam D. *Rob. Plott* in *Hiſt. Nat. Comitatus Oxon.* deſcribit ſub nomine *Pride* fluvii *Iſidis*, quamque *Schwenckfeldius Lampretam* mediam vocat. Fumo indurati, inquit, hoc genus Piſces vulgo nomine *Brucken*, aſſi vero aromatibus reſpeſi, aceto conditi, nomine *Morenen* ad nos feruntur è *Belgio & Boruſſia*.

Iidem, ut puto, ſunt, qui in *Merſeiæ* fluvio *Lancaſtriam* à *Ceſtria* dirimente magno numero capiuntur, & integri in ſartagine frixi, butyro conditi, in deliciis habentur.

Ad Cuculorum ſpecies, *lib.* 4. *cap.* de *Milvo Salvian. Bellon. Aldrovand. Hirundine Rondelet. Anglice*, The Flying Fiſh. Adjiciendæ ſunt duæ ſpecies *Pirabebe Piſo* & *Marggrav.* An utraque diſtincta ſit à *Milvo Salviani*, multum dubito.

Pirabebe (inquit *Piſo*) eſt Piſcis Volans, ſive Hirundo Piſcis, non *Braſiliæ* proprius, ſed ut ex variis Autoribus liquet, omnibus innotuit inter Tropicos navigantibus : Figuræ, & alarum magnitudine, carnis dignitate, coloriſque varietate inter ſe diſcrepant ; plurimi autem Haleci ſimiles exiſtunt, quibuſdam ad utramque alam in initio ejuſdem parva quaſi ala exiſtit. Conſtant eorum alæ tenui membrana ſubfuſci coloris, habentque plicas, & ſuſtentantur ſpinis tenuibus per longitudinem extenſis, ſicut ex priori icone *Piſonis* videre licet, *p.* 61. quæ capite & corpore craſſiori depingitur. Hic Piſcis fortaſſe idem ſit cum *Milvo Mediterraneo Salvian.* quem juxta Inſulam *Maltam* vidit & deſcripſit D. *Raius*. Attende Deſcriptiones *Marggravii* & D. *Raii. Cap.* de *Milvo Salvian.*

Altera ſpecies *Pirabebe* colore, figura corporis, & alarum imprimis, multum diſcrepat. Vide figuram ſecundam *Piſonis*, p. 61. Alæ enim ejus duplo ſunt longiores & multo anguſtiores ſine plicis. Tanta denique inter Piſces volantes diſcrepantia à capite ad caudam, ut nihil fere inter ſe commune habeant quam quod alati & edules ſint. Piſcatores promiſcue vivos hamis affigunt, profundoque mari immittunt, atque ingenti fænore illos redimunt, dum eorum perſecutores ipſi decipiuntur & capiuntur. Merito Hirundinis nomen illis attributum ob volatum, quia demiſſe, earum more, volitant, atque inſtar illarum avium quæ è flumine aquam hauſturæ, vel è terra feſtucas collecturæ. Millenos videre eſt ex Oceano ſubito ſe levantes ; qui dum fuga ſibi conſulunt, ut rapaces Piſces imprimis *Delphinos* (præſertim illos *Guaracapema* & *Dorado* dictos) evadant, ſubinde à circumvolantibus avibus in ipſo aere capiuntur, Charybdimque evitantes in Scyllam incidunt ; mox iterum ad humectandas alas (quæ brevi temporis ſpatio exſiccantur) leviter aquæ ſuperficiei ſe immittunt ; unde fit aliquando, ut in naves præcipitentur, grataque præda fiant pubi nauticæ, quæ coctos pro grato alimento Halecum loco opponunt.

Piſces

Piſces Sequentes adjecit D. *Martinus Liſter.*

Serpens Marinus, Maculoſus.

ARidum Piſcem accurate depingendum, atque ære incidendum curavimus, & ſic deſcripſimus.

Tres pedes & dimidium longus eſt; at quatuor digitos craſſitie non ulla parte niſi Capite implet. Ex toto teres eſſe videtur, etiam ipſa ejus cauda quæ paulatim accuminatur. Ad Branchias autem ſingulas parvas Pinnas habet; ita Dorſi Pinna tres circiter digitos à Capite incipit, & caudam verſus procedit, quam tamen non attingit, digito minimum. Ventris autem Pinna proxima ab Ano oritur, & digitos quatuor citra extremam caudam deſinit; Pinnæ omnes albidæ ſunt, & minime maculoſæ. Ventris autem Pinna Dorſalis paulo latior eſt, & fere integrum digitum explet. Huic caput majuſculum, os tenue, oblongum, acuminatum; oris rictus amplus; in ſuperiore maxilla dentium acutorum ſeries; item eorum quintus Ordo in medio palato: In inferiore autem maxilla dentes quidem ad roſtrum identidem duplicantur; at retro eorum tantum ſimplex Ordo habetur: Univerſi dentes in Os recurvantur. Porro huic Venter ſubalbidus; caput maculoſum, ſtriiſque haud raris ex fulvo nigricantibus diſtinctum; Item ad ſingula latera quaſi duplex Ordo magnarum macularum, ex fulvo nigricantium, ſc. ſubrotundarum atque fere ad digitum latarum; inferiores maculæ ad interſtitia ſuperiorum collocantur, ſc. tanquam ex Quincunce. è *M. S. R.*

Ad Orbium Genus adjicienda.

Orbis lævis exiguus, maculis ſeu faſciis aliquot latis dorſo transverſim ſuperinjectis inſignitus. Vix duos digitos longus eſt, unum latus, lævis, ex argenteo reſplendet; maculæ quædam ſeu faſciæ latiuſculæ ſubcæruleæ dorſum diſtinguunt; imo huic color qualis in ſcombro vulgari. Os exiguum; dentes non potui videre, quod trans vitrum illum depingi feci; Pinnæ ſingulæ ad Branchias, item aliæ duæ ad caudam; ipſa cauda quadrata, ejus venter ruptus eſt. Ex India Orientali allatus: è Penu 6 Viri D. *Charleton.*

His, qui ſequuntur, piſcibus, *Squamæ Hexagonæ* ſunt, ſive Triangulares, ſive Quadrangulares audiant; eorum autem ſquamæ non imbricatim una alteri ſuperinjicitur, ſed plana commiſſura inter ſe connectuntur.

I. Piſcis Trangularis maximus Cornutus; ſquamis hexagonis, & radiatis donatus; mediæ ſquamæ ſive earum centrum parum eminet. è *M. S. R.*
Piſcis Triangularis Cornutus *Cluſii.*

II. Piſcis Triangularis capite cornutus; cui media cauda cutacea aculeus longus erigitur. Mediocris magnitudinis eſt; item huic ſunt undatæ quædam latiuſculæ maculæ fuſcæ ad dorſum & ad maxillas admodum eleganter depictæ.

Præterea in aliis *multis Piſcibus Triangularibus* capite Cornutis hæc notavi; in quibus certe, vel ſexu, vel ætate variantur, ſi non ſpeciæ; ſcilicet, in ſumma cauda cutacea omnino deeſſe Squamas, vel unicam Squamam, modo ſuperiore, modo inferiore ejus parte, aut in utraque ejus parte ſingulas Squamas habere.

III. Piscis maximus Triangularis, cornibus in capite carens, Ventre prope caudam cornuto, squamis hexagonis radiatis, & duplici, aut latiusculo limbo circumscripris. è *M. S. R.*

Piscis Triangularis Cornibus carens *Clusii.*

IV. Piscis Mediocris Triangularis, ad imum Ventrem prope caudam tantum cornutus, ex toto maculis æqualibus, subrufis, dense insignitur, hujus squamæ hexagonæ exiguis tuberculis vix ullo certo ordine dispositis exasperantur. è *M. S. R.*

V. Piscis Triangularis parvus, non nisi imo Ventre cornutus, hujus squamæ hexagonæ radiantur è centro paululum eminente; at earum extima latera ex totidem angustis & simplicibus lineolis constant. è *Penu Domini* C. *Medii Templi Londini.*

VI Piscis Triangularis ex toto cornibus carens; hujus squamæ hexagonæ mediæ paululum eminent; atque infinitis exiguis tuberculis striatim dispositis ornantur; item huic venter præ cœteris sui generis maxime latescit, scilicet quasi basi pro magnitudine amplissima. è *Penu ejusdem* Cl. *viri D.* C.

VII. Piscis maximus Quadrangularis, (i. e. Dorso plano, cum superiores ea habeant naturaliter in arcum elata, non ex aliquo artificio depressa, uti perperam de aliquibus id genus Piscibus existimavit *Wormius* ;) quatuor tuberculis in Dorso non longe à Capite insignitus. An Ostracion prior *Aldrovandi* ? è *M. S. R.*

VIII. Piscis majusculus Quadrangularis, rostratus; hujus Dorsum & Caput densis maculis rubescentibus interstinguitur, at reliquum Corpus minus: Pinnæ minime. Ex Dono Domini *Tyson.*

IX. Piscis mediocris Quadrangularis maculosus ; huic in lateribus aliquot rariores majusculæ maculæ puta in singulis squamis mediis, singulæ maculæ circinatæ, rufæ, at earum mediæ albescunt ex cæruleo: In Ventre vero eædem maculæ exiguæ pluresque & minores sunt; utpote duæ tresve in singulis hexagonis squamis. è *M. S. R.*

X. Piscis Quadrangularis Gibbosus, sive Ostracion alter *Aldrovandi.*

XI. *Ostracion Nili* Bellonii.

De hoc Pisce tantum mutila & pessima figura extat, nec bene describitur: Tamen, vel eo nomine, quod è Mare Mediterraneo proveniat, illum longe diversum Piscem esse existimo, ab ullo sui generis ex Indiis nobis allato.

XII. *Pisciculis Cornutus* Bontii. è *Penu Domini* C.

Hippocampus lævis, sive non aculeatus, incisuris admodum raris. è *M. S. R.*

Hippocanpus parvus, non aculeatus, incisuris crebris, sc. in ipsa cauda 35. numerantur. à Freto *Sunda* dicto Indiæ Orientalis. Ex Dono Domini *Thom. Grantham* Equitis Aurati.

N. B. In Hippocampo aculeato à Pinna Dorsali 30; incisuras numerare licet; in altero autem lævi majore tantum 25; in tertio 35. Item lævis major rarioribus incisuris, maculis multis exiguis nigricantibus punctatur, quæ in cæteris, quantum observare potui, omnino desunt.

Hi Pisces, qui *Caprisci* nostris quibusdam & antiquis hominibus, *Guaperua* à Brasiliensibus appellati sunt: Veluti *Squamas Quadratas* habent.

I. *Capriscus*

I. *Capriscus* Salviani.

Sc. è Mare mediterraneo; atque ea solâ ratione ab universis id genus Piscibus, qui ex Indiis nobis asportantur, aliam speciem esse nullus dubito; at apud nos certe etiamsi diligenter quæsitus nuspiam occurrit.

A *Rondeletio* idem Piscis melius pingitur.

II. Guaperva longa, cauda, fere quadrata & minime forcipata. Capitis Vertice latiusculo.

In his autem differt à Caprisco *Salviani*. (1) Quod huic dentes suo & peculiari modo acuuntur. (2) Quod huic tantum bina Cornua dorsalia certe in sicco Pisce eorumque primum majusculis dentibus ex duplici serie serræ in modum exasperatur; cujus rei non menimit *Salvianus* de suo Pisce, nec ab ejus figura observari potest rem ita fuisse. (3) Huic omnino deest Cornu Ventrale. (4) Hujus Pinnæ tribus digitis distant à Cauda. (5) Ipsius Caudæ Pinna multo longior. (6) Huic Capitis Vertex minus compressus, at latiusculus.

In his autem conveniunt, quod huic Cauda quadrata squamæ quadratæ (adeo *Salviani* Capriscus male pingitur) asperæque, certe in omnibus Guapervis ita se habent.

Hujus autem Piscis longitudo 16 digitos, Latitudo 5 digitos implet. è *E. M. R.*

III. Guaperva lata cauda forcipata, Pinna Dorsali maculis quibusdam distincta.

Sexdecim digitos longa, 8 digitos lata; Capitis Vertice compresso; Pinnæ & Dorsalis & Ventralis 2 minimum digitos à cauda desinunt; Pinna Dorsalis crebris maculis distinguitur, atque ex altera parte in Cornu 4 digitos longum producitur; Pinnæ, Caudæ Cornua subito oriuntur tamen circiter digitum longa. Squamæ quadratæ in hoc Pisce exiguæ præ superiore & minus hirsutæ. Hujus Cornu maximum & non tantum à fronte, sed etiam à lateribus ex media certe parte multis exiguis tuberculis an dentibus exasperatur. è *M. S. R.*

Huic Pisci sat bene convenit Descriptio *Marggravii*, & ejus figura depicta est ad proximum sequentem, uti ex duabus fasciis maxillaribus constat.

IV. Guaperva maxima (ex his fere bipedales vidi) lata, cui extrema Cauda, & Pinna tantum Dorsalis, in longissima & tenuissima Cornua diducuntur; item duabus latiusculis fasciis rubris utriusque ad maxillas transversim ductis notatur. è Penu D. *C.*

V. *Guaperva lata ad caudam striata.*

Hic Piscis longitudine circiter 11 digitos implet, & ad 5 digitos latescit. Huic dentes æqualiter præcisi, velut humani incisorii. Caput compressum cum eminente Vertice; Pinnas minus latas habet; Cauda bifurca at exigua in ea Cornua; Squamas quadratas bisecant nescio quæ asperitates, atque octo utrinque lineolas ad tres digitos longas efficiunt: Cornu dorsale minutissimis dentibus à fronte serræ in modum exasperatur. è *M. S. R.*

VI. *Guaperva Histrix.*

Hic Piscis parvus est, scilicet paulo supra 6 digitos longus, tres & dimidium latus: Huic dentes minus acuti; in superiore autem maxilla utrinque ad duos primos dentes singuli exigui denticuli sunt, quos alii iterum latiusculi excipiunt; huic squamæ quadratæ & exiguæ; tres digitos a Cauda è mediis lateribus confertim oriuntur quinque aculei crassiusculi, cornei, teretes, longitudine unciales minimum, colore vario albido nigroque qualis in Hystricum Pennis; item ad caudam insignis præterea hirsuties; Caudæ Pinnam quadratam esse in Vivo Pisce existimo; ex fusco nigricat. è Penu D. *Gulielmi C.*

Scolapax male pingitur à *Rondeletio*; siquidem huic squamæ asperæ quidem, at admodum exiguæ, & quæ nudo oculo certe in sicco Pisce vix discerni possint; item in Pictura *Rondeletii* oculi multo minutiores sunt, quam par est, &c. è *M. S. R.*

Asellus mollis latus.

A *Whiting Poute* Londinensibus: Huic insignis latitudo præ longitudine, qua sola nota satis differt ab omni id genus Pisce; extremo & Cauda & Pinnæ nigricant; item ad radices Pinnarum Branchialium utrinque singulæ maculæ majusculæ nigræ: Piscem autem quem pingi curavimus, (nec temere majores inveniuntur) à Capite ad extremam Caudam longus erat 11 digitos; latus citra Pinnas dorsales tres digitos & dimidium; prima Pinna Dorsalis sc. illa Triangularis in longiusculum Cornu producitur; cæterum & squamæ exiguæ & argenteus ubique color, qualis in Asellis mollibus. Huic Oris rictus multo angustior, quam cæteris sui generis Piscibus.

Asellorum mollium fœtura Londinensibus appellantur *Whiting Mops*, & copiose ibidem veneunt exeunti Octobri.

Acus rostro crasso, osseo, anguloso.

i.e. *Petimbuaba Brasiliensibus. Tobacco-pipe Fish.* Is, quem siccum habemus in *M. S. R.* tres pedes longus est; in crassissima autem parte, Capite puta, filo quatuor digitorum circumdatur; ipsum Caput & rostrum pedem integrum, id est, tertiam pattem totius Animalis longitudine explet; rostrum fere ex æquo cum ipso Capite crassescit; utraque maxilla paululum acuminata, minutisque dentibus exaperantur; maxilla autem inferior vix duos digitos longa, adeoque huic Piscis rictus tantum parvus; superior autem maxilla ossea sive cornea est, qualis squama aliqua Sturionis; item illa pulchre striatur & angulosa est. In nostro Pisce Pinnæ ad Branchias, & si quæ aliæ ad superiorem Ventrem corruptæ sunt; reliquus Piscis lævis & coriaceus Anguillæ Acusve alicujus instar: Post podicem vero aliæ Pinnæ. Ipsa Cauda teres est, & sensim gracilescit. Media latera utrinque distinguit lineola quædam, è plurimis lineolis ad totidem intervalla disruptis, Catenæ alicujus ad instar, confecta.

Acus maxima squamosa.

Hæc, quam describo, mediocris est; nam ex iis altero minimum tanto majorem vidi; duos pedes & 6 dgitos longa erat, tres digitos lata; item huic, Pisce certe sicco, dorsum latescit; inferior maxilla ad sex digitos longa est, adeoque huic Pisci ingens rictus; superior maxilla inferiori paulo longior est, subacuta, ejus apice nares aperiuntur: Ad margines maxillarum singuli dentium tenuium,longiusculorum erectorum, item alii minutorum ordines: Proxime post Branchias singulæ hinc inde Pinnæ sunt; ad Anum aliæ duæ, prope caudam aliæ duæ, quarum una in Ventre, alia è regione supra Dorsum; Caudæ Pinna quadrata esse videtur, & Corpori oblique inseritur: Nimirum Caudæ squamæ superne magis extenduntur. Piscis ex toto squamosus est, ejusque squamæ, majusculæ, validæ, firmiter cuti adhærentes, quadratæ, sive Rhomboides, *i. e.* in acumen desinentes; eleganter admodum disponuntur; sc. à medio Dorso (ubi singuli squamarum ordines coeunt) spiræ alicujus in modum ad imum Ventrem oblique deducuntur; prope Caput & post Branchias squamæ opere quodam foliaceo pulchro ornantur: Per medium autem Dorsum recta it unicus squamarum subrotundarum ordo; à quo scilicet reliqui earum ordines obliqui initium sumunt: sicci Piscis color ex albo virescit; at hic & illic velut maculis distinguitur; similiter & Caudæ Pinna. è Penu D. *Gulielmi C.*

Ad

Ad Tab. 6. Append. Fig. 4.

Acus cujusdam Indicæ Caput: Inferior maxilla ad trium digitorum cornu producitur; illius cornu medium utrinque sulcatur, at ejus latera acuta & ensiformia; superior autem maxilla acuminata, at vix digiti dimidium longa; ea sinu etiam similiter acuminato scite inferiori aptatur; in utriusque labris, sunt plures ordines dentium minutissimorum; mox nares conspiciuntur & oculi sane maximi pro modulo Piscis. è *M. S. R.*

Acarauna altera Major (an *Paru* Brasiliensibus apud *Marggravium*); cui Pinna utraque & Dorsi & Ventris in tenuissima & longissima Cornua producuntur; item huic brevia admodum, pauca (si tamen ulla certe ad Os) tenuia & exigua calcaria ad Branchias. Ubi par maximum Calcarium vix tertiam partem digiti implet: His autem accedit, ad summas Branchias pone oculos, & ad imas Pinnas prope caudam nescio quo colore subcœruleo, quantum ex sicco Pisce observare licet, insignitur. è *M. S. R.*

Acarauna exigua, nigra, Zonis aliquot luteis eleganter depicta.

Hic Piscis siccus duos digitos longus est, latus paululum supra digitum; huic dentes tenuissimi ut in aliis Acarauniis; Capitis Verticem medium distinguit lineola lutea, quæ ipsum etiam Os circuit; cæterum Piscis totus niger est cum splendore, præter aliquot Zonas luteas sive Citrinas; quarum prima transversim deducitur juxta Oculos, altera post Branchias, eaque paululum extenditur secundum Longitudinem Pinnæ Dorsalis; Tertia, autem medias Pinnas, scilicet & Dorsalem & Ventralem, Cornibus suis, quæ caudam spectant, dividit: Item ipsam caudæ Pinnam fere circumambit fascia luteola: Pinnæ autem Branchiales ferrei coloris sunt; quæ vero sub Pectore, augustæ, longiusculæ, & nigerrimæ sunt, de squama autem nihil in sicco Pisce apparet. è Penu Domini C.

Parum differt à Guaperva *Marggravii*; nisi quod illius Zonæ coloris ferrei sunt, & paulo aliter disponuntur; deinde hic nullæ visibiles squamæ sunt, *&c.*

Aculeatus Marinus Major Sconfeld.

Siccus Piscis, cujus figuram damus, septem digitos longus est, vix unum latus; Oris rictus mediocris, multis & exiguis dentibus donatur; ipsum Os acuminatum, at à rictu iterum paulatim angustius & compressum; Oculi majusculi ab Ore digiti tertiam partem distant, Capitis Vertex latescit & planus est; Branchiæ amplæ & apertæ; imo Caput quale Lucii: à Branchiis binæ Pinnæ longiusculæ, à Branchiis ad Podicem ventricosior est; Dorsum in Arcum paululum assurgit, tamen planum durum & squamosum est velut in Acuum genere; atque ex eo medio eriguntur circiter 15 aculei adunci sive ad caudam reflexi: hos forte aculeos Pinna excepit, ac tantum ejus Vestigia in sicco Pisce; tamen è regione post podicem alia Pinna est; singula latera constituunt firmantque totidem binangulares lineæ duræ & squamosæ, ut in Dorso dictum est, media spatia & venter lævis & veluti coriaceus est; ut in hac parte Piscem Octangularem appellare possis, a Podice gracilescit, & deinceps ad duos digitos Pugionem repræsentat, sc. in planam figuram comprimitur & à subitanea quadam latitudine paulatim minuitur; ipsius tamen caudæ Pinna perpendicularis est, & ad rectos angulos cum plano Pugionis (à me dicti) disponitur. è *M. S. R.*

Turdus Viridis Indicus.

Scarus Cretensis Aldrovandi.

Aridus Piscis 13 digitos longus est; cauda forcipata, Caput & ad latera post Branchias ex fusco viride; cætera ex flavo virescit; ejus autem Os præcipue notandum est; utraque maxilla in bina ossa diducitur more quorundam Piscium ex Orbium genere: è superiore autem maxilla extrinsecus oriuntur utrinque quini denticuli acuti, nec omnes eodem positu, sed paululum si-

nuato ordine; at credibile est hos non per accidens natos esse, quod utrinque eodem modo se habent; at cui usui inserviant non facile est conjecturam facere; nisi ut admodum subductis labris, amplius prædam, quam mordicus ore teneat si forte vel proprio motu flexuoso vehementer in illos dentes nudatos impingat. Item duo Ossa inferioris maxillæ multis minutis dentibus donantur serræ ad modum, at extra eadem quoque plurima exigua tubercula eleganter ex quincunce posita habent.

Pro magnitudine autem Piscis squamis ingentibus tegitur, item a Capite ad caudam singularis datur squamarum Ordo, opere quodam foliaceo admodum venusto depictus; Piscemque is medium dividit. D Penu Domini *C.*

Huic adjungo ingens quoddam squamosum caput Piscis alicujus Judici, Turdi puta, quod vel ex Analogia superioris (nam huic eadem maxillarum divisio & dentium ratio fere ipsissima) abunde constat; item ejus Piscis forte squamas, omnium certe maximas.

Hujus Capitis bina ossa ex quibus superior maxilla constat æqualiter conjunguntur, at eadem bina ossa in inferiore maxilla per Ginglymum, *i. e.* futuram quandam dentatam inter se connectuntur: Dentis ratio sane elegantissima, sc. ex Tesseris parvis ad quincuncem dispositis. è *M. S. R.*

E Picturus Archetypis D. *Jacobi Frasier* hi Pisces ex ære incisi sunt.

I. *Sea Batt.* Belgis. An ex Acaraunis? justa magnitudine pingitur, capitur prope Insulam St. Helenam.

Huic color (quantum ex Pictura conjicere licet) subrufus, undatim dispositus, luteus ad extimas Pinnas Branchiales: Oculi Iris aurea.

II. Conger Indicus maculosus: *Kommer Eel* Belgis; hominis longitudinem implet; & ex proportione crassus. Boni saporis est; & Pinnis & maculis subfuscis pingitur.

III. *Verckens Beck* Belgis. i. e. Porci rostrum; Asellum majorem mediocris magnitudinis æquat: Huic (de Pictura loquor) Pinna Dorsalis subcærulea; ima Pinna Ventralis virescit; summæ Pinnæ Branchiales aureæ, earum radices cæruleæ; Oculi Iris aurea; Dorsi color qualis in Aurantio maturo, ad Ventrem is color nitescit; Caudæ Pinna eleganter aurea.

IV. *Corcovada:* Omnibus Piscibus Indicis præfertur: Asello majori magnitudine par; velut maculis virescentibus & luteis pingitur; Pinnæ Branchiales luteæ: versus Caudam insignis lineola, & aliis utrinque lineolis ad acutos angulos positis distincta.

5. *Red Eye* Belgis: i. e. Oculus coccineus. Sesquipedem longus. Pinnarum Costæ sive Spinæ & Dorsi & Branchiarum luteæ; Oculi Iris coccinea: Ad Sanctam Helenam capitur. Boni Saporis.

VI. *Jacob Evertson* Belgis. Maculæ Ventrales minutiores quam in Dorso; Pinnæ Branchiales subfuscæ. Dorsi Pinna divisa, secus quam in aliis Picturis. Copiose ad Sanctam Helenam capiuntur; aliquibus, ab eorum esu oritur Capitis dolor. Hujus Piscis alia atque alia species est.

VII. *Parrot Beck* Belgis. 15 digitos longus. Capitur ad Sanctam Helenam: Et Caput, & Dorsum, & Summæ Pinnæ virides, earum vero partes interiores rufescunt; cæterum ex albo rufoque varie depingitur. Optimi saporis.

VIII. *Corret* Belgis; plurimis locis Indiæ Occidentalis capitur. Optimi saporis: Corpus subfuscum habet: Pinnæ ex cœruleo viridescunt. E Genere Thynnino.

IX. *Sand Creeper* Belgis; ad magnitudinem mediocris Aselli majoris accedit; sub arena ad Promontorium *bonæ spei* expiscatur. E Genere Mustelarum.

X. *Koning Fish* Belgis; fere ad 5 pedes longus: è subcœruleo infuscatur: è Genere Thynnino.

Hæc omnia D. *Martinus Lister* contribuit.

Turdus ab Inſula Aſcenſion *dicta.* è Penu D. C.

Huic color ex viridi cæruleus ad Dorſum & in mediis lateribus & ad infimum Ventrem, velut totidem ſc. tres lineæ rubeſcentes: Item huic ſquamæ velut quadratæ; in ore dentes plurimi, exigui, longiuſculi; cauda velut quadrata. Piſcis ad quinque digitos longus, ſeſquidigitum latus.

Scorpius Virginianus. è Penu D. C.

Longitudine minimum pedali, intus differt à Scorpio *Salviani*; quod gracilior & longior eſſe videtur; Item huic ſupra caput & poſt & ante Oculos, & alibi in Capite aculei breves; at ad branchias ſinguli aculei validi prælongi, & ad eorum radices alii breves—pinna prima Dorſalis parva vix 9 radiis conſtans, à ſecunda ſpatio amplo diſterminatur; ſecunda autem ſub principio à ſumma ejus altitudine erecta, paulatim minuitur. Item huic pinna Ventralis inſignis 14 radiis flexilibus conſtans, pinna caudæ ampla ſubrotunda, poſtremo pinnæ Univerſæ nigris maculis latis undatim ſive ex quodam ordine tranſverſo diſpoſitis pulchre diſtinguuntur.

Hæc etiam à D. *Martino Liſter.*

Lumpi Anglorum Anatome à D. Edvardo Tyſon, *M.D.* Ad lib. 4. pag. 208.

Piſcis à nobis diſſectus longus erat à Capite ad extremitatem caudæ 14 Uncias; latus 9 Uncias in ampliſſima parte; Circumferentia Corporis 18 pollices ferebat, Capitis vero 12.

Menſura Oris ab angulo ad angulum erat Unciæ $2\frac{1}{4}$ videbatur habere ſuperius & inferius labium. Maxillis inſertæ erant diverſæ ſeries Dentium admodum teretium.

Caput erat planum & Uncias $2\frac{1}{2}$ latum. Dorſum acuminatum, & ſurgens in anguſtum quaſi cum Criſta. Verum ejus faſtigium complanatur paulo ſupra pinnam dorſalem ſitam prope caudam, in utroque latere ſpinarum ſerie donatum, quæ in Criſta tergi erant ſolummodo ſingulæ.

Dorſum erat plumbei coloris, verum in quibuſdam locis profundius decoloratum. Venter & latera albida. Totum corpus aſperatum, præſertim vero tergum. Præter hæc minora tubercula, ubique fere inſerta, erant variæ triangulares ſpinæ in ſummitate Dorſi, quarum ſecunda ſeries tendebat à ſuperiore parte oculi ad caudam; tertia à ſuperiore parte Aperturæ branchiarum ad caudam; Quarta ſuper ventrem ad pinnam inferiorem; adeo ut hæ ſeptem ſeries ſeu ordines ſpinarum Piſcem in ſeptem plana dividere, totumque ſeptangularem reddere videbantur.

Erant quatuor pinnæ præter caudam perpendiculariter poſitæ. Primum par oritur juxta medium aperturæ branchiarum, ubi radii erant longi 2 pollices, qui concameratim tendentes verſus mentum ſeu jugulum magnitudine ſua gradatim decreſcunt. In utraque harum pinnarum 20 radios obſervavi.

Secundi paris pinnarum una ſita erat dorſo prope caudam; altera ventre adverſum priorem; ambæ pariter duas Uncias longæ; illa habuit 9 radios, hæc 8. Caudæ 2 pollices longæ inerant x Radii.

Notandum eſt, tam cauda quam pinnis hoſce radios ſemper eſſe duplices, quod maxime conſpicuum erat verſus extremitates.

Pars maxime notabilis in hoc Piſce eſt Acetabulum ſive corpus rotundum ſitum inter duas anteriores pinnas; Acetabulum voco à ſimilitudine quam habet Acetarii ſeu ſcutellæ, in medio concavum, margine lato aſſurgens; vel à ſimilitudine Acetabulorum pedum ſeu radiorum Polypi. Uſus hujus Acetabuli Lumpi Piſcis idem eſſe videtur cum iis Polypi, vivum enim obſervavi

arcte adhærere tabulæ, seu loco, in quo collocatus erat, adeo ut difficulter eum removere potui; hoc igitur Acetabulum providentia naturæ fieri videtur, ne Piscis ratione suæ figuræ in scopulos allidatur sæviente æquore, vel ab iis invite separetur; sed hujus partis adminiculo se conservat firmiter iis adhærendo.

Hoc Acetabulum erat fere rotundum adamussim; ejus Diameter 2½ Uncias, margo ¼ Unciæ, qui laxus & disjunctus erat à corpore, & videbatur componi è variis muscularibus corporibus, certo ordine dispositis, robustis, interne tamen fere cartilagineis. In ipsa cavitate erant quædam hujusmodi corporum, sed minora & magis cartilaginea seu potius ossea, quæ reddunt Piscem robustiorem.

Dissecto Pisce observavimus Ventriculum valde amplum; vacuus enim & non extensus mensurabat 12 Uncias in exteriore parte, Diametro 2 Uncias; sed versus Oesophagum & Pylorum contractior evasit, præsertim vero juxta posteriorem. Immediate infra Pylorum erat numerosa series Appendicum seu intestinulorum cæcorum, de quibus hæc duo notavi. Primo, quod omnia unita & simul connexa erant à tenui membrana, quæ aliquo modo unum corpus Pylorum & inferiorem partem stomachi circundans ea reddere videbatur, reflexa ab intestino vel duodeno (unde Originem suam habebant) supra istam partem Ventriculi. Secundo, quod hæ appendices non erant singulæ à suo principio, sed post brevem cursum in plures ramos se divaricabant.

Intestina ratione magnitudinis dividi possunt in tria, Duodenum, Tenuia, & Rectum; nam infra appendices ductus intestinalis per breve spatium ampliabatur, unde nomen duodeni habet, licet non admodum proprie, hac dimensione vix tres Uncias habente: in hoc immediate infra appendices inserebatur ductus Cholidochus ab Hepate. Postea canalis intestinalis se contrahens varias convolutiones faciebat, ut in Quadrupedibus, fixas & collectas à Mesenterio, in quo Vasa Mesaraica se ostendebant, hinc intestina tenuia hoc modo convoluta quatuor pollices mensurabant. In hoc loco Lumbricum teretem duas Uncias & dimidium longum reperiebam, animal Piscibus præ cæteris commune; aqua abundante spermate horum Vermium. Rectum erat omnium amplissimum, modice inflatum, tres Uncias in circumferentia ferebat, 4 vero Uncias & 1¼ in longitudine.

Hepar erat fere æquilaterali triangulari figura, quolibet latere tres Uncias longo; crassissimum medio, versus margines gradatim tenuius; superiore tamen parte angulus erat magis obtusus, & illinc erat parva apophysis pollicem fere longa, interne reflexa. Color ejus erat pallide citrinus. Nulla vesicula fellea, amplus tamen ductus Cholidochus se exonerans immediate infra Appendices.

Renes in hoc Pisce observatu dignissimi erant tam figura quam structura; strati enim per totam fere longitudinem cavitatis abdominis prope diaphragma seu membranam dividentem abdomen à corde erant duo corpora large extensa pollicem fere unum & dimidium; ibi se contrahentes in duas angustas cervices per spatium unius Unciæ in unum corpus postea coibant duos pollices & ½ longum, emittens duos Ureteres se exonerantes in Vesicam Urinariam, quæ versus fundum erat valde extensa, non cacuminata, at numerosa scaturigine amplorum vasorum sanguineorum per totam partem diffluentium referta; hæc Vesica se evacuabat juxta Anum per corpus quoddam tuberosum peni non dissimile; penem esse illud judicavi, in tantum observare potui, Vesiculæ seminales vel lac Piscis hac via se exonerabant; quod si verum, alius usus Acetabuli pectoris inter duas anteriores pinnas assignari potest, scilicet ad coitum melius perficiendum; hujus enim adminiculo Mas & Fœmina se mutuo jungunt, adhærent, & commodius coeunt ad propagandam speciem. Ad quem finem prosequendum Natura abunde suppeditavit hunc Piscem, nam in Mare observavi duo ampla corpora, utrinque unum, fere 8 Uncias longa, unam lata, extensa per totam longitudinem Abdominis, & à membrana connexa medio renum,

quæ

quæ membrana renes cingens affigit eos tergo Piscis. Hæc duo corpora suspicor esse Vasa spermatica, seu lac Piscis; divisa enim erant in varia larga dissepimenta, & rupta vel pressa evomebant lacteum succum.

Cor prope ingressum auriculæ venæ cavæ, quæ erat valde magna, habuit Basim triangularem; juxta exitum Aortæ fere conicum erat. Aorta hic tumescens, quod fieri solet in Piscibus uno solo Ventriculo donatis, vicem alterius auriculæ supplet.

Ea omnia quæ sequuntur annexa sunt à D. Tancredo Robinson.

Ad lib. 4. p. 106. Lampetræ in Thamesi fluvio captæ annuatim vivæ transportantur in Hollandiam, ubi venduntur, & usurpantur pro escis ad capiendos Asellos, quibus gratissimæ sunt.

Ad lib.4.p.112. Congri mari refluo capti in fossis & puteis littoralibus *Cornubiæ* eviscerantur, sole exiccantur, & resolvuntur in pulverem, qui in *Portugallia* venditur, & usurpatur vice farinæ avenaceæ. Horum multi exiccando pereunt, muscis, eulis, aliisque insectis pleni.

Ad l. 4. p. 225. Encrasicholi Anglice *Anchovies* inveniuntur in mari Britannico, præsertim vero circa littora *Cambrobritanniæ*, ubi numerosissime capiuntur, præparantur, & huc & illuc transmittuntur sub falso nomine *Shads*; Italicis vix inferiores sunt. *Joh. Collins, De sale & piscatura*, p. 101.

Ad lib. 4. p. 166. Oleum fit ex hepatibus Asellorum majorum, quod lucernis, aliisque usibus mechanicis inservit, præsertim in *Islandia*. Horum Piscium ova saliuntur, condiuntur, & in usu sunt vice *Caveare* & *Botargo*. Dani & Batavi deferunt ab *Islandia* magnam quantitatem hujusmodi ovorum ad impascendas Piscinas, & lacus, & ad saginandos Pisces fluviatiles.

Ad Append. p. Pro variis modis exiccandi, saliendi, condiendi, & præparandi Pisces consulatur tractatus Anglicus D. *Joh. Collins, De sale & Piscatura.* Victus & Escæ Piscium.

Ad investiganda cognoscendaque alimenta & peculiares escas Piscium necesse est frequenter dissecare eorum ventriculos, & contenta diligenter perlustrare; ibidem enim inveniuntur Pisces minores, insecta variorum generum, caro, herbæ, stercus, mucus, lutum, arena, terræ excrementa, *&c.*

Escæ pro capiendis Piscibus usurpatæ dividuntur in naturales & artificiales.

Illæ sunt vel Pisces minores, ut Gobii, Phoxini, Leucisci, Rutili, Alburni, Lampetræ parvæ, oculique Piscium, *&c.* vel Insecta, ut Ranæ, Limaces, vermes, Lumbrici terrestres, Eulæ, Muscæ, Asili, Papiliones, Apes, Vespæ, Cicadæ seu potius Locustæ.

Hæ sunt vel Pastæ vel Muscæ artificiales; modi hæc componendi, texendi, colorandi, vel odorandi extant apud Scriptores artis Piscatoriæ, præsertim illos qui Anglice prodierunt.

Horum omnium varius delectus habendus est pro diversa natura Piscium, loci, & tempestatis. Singularis dexteritas & experientia requiritur in eligendis & disponendis escis, arundine, linea, hamo, & bolide, etiam & in retibus tractandis; consulantur Historiæ rei Piscatoriæ.

Additamentum de concoctione.

QUA facultate, quove instrumento ventriculus cibos admissos conficiat & in Chylum resolvat, difficilis admodum quæstio est. Veteres & Recentiorum plerique calore suo id efficere contendunt. Verum calore solum ad concoctionem non sufficere liquet, quod carnes in aqua elixæ post diutinam coctionem vix ac ne vix quidem in ejusmodi cremorem facessunt. Quid quod ventriculi nonnullorum Animalium ad tactum frigidi sentiant. Non tamen negaverim aliquem caloris gradum ad concoctionem promovendam requiri. Recentiorum alii humori cuidam acido in ventriculo stabulanti concoctionem attribuunt. Quæ quidem opinio magnam probabilitatis speciem habet, siquidem acida pleraque ventriculo grata sunt, & concoctionem promovent: Ventriculum etiam humore acido scatere ostendit lactis deglutiti subitanea coagulatio, ut in ventriculis lactentium exemptis & dissectis cernitur. Quod adeo verum est, ut ipsæ etiam ventriculi tunicæ salitæ affuso idoneo liquori vim coagulatoriam communicent, ut quotidiana τυροποιῶν praxis evincit. Nos etiam in Lucii aliorumque Piscium ventriculis dissectis sæpius observavimus Piscium deglutitorum caudas & trunci portiones in gula & faucibus hærentes illibatas & integras incorruptasve manere, reliqua parte quæ ventriculo inerat ad ossa usque exesa & consumpta, ac si aqua forti aliove acido fuisset corrosa: imo acidum ventriculi paulatim in Piscibus deglutita arrodit primo superficiem, inde interiora ordine ad ossa usque.

Verum ingeniosus vir D. *Towns*, M.D. in Lamia Pisce omnium voracissimo, quique celerrime ingesta conficit, siquidem nautis attestantibus mulieris cujusdam cadaver in ventriculo hujus generis Piscis à se capti ad ossa fere consumptum inventum est, quam paucas ante horas gausapino stragulo involutam in mare projecissent, se nullum in ventriculi tunicis, aut humore eas oblinente aciditatem gustu percipere potuisse, ideo alia aliqua ratione cibos maceret & dissolvat necesse est. Verum ut Lectori plenius de hac re satisfiat, legat quæ de concoctione commentatus est insignis vir D. *Martinus Lister*, in Exercitatione altera De *Fontibus Medicatis Angliæ*.

De Auditu Piscium.

An Pisces audiant necne, nondum plane determinatum est: Nec experimentum illud de Piscibus pulsata campana ad escam convocatis, quod libro primo cap. 4. recitavimus, affirmativam demonstrat, quoniam, ut ibidem diximus, fieri potuit, ut intra conspectum Piscium campana ista pulsata fuerit, adeoque eos non sonitu audito, sed motu viso, velut signo dato, ad pabuli spem convolasse. Verum si campana pone aulæum aut parietem collocaretur, & nihilominus ea pulsata è latibulis egressi Pisces eo se reciperent unde sonitus exiret, quin auditu donati essent nullus adhuc relinqueretur dubitandi locus.

Notatu dignum est, ventrem Piscium, seu pronam & quæ fundum respicit partem plerunque albam esse, dorsum seu supinam & quæ cœlum spectat superficiem ex viridi nigricare aut saltem coloratiorem esse. Quod quamvis seu radiorum solarium actioni seu aeri libero & frigidiori tribuendum videatur, quomodo tamen hæ causæ aliæve id efficiant, nobis non perspectum fatemur; examinent alii.

Saurus

Saurus Salviani, Tarantola Romæ.

Piscis est teres & oblongus, Sphyrænæ fere figura, ad caput gracilior, inde sensim crassior ad primam usque dorsi pinnam, ex quo paulatim iterum gracilescit ad caudam usque. Quem descripsi vix spithamam longitudine æquabat [pedali mensura majorem non vidit Salvianus] erat autem is pollice crassior. Color in dorso idem qui Gobii tertii nobis descripti, in ventre albus [Salviano descriptus (erat is adultior, ætate autem colores variant) ventre erat subalbido, dorso ex viridi nigricante, maculis quam plurimis virentibus, rubeis, cœruleis atque nigricantibus dorsum caput & latera nonnullorum Serpentum instar varie admodum pingentibus. Quamobrem, inquit, non solum ore, rostro, capite, atque reliqua corporis figura, sed colorum etiam varietate, proxime adeo ad terrestris Lacerti accedit similitudinem, ut ei simillimus, si pedes exceperis, videri possit] caput summum planum est, in medio autem, præcipue inter oculos, velut fossula excavatum. Oculi parvi, extantes. Rictus oris amplissimus, Serpentis instar; rostrum in angulum acutum productum. In margine utriusque maxillæ unicum habet dentium ordinem, prælongorum, acutorum; & alium insuper in palato ei qui in superiore mandibula est parallelum: Lingua angusta & duplici dentium ordine instructa. Aperturæ branchiarum amplissimæ. Duæ in dorso pinnæ: Anterior una circiter tertia longitudinis parte ab extremo rostro distat, radiis 12 intertexta, quorum primus altissimus, reliqui ordine humiliores ad postremum usque radii hujus pinnæ varii erant ex fusco & cinereo: Posterior non longe à cauda sita parva, radiis destituta, nihil aliud esse videtur quam appendicula quædam carnea aut cutanea, qualis in Salmone reliquisque truttaceis Piscibus cernitur. Cauda forcipata. Pinnæ ad branchias singulæ radiis circiter 13 donatæ minusculæ & breviores sunt; ventrales, aliquanto inferius sitæ, (quod in marinis singulare est) multo longiores sunt, habentque singulæ radios 8, quorum anteriores brevissimi, postremi longissimi. Orificium excrementorum vix una longitudinis quarta parte à cauda distat, à quo pinna radiorum 10 imo ventri hæret. Squamæ huic Pisci mediocres sunt. Abdomen peritonæum album succingit. Hepar pallidum est, ventriculus oblongus conicus. Appendices numerosæ, non tamen ad Pylorum omnes sed secundum Intestinum in longum exeuntes. Nec vesiculam aere inflatam, neque cystin felleam in Pisce non recenti invenimus.

Piscis hic singularis est nec alium novimus è marinis ei similem: Pisci lacustri Reutele dicto non admodum dissimilis est.

In mari vivit, & (ut aiunt) cænosis locis delectatur. Aristoteles inter gregales reposuit: Sed cum in mari Mediterraneo singuli capiantur (inquit Salvianus) solivagos melius dixeris: tam raro capiuntur; ut vix singulis annis Romæ in foro Piscario bis deni capti videantur. Nobis certe quamvis forum Piscatorium assidue frequentavimus, 5 mensium spatio quibus Romæ hæsimus, unicus tantummodo hujus generis Piscis observatus est. Romani autem Tarantolam vocant à similitudine Lacerti cujusdam domestici ibi frequentis, quem eo nomine appellant.

Piscis *Albacore* seu Albacara dictus Nautis & peregrinatoribus maxime notus, nec describitur nec figuratur ab ullo Autore nobis cognito; forte *Albæ Corettæ Pisonis* idem sit Piscis.

EPILOGUS.

Atque hæc sunt quæ de Piscibus breviter dicenda habuimus: Nec enim (ut in Præfatione ad Ornithologiam diximus) Pandectas Piscium componere, in quas quicquid uspiam ruspando investigare potuimus coniiceremus, nobis

in animo fuit; id enim summus vir Conradus Gesnerus jamdudum abunde præstitit, sed ea duntaxat tradere quæ vel à nobismetipsis & amicis observata essent, vel idoneos & fide dignos testes & auctores haberent.

Cumque a non necessaria specierum multiplicatione summopere abhorreamus, summo studio cavimus, ne in eundem scopulum ipsi impingeremus, ideoque non tantum omnes, etiam remotissimos, Angliæ portus, & maris sinus ob piscaturam celebres adivimus piscium spectandorum gratia, & species omnes quotquot ibidem nancisci potuimus fideliter & accurate pro modulo nostro descripsimus, sed & in transmarinas regiones profecti, per præcipuas quas oberravimus urbes & emporia Belgii, Germaniæ, Italiæ, Galliæ fora piscatoria assidue frequentavimus & diligenter lustravimus, & si quos non antea à nobis observatos pisces inveniremus, eos coemimus & eadem fide ac diligentia descripsimus; quo fit, ut nemo qui ad descriptiones nostras attenderit easque cum piscibus contulerit, quas species describamus amplius dubitare possit. Hujus autem culpæ species multiplicandi Celeberrimus vir Gulielmus Rondeletius affinis nobis videtur. Quis enim credat in ea Maris Mediterranei parte quæ Galliam & Italiam alluit tot inveniri species Soleæ seu Lingulacæ, quot ille describit? cum diligentissimus & fidelissimus scriptor Petrus Bellonius duas tantum species observaverit, nec nos plures? quis tot Mugilum differentias dari? cum neque nos, neque alius (quod sciam) præter ipsum Auctor seu in Mediterraneo mari, sive in Oceano, plures una Mugilis species descripserit. Idem esto dictum de Anthiæ speciebus, deque numerosa Turdorum Phalange, quamvis in hoc genere Naturam colorum varietate mire ludere agnoscamus, adeo ut plures adhuc quam duodecim horum respectu differentias observari posse non dubitemus. Suspicionem auget, quod iis in locis ubi piscibus conquirendis & describendis operam dedimus, non admodum multæ ab Ichthyographis descriptæ species nos effugerunt.

Verum ob magnam viri famam & inter eruditos existimationem, nec suspicionibus nimis indulgendum, nec species istas omittendas duxi: præsertim cum in alio quodam Piscium genere, Orbium intelligo & affinium, plures quam cogitassem, aut in rerum natura dari credidissem, species à Clariss. Viro D. Martino Lister detectæ & in lucem prolatæ sunt.

Cum vero ante nos viri longe doctissimi, *Petrus Bellonius*, *Gulielmus Rondeletius*, *Hippolytus Salvianus*, *Ulysses Aldrovandus*, &, alios omnes eruditione, industria, fide, modestia vincens *Conradus Gesnerus*, quique ab iis omissos pisces Septentrionales supplevit Schonfeldius, ut minorum gentium Scriptores omittam, ante nos in hac palæstra desudarunt, non multas ex Europæis novas species, aliquas tamen, à nobis adinventas jactitare possumus: verum plerasque accuratius descriptas & à se invicem distinctas, omnes in methodum commodiorem redactas, non injuria (ut puto) gloriamur.

Ejusdem piscis duas non raro icones exhibemus, vel cum primitus sculpta minus placeret, & meliorem postea nacti sumus, vel cum non satis certi essemus, an duæ quæ offerrentur figuræ ejusdem piscis essent necne, vel cum piscis nobis incogniti, utraicon melior esset, nesciremus.

Quod si tu, Lector candide & ingenue, (nam iniqui rerum æstimatores probent improbentne ciccum non interduim) conatus hosce nostros benevole acceptes, operis suscepti non pænitebit, quin idoneum existimabo retulisse me

Id pretium studii vigilatorumque laborum.

FINIS.

Annotationes in Tabulas.

TAB. A.1.n.3. non est Balænæ icon, sed Cetacei piscis *Pot Walfish* Belgis dicti, Clusio in Exoticis descripti & depicti. Tab.B.9.*l.*Cucuri.T.C.1.n.2 *l.*Aiereba.T.F.8.n.6.*l.* Aramaca. T.G.2.n.1. *post* maculis *supple* carens. n.2.*l.*medium.T.G.7.n.6.*l.*Ophidion.T.G 8.n.4. *l.* Misgurn. Iperuquiba Brasiliensium in hac Tabula depicta in Appendicis Tab.9.iterum exhibetur sub titulo Remoræ Imperati T.H.2.n.1. Sorghe marina Venetorum idem piscis videtur mustclæ vulgari perperam mustlcæ fluviatili dicta T.H.4.n.4.T.1.8. n.1. *l.*Atinga.n.2.*l.*Atinga T. I.9.n.3.*l.*capite.T.L.m 1.n.1.*l.*Schonfeldii bis T.M.1.*l.* Mackerel. T. M.3. Trachurus *Salv.* male pingitur cum tribus in dorso pinnis: posteriores duæ una debent fieri pinna continua, quin & extra locum hic ponitur in Thynnino genere. Tab.M.5. *l.*Guarapucu. Oxyrhynchus male etiam pingitur hic piscis cum tribus in dorso pinnis, duas enim tantum habet, & posteriorem etiam parvam, adiposam, sine radiis, ut hujus generis reliqui. T.N.7. *l.*Reutel.T.N.12.*l.*Marsione. T.O.1.n.1.*l.*Nhaquunda,n.4.*l.*Guarerua,T-P. 6.n.1. *l.* Camaripuguacu, T.P-7. n.4. *l.* Antacæus,T.2.3.n.1.*pro* Erythrophthalmos,*l.*Rutilus latior an Ballerus *Rondel.* T. 2. 4.n.2. Hic piscis iterum exhibetur Tab.2.10.n.1. sub titulo Capitonis,T.2.7.n.1.*l.*Piquitinga,*l.*Guaru guaru,T.2.10.n.5. dele Rothang. Germanis,T.S.5. *l.* cuculus,T.S.18. *l.*Abaca, Corocoro. Guatucusa, cujus icon repetitur, Tab. X 8. T.S.21. *pro* Corvus *l.*Umbra,*Rond.*T.V.1. Synagris Rondeletii iterum exhibetur,T.Y.3. sub titulo Denticis *Salv.*Tab. X.4.*l.* Julis,T.X.14.*l.*Cernua.*App.*T.3.*l.*Guarabucu,T.4.*l.* grunniens,T.7. Gallus marinus seu Faber Indicus antea,T.S. 18.p ingitur e *Marggravio* sub titulo Abucatuaia.

Errata Typographica.

Pag.3.lin.47.*lege* capessit,p.4.l.48.*l.* caudæ,p.10.l.5.*l.*dilatatione, p.15.*l.*51.*l.*ad,p.16.l.7.*l.*natatui,p.17.l.19.*l.* indagator, l.26.*l.*succum ,l.36.*l.*deciderent,p.20.l.25.*l.*tolerant, p.21.l.6.*l.*marinos,l.54 *l.*duæ pinnæ, p.22. l.10. *l.*serrata,p.25.l.28. *l. Codfish*,l.31.*l.*luscus, l.32.*l Haddock*,l.44.*l.*griseus,p.24. l.2.*l.gelt*,l.9.9.*l.*Celerinus,l.29. *l.* varius,p.25.l.6.*l.*quodnam,p.28.l.33.*l.*odorandum,p.32.l.5.*l.*præpinguis,l.24.*l.*ano,l.31.*l.*lævi,p.35.l.38,*l.*isthic,p.38. l.19.*l.*apparitores,p.40.l.35.*l* excedere,l.43. *l.*politissima, p.41.l.5. *l.* magnitudinis, p.43. l.16 *l. Groenlandia*, & l.18.*l.balænæ*,p.46.l.9.*l.Cruyshaye*,p.47.l.36.*l.*inferior,p.48.l.51.*l.*Carcharias, p.49.*l.*antepen.*l.*Glossopetræ, p. 56. l.15.*post* segmentum *supple* circuli, l.23. *post* sunt *dele* punctum periodi, p.57. In titulo cap. 11. *l. exoticis*,p.63.l.4. *l.*quem, l.12. *l.* cartilagines, p.66.l.33.*l.*ossibus,p.70.l.16.*l.*apponitur, l.37.*l.* Latera,p.75.l.3.*l.*vastam, *l.* rictus, l.20. *l.*interlati, p.77.l.36.*l.*urinæ, p.84.l.16.*l.* ut,p.89.l.8. *l.*feri, p.99.l.31 *l.*pulmonum, p.101.l.18. *l.* margines, p.105.l.32.*l.*excrementitia,l.52.*l.*loro,p.108.l.18.*l.*ano, p.111.l.33.*l.*propagari,l.37. *l.*Tiguri,l.41.*l.* voracitate. p.115.l.22.*l.*laetralibus,p.119.l.21.*post* pisces *pone* periodum, p.123.l.24. *l.* gossipii, p. 126.l.24. *l.*Trissia, p.127. l.30.*l.*albæ,p.132.l.ult.*l.*colore,p.137.l.23.*l.*Reliquarum,l.28.*l.*reflexæ, p.151. l. 19.*dele* imo, p.152. l. *antepenult.* *l.*validissimis,p.153.l.12.*l.*omnes,l.18 *dele* com.p.156.l.25 *l.*minutissimis,p.157.l.12.*l.*cysti,l.*antepenult.l.*incisuras, p.158.l.ult.*post* ostendi *pone* colon,p.159.l.8.*l.*conspicuam,p.160.l.26.*l.*marina, p.161.l.24.*l.*eum,p.166.l.6.*l.*surculos,l.9.*l.*natatoria,l.24.*l.*Merlucio,p.167.l.4.*l.*Blasio,p.169.l.24.*l.*barbula, p.183.l.35. *l.* ei, p.185.l.15. *l.* sumptæ,p.187.l.21.*l.*posteriore.,p.191.l.22.*l.*ultra,p.195.l.20. *l.*Umbla,p 202.l.37.*l.*fluviatilis,p.212.l.33. *l.*Bætico, p.214.l.9.*l.*Hispaniam,p.224.l.24.*l.*Chalcis,p.228.l.41.*l.*serrato,p.274.l.5.*l*,certi,p 275.l.36.*l.* piscis, p.312.l. 43. *l.* Dentalis, p.314.l.39.*l.*Orphus,item p.315.l.4.p.320.*l.penult.l.*easdem,p.322.l.10.*l.* præcipue,p.323. l. 34. *l.* cinædus,l.40.*l.*spinas,p.324.l.6.*l.*libidinosi,l.17 *l.*deducta,l,24.*l.*Quæ,p.325.l.10.*l.*Cauda, p.328. l.34. *l.* cinnabrii, p.329.l.40.*l.*Perca,p.332.l.5.*l.*aereum, p.334.*l.*40.*l.*ut.

*Append.*pag.1.lin.27. *lege* varia,p.6.l 11. *l.* salubris,l.29.*l.*marinæ,p.9.l.31.*l.*cartilaginei, p.12.l.6.*l.*citato,p.13. l.*penult.l.*obliquius,l.19.*l.nostra*,p.15.l.33.*l.*pisce, p.19.l.29.*l* C. l.34 *l.* inferius, p.20.l.35.*l.*pisciculus,p.22. l.22. *l.*exasperantur,l.23.*l.*pisci,p.23.l.26.*l.*angustæ,p.24.l.11.*l.*Indici, l.19.*l.*picturis,p.14.l.2.*post* decurrebat, *dele* periodum,p.17.l.32.*post* referens,*dele* periodum,p.11.*l.*citius,p.19.*l.*acuminatur,p.20.*l.*circumscriptis, *l.*Hippocampus,l.meminit,p.21.*l.*partem, p.22.*l.*digitos.

INDEX.

Prior numerus indicat Paginam; posterior Tabulam & Figuram.

	Pag.	Tab. Fig.
A*Bacatuaia*	295	S. 18.
Acacana v. Nieremb. H.N. l. 11. *c.* 25.		
Acara	337	X. 8.
Acara aia	329	X. 7
Acaramucu	91	E. 2
Acarnan Rondeletii	312	U. 1
Acarapeba	333	
Acara pinima	310	
Acara pitamba	337	X. 8
Acara pucu	336	
Acarauna	217	O. 1
altera major. Appendix	23	O. 3
exigua nigra	ibid.	ibid.
minor quadrata M. S. R.		ibid.
Acipenſer, i. e. *Sturio*	239	P. 8
Aculeatus marinus major Schonf.	340	X. 13
deſcript. Appendix	23	
Acus vulgaris ſeu Oppiani	231	P.2.Ap.2.
altera minor Bellonii	232	P. 2
maxima ſquamoſa. Appendix	22	P. 8
Indica, maxima infer. prod. Appendix	4	P.8.Ap.6
Acus Ariſtotelis	158	I. 25
altera ſpecies	160	ibid.
Adonis ſeu Exocœtus	135	H. 4. H.6
Agonus	226	P. 3
Aiereba	68	C. 1
Alauda non criſtata	133	H. G.
criſtata	134	ibid.

Albula

Albula simpliciter dicta	184	N. 4
cœrulea	185	N. 10
minima	116	.
marina Indica		
nobilis Schonfeld.	App. 3	App. T. 7
Alburnus Ausonii	124	N. 6
lacustris Gesn.	263	Q. 10
Albus Salviani		Q. 8
Alosa seu Clupea	259	Q. 4
Alphestes sive Cinædus	227	P. 3
Amia	323	X. 5
Ammodytes Gesneri, i. e. Sand-eels	296	S. 16
Amore guacu	113	G. 8
Amore pixuma	203	N. 13
Amore tinga	ibid.	
Anguilla	ibid.	
Indica	109	G. 5
Angoella pisciculus	App. 3	App. T. 3
Anthias primus Rondeletii	209	N. 12
secundus, Aselli species	325	X. 5
tertius	ibid.	
quartus	ibid.	X. 5
Antacæus	ibid.	ibid.
Aper Rondeletii	243	P. 8
Bellonii	296	I. 5
Aphya Cobites		ibid.
Apua Phalerica	207	X. 14
vera	341	
Aramaca	ibid.	X. 14
Aquila	99	
marina Indica	64	C. 2
Araneus major, e. i. *Draco major*	App.	Ap. T. 10
minor	882	S. 10
Arnoglossus Rondeletii, Soleæ species	289	S. 10
Asellus major vulgaris		F. 8
alter sive Merlucius	165	L.m.1.n.1
Callarias Tinca marina	174	L.m.1.n.1
niger, Colefish	205	N. 13
longus, Ling	168	L.m.1.n.3
tertius sive Æglefin	175	L.m.2.n.2
luscus	170	L.m.1.n.2
mollis latus	169	
mollis major	App. 22	L.m.1.n.4
mollis minor	170	L.m.1.n.5
flavescens	171	L.m.1.n.1
varius vel striatus	173	
virescens	172	L.m.1.n.1
Asinus Antiquorum, The Haddock	173	L.m.1.n.1
Asper pisciculus	170	L.m.1.n.2
Atherina	293	S. 14
Attilus Padi	209	N. 12
Aurata, Chrysophrys	240	P. 8
	307	U. 5

B

Bagre variæ species		
Balæna vulgaris	139	H.7.Ap.6
vera Rondeletii	35	
	38	

Ballerus

Ballerus Rondeletii	250	Q. 6
Barbus	259	Q. 2
Barbota, i. e. *Mustela fluviat.*	125	H. 4
Bezola, i. e. *Albula cærulea*	185	N. 10
Blennus	131, 138	H. 3
Blicca Schonfeldii	228	
Bont-fish *Belgis*	App. 6	App. T. 8
Boops	317	U. 8
altera Rondel.	ibid.	ibid.
Boopis rara species	ibid.	ibid.
Brama Saxatilis Indica mar.	App. 1	App. T. 1
marina cauda forcip.		U. 12
Bubulca Bellonii	267	
Buglossus, i. e. *Soleæ species*	100	F. 7

C

Camaripu guacu		
Camuri	230	P. 6
Canis drachari as	271	
alia species Indica	47	
carchariæ Gesneri icon	App. 5	App. T. 5
Canis galeus Rondeletii		B. 6
Canicula Aristotelis	51	B. 6
Cantharus	62	B. 4
Caper sive Capriscus Salv.	310	U. 1.
Caprisci seu Guaperuæ variæ species	152	I. 19
Capeuna	App. 21	App. T. 1
Capito sive Cephalus	307	Q. 8
anadromus	255	Q. 4. Q. 10
cæruleus	257	
fluviatilis rapax	256	Q. 6
lacustris	ibid.	
Carapo	285	
Carassius	114	G. 7
Carauna	250	Q. 6
Carpio Benaci lacus	326	X. 7
Cataphractus Schonfeldii	197	N. 5
Cataphr. Brasiliensis e Mus. S. R.	212	N. 6
Catulus major	213	N. 13
maximus	62	B. 4
minor	63	
Chalcis, i. e. *Harengus minor*	64	B. 4
Channe	224	P. 1
Channadella	327	X. 4
Chromus	326	
Ceixupira	330	X. 5
Celerimus, i. e. *Harengus minor*	298	S. 18
Centrine	223	P. 1
Cernua Bellon. i. e. *Perca aurata*	58	B. 2
Cestrius Rondel. Mugilis species	334	X. 14
Cete	274	R. 4
Citharus Rondeletii	26, 41	1
Citharus flavus seu asper	101	F. 8
Clarias Nilotica Bellonii	101, 102	F. 8
Clupea, v. *Alosa*	126	H. 4

Cobites

Cobites fluviatilis barbatula	265	Q. 8
barbatula aculeata	ibid.	ibid.
fluviatilis Rondel.	266	Q. 6
Colias Rondeletii	181	M. 1
Colia ſive Lacertus	181,182	Ap. T. 5
Columba marina Orbis ſpecies	App. 5	
Conger	111	G. 6
Indicus maculoſus	App. 24	G. 1
Coracinus	300	S. 21
Coracorhynchos Indicus	App. 2	Ap. T. 7
Corcovada	App. 24	U. 11
Coorza Piſonis	App. 16	M. 6
Corax Rondeletii	280	S. 1
Cornu Monocerotis piſcis		A. 2
Corocoro	301	S. 18
Corretta Piſonis Belg.	Ap. 16, 24. Ap. 5	M.6.Ap.9
Corvus Salviani	300	S. 3. S.20,
Cottus Rondelet. i e. *Gobio capitatus*	137	H. (21
Cruyſhaye Belgis Canis ſpecies.	55	B. 9
Cuculus	281	S. 2
Cugupu gaucu Jacob Evertzen	303	T. Ap. 6
Cucuri Braſiliens. Caſſaon Luſitanis	53	B. 9
Curema	277	
Curimata	185	R. 4
Cururuca	334	
Curvata pinima	179	
Cinædus ſeu Alpheſtes	323	
Cyprinus	246	Q. 1
clavatus	247	Q. 2
latus, i. e. *Brama*	248	Q. 10

D

Dacolithus Geſn. i. *Cobites*		
Delphinus	28	A. 1
Delphinus Belgis, Dorudo, Guaraçapema	214	O. 2
Diabolus marinus Indicus	App. 5	Ap. T. 11
Dobula Schonfeld.	267	
Dentex ſive Synodon	312	V. 3
Draco marinus major	288	S. 10
major	289	ibid.
Dracunculus Rondeletii	136	H. 6

E

Encraſicolus	225	P. 2
Eperlanus Schonf. The Smelt		N. 6
Eperlanus fluviatilis	202	
Erythrinus	311	U. 6
Exocœtus, i. e. *Adonis*	135	H. 6. H. 1
Exocœto ſimilis	132	

F

Faber piſcis	294	S. 15
Indicus	App. 3	Ap. T. 7
Falx Venetorum Bellon. Tænea 3.	117	G. 7
Farra	185	N. 10
Fiatola, i. e. *Stromateus*	156	I. 4
Fundulus, i. e. *Cobites barbatula*		

G

INDEX.

G

Galei genus Clus. *Acanth. exot.*	57	B. 9
Galerita, i. e. *Alauda cristata*	134	H. 6
Galeus acanthias	56, 57	B. 5
asterias	61	
glaucus	49	B. 8
Rhodius, Acipenseris sp.	239	
Gallus grunniens Indicus	App. 3	App. T. 4
Gattorugine Venetis	132	H. 2
Gladius	161	I. 27
Glanis	128	H. 5
Glaucus primus Rondel.	297	S. 14
secundus & tert.	298	ibid.
Gobio capitatus	137	H
Gobius fluviatilis	264	Q. 8
fluviat. minor	ibid.	
Gobius niger Rondel.	206	N. 12
Secundus, Paganellus	207	N. 12
tertius, Iozo Salv.	ibid.	N. 12. n. 4
Grislagine	263	Q. 1
Guacari	277	R. 4
Guacucuia	89	
Guaibi coara	315	Q. 6
Guamajacu Ape	149	
Atinga, Orbis species.	155	I. 8
minor	ibid.	
Guara	147	I. 5
Guaperua	90	E. 2. O. 2
Guara-pucu Bras. Koningfish *B.*	App. 16	App. T. 3
Guaracapema	214	M. 5
Guaratereba	291	S. 18
Guarerua	218	
Guaruguaru	269	Q. 7
Gautucufa	102	S. 18. X. 8
Guatucupa juba	336	
Guebucu	163	I. 27. Ap. 5
Gunnellus Cornubiensium	115	G. 8

H

Harder Belgis, i. e. *Mugilis species*	276	R. 4
Harengus	219	P. 1
minor Indicus	App. 2	App. T. 1
Harengus minor Pilchard	223	P. 1
Hasela seu Cephalus fluv. min.	261	Q. 10
Hepatus	314	U. 1
Hepsetus	209	
Hiatula, i. e. *Channe*		
Hippoglossus	99	F. 6
Hippocampus	157	I. 25
Hippurus, i. e. *Dorado*	213	O. 1
Hirundo	279, 280	P. 4
Histrix Clus.	146	I. 5
longissimis spinis	App. 155	I. 6
Holosteon s. Ostracion Nili	148	
Huch Germanorum		N. 1
Huso	243	P. 7

I

Jacob Evertzen, i. e. *Cugupu guacu*	App. 4, 24	Ap. T. 6
Jaguaca guare, Mormyli sp.		
Jaguaraca	332	X. 7
Ichthyocolla	244	
Iperuquiba	119	G. 8
Julis	324	X. 4
Juruucapeba	325	X. 7

K

Klip-visch Belgarum	App. 6	Ap. T. 5
Konings fish *Belg.* i. e. *Guarabucu*	App. 3, 24	Ap. T. 3
Knorre pot Piscis grunniens	App. 3	

L

Lacertus	232, 290	M. 2
Lævirdia Salviani s. Raia Oxyrynch.	71	C. 4
Lamia	47	
Lampetra major	105	G. 2
fluviatilis	104	G. 2
media	106	G. 3
cæca	107	G. 3
Indica	App. 4	Ap. T. 6
Latus Rondeletii	301	
Lavaretus	183	N. 10
Lepras	321	X. 4
Leuciscus	260	Q. 10. n. 3
2 Rondeletii	ibid	Q. 10.
Liparis	115, 135	H. 6
nostras	App. 17	H. 6. n. 1
Lota Gallorum	125	
Lucerna seu Cuculus Bellon.		S. 5
Lucius	236	P. 6
Lucioperca Schonf. i. e. *Schilus*	293	S. 14
Lumpas Anglorum	208	N. 11
gibbosus	209	N. 10
Lumpen Antverp. Mustelæ spec.	120	H. 1
Lupus	271	R. 1
marinus Schonfeld.	130	H.
Lycostomus Balthicus	225	P. 2
Lyra	281	S. 1
Lyra Salviani	283	S. 3

M

Mœna	318	U. 8
Maltha Rondel.	50	
Marena Schonfeldii	229	
Marsione Venetorum Aph. Cob.	207	N. 12
Maturaque	235	P. 6
Melanurus	311	U. 2
Membras, Apuæ species		
Merula Salviani	320	X. 1
Mesovo vel Blennus Salv.	131	H. 3
Milvus	283	S. 6
Misgurn Norimbergens.	118	G. 8

Molva

Molva, Aselli species		
Mola Salviani	151	I. 26
Monoceros Cete	App. 12, 42	A. 2
piscis	150, 216	O. 4
Mormyrus	329, 330	X. 6.
Mucu	106	G. 7
Mugilis Salviani & aliorum	274	R. 3. R. 4
Mullus major	285	S. 7
major Hispanicus		S. 8
minor	285	S. 7.
imberbis	278	S. 1
asper	ibid.	S. 1
2 *Mustelus lævis*	51, 60	B. 5
spinax	App. 56	B. 5
3 *Mustela marina vulgaris*	121	H. 4
1 *Muræna*	103	G. 1
Mustela	120, 121	
Indica	App. 4	Ap. T. 4
fluviatilis	125	H. 4
fossilis	124	
lacustris	126	
vivipera Schonfeld.	222	H. 3
Myrus alter s. Serpens ru.	109, 118	G. 7
Mystus marinus	316	
fluviatilis, i. e. *Barbus*	259	Q. 2
N		
Nhamdia	140	
Nhaquunda	216	O. 1
Narinari	66	C. 1
Nasus	254	Q. 10
Niqui	289	S. 11
Novacula Rondel.	214	O. 2
O		
Oculus coccineus, piscis Ind.	App. 24	U. 10
Ophidion Plinii.	112	G. 7
Orcynus, i. e. *Thunnus adultus.*		
Orbis primus Rondel. Salv.	143	I. 1
lagocephalus	144	I. 2
hirsutus densis & exiguis muricibus	155	I. 3
Orbis scutatus Rondel.	144	I. 4
echinatus seu muricatus Rond.	ibid.	ibid.
muricatus & reticulatus	155	I. 7
Ranæ rictu Clus.	145	I. 9
Guamaiacu atinga Brasil.	ibid.	I. 8
Atinga min. orbicul.	155	ibid.
spinosus Clus.	146	
muricatus alter Clus.	147	
oblongus Testudinis capite	ibid.	I. 9
muricatus Indicus		App. T. 5
Orca	40	
Orfus Germanorum	253	Q. 9
Orphus	315	U. 1
Orthragoriscus Rondel. i. e. *Mola.*	151	I. 26

Ostracion prior Aldrov.	148	I. 10
alter gibbosus Aldrov.	156	I. 9
Oxyrhynchos Rondeletii	187	N. 1
P		
Pagrus	313	U. 1.
Indicus	App. 1	App. T. 1
Pacamo	120	H. 7
Parati	277	O. 1
Parrot-beck Belgis	App. 24	X. 9
Paru	217	
Passer Bellonii, A Plaise	96	F. 3
asper seu squamosus	97	F. 4
fluviatilis, A Flounder	98	F. 5
Pastinaca marina	65, 67	C. 1. C 3
Pavo Salviani	322	X. 3
Pecten Pesce pettine Salv.	214	O. 2
Peixe porco Lusit.		App. T. 4
Pelamis cœrulea	179	M. 2
Sarda	ibid	M. 1
Perca marina	328	X. 6
fluviatilis major	291	S. 13
minor	334	X. 14
Ambionensis	App. 1	App. T. 2
Petimbuaba	233. App. 2, 22	P. 6. Q. 9
Phalacrocephalus Indicus	App. 2	App. T. 2
Phocæna	31	A. 1
Pholis	135	H. 6
Phoxinus squamosus	267	Q. 8
major	267	
lævis	268	Q. 8
lævis major	ibid.	
Physeter Cete	A. 7	
Piaba	269	Q. 7
Piabucu	204	N. 13
Pigus	247	Q. 2
Pilot-fish	47	App. T. 8
Piquatingua	268	Q. 7
Piraaca	150	I. 4
Pira acangatara	338	
Pirabebe, i. e. *Milvus Salv.*	App. 18	S. 6
Piracoaba	204	N. 13
Pirajurumembeca	333	
Piranha	234	
Piranema	339	
Pirapixanga	321	X. 7
Piraquiba, i. e. *Iperuquiba*	119	
Piratiapia	328	X. 7
Paritiapua	304	T.
Piraumbu	328	X. 7
Piraya	234	P. 6
Pisciculus aculeatus Rondel. i. e. *Pungitius*		X. 14
Pisciculus cornutus Bontii	App. 20	I. 13
Piscis cornutus Indicus	App. 5	Ap. T. 10
Piscis gibbosus	App. 4	App. T. 4
gutturosus	132	H. 2

triangulus

triangularis max. Indicus	App. 19	
triangularis cornibus carens	App. 20	I. 13
triang. cornutus Clus.		I. 14
triang. aculeo prælongo in media cauda	App. 1	I. 15
triang. capite non cornuto	App. 20	I. 16
triang. ex toto cornibus carens	ibid.	I. 18
Piscis triang. ex toto maculosus	App. 20	I. 17
Piscis quadrangularis maximus	App. 20	I. 11
quadrang. majusculus rostratus	ibid.	I. 10
quadr. mediocris maculosus	ibid.	I. 12
quadr. gibbosus	ibid.	
Piscis stercorarius	App. 2	Ap. T. 2
Piscium ætas	19	
auditus	6	
branchiæ	8	
cerebrum	5	
dentes	2	
divisio	20	
generatio	16	
motus varii	14	
oculi	2	
2 pinnæ	4	
1 partes internæ, ventriculus, Appendices, intestina, Cor, renes, vesica	11. App. 9	
squamæ	5	
Vesica natatoria	12	
victus	13	
præparatio	App. 10	
Escæ	App. 27	
Pit-fish Belgis	App. 6	Ap. T. 8
Pompilus	215	O. 1
Pristis, i. e. Serra	61	B. 9
Psittacorhynchos Parrot-beak	App. 24	X. 9
Pudiano vermelho	338	X. 8.
verde	339	X. 9
Punaru	134	H. 7
Pungitius	341	X. 14
Puraque	80	D. 5
Q		
Quadratulus Rondeletii	96	F. 3
R		
Raia	68	D. 1
asperrima	78	D. 2
Asteria aspera	73	D. 2, 5
Asterias lævis	ib.	C. 1
clavata	74	D. 2
clavata alia	75	D. 2
Fullonica	78	
lævis undulata	69	C. 5
oculata lævis	72	
oculata Gesneri	73	D. 5
oxyrhynchos Læviraia	71	C. 4
Spinosa Rondeletii	70	
Rana piscatrix	84	E. 1

L

Remora

Remora Imperati	119	Ap. T. 10
Reutel sive Rotele umbla min. Gesn.	186	N. 7
Rhomboides Rondeletii	96	F. 8
Rhombus aculeatus Rondeletii	93	F. 8
maximus asper, non squamos.	94	F. 2
non aculeatus squamosus	95	F. 1
lævis Rondeletii	96	
Rubellio Salv. i. e. *Erythrinus*	311	U. 6
fluviatilis	252	Q. 3
Rutilus fluviatilis	268	Q. 10.
S		
Sachetus Venetorum	326	
Salar. & Varius		N. 3
Salmo	189	N. 2
Salmulus	190	ib. & N.4
Salmerinus	201	N. 9
Salpa	316	U. 7
Sand-creeper *Belgis Ammodites*	App. 24	G.
Sand-eels *Anglorum*	113	G. 8
Sarachus Epirot. Bellon. i. e. *Agonus*	226	
Sarda	224	
Sardina	ibid.	
Sargus	309	U. 4
Saurus	App. 28	P. 5
Scarius onias	305	U. 1
varius	306	ibid.
Cretensis	App. 23, 307	X. 10
Sciæna, i. e. *Umbra*		
Scolopax	160	I. 25
Scomber	181	M. 4
Scorpius major	331	X. 12
minor, Scorpæna Sal.	ib.	X. 13
Virginianus	App. 25	X. 15
Scorpæna Bellonii	138	H. 4
Schilus	293	S. 14
Schraitser	335	
Schrollus	ibid.	
Serpens marinus	107	G. 4
marinus alter	108	
marinus maculosus	App. 19	G. 9
rubescens Aldrovandi	118	G. 7
Silurus	128	H. 5
Smaris	319	U. 8
Solea	100	F. 7
oculata & aliæ species	ibid.	F. 8
parva sive lingula Rond.	ibid.	F. 8
Sparus	308	U. 2
Sphyræna s. Sudis	273, 229	R. 2
parva Rondel.		P. 2
Sprattus	221	
Squalus Veterum, i.e. *Capito*	255	Q. 4
Squatina	80	D. 3
Squatino-raia	79	D. 5
Stromateus	156	I. 4
Stip-fish *Belgis Piscis Indicus*	App. 7	

Sturio

Sturio	239	P. 8
Sudis Salviani, i. e. *Sphyræna*	273	R. 2
Synagris	313	U. 1
Synodon ſ. Dentex	312	ibid. U. 2
T		
Tamoata	211	N. 13
Tænia	116	G. 7
altera	117	
cornuta Schonfeld.		Q. 8
Tobacco-pipe i. *Petimbuaba*	233	P. 6. P.6
Tajuſica		G. 7
Tareira d' Alto	203	N. 13
de Rio	238	P. 6
Thunnus ſive Thynnus	176	M. 1
Thymalus ſive Thymus Salv.	187	N. 8
Tiburonus	49	
Tinca	251	Q. 5
marina		N. 13
Torpedo	80,81	D. 4
Trachurus Salviani	290	M.2. S.12
Triſſia, i. e. *Muſtela lacuſtris*	126	H. 5
Trutta fluviatilis	199	N. 4
Salmonata	ib.	N. 1
Turdi variæ ſpecies	320. App. 25	X.1. X.9
V		
Vbirre de Laet.	App. 3	
Verdone Salv. i. e. *Turdus major viridis*	322	X. 2
Varius ſeu Phoxinus lævis	268	Q. 8
Verkins beck, i. e. *Porci Roſtrum*	App. 24	U. 9
Veſpertilio marinus Indicus	App. 24	O. 5
Vmbla major	195	N. 1
minor	196	ibid.
Vmbra	299	S. 19
fluviatilis Thymatus	188	
Vranoſcopus	287	S. 9
Vribaco	338	
Vburana	230	P. 6
Vulpecula marina	54	B. 6
Wit-fiſh *Indicus Belgis*	A. 6	Ap. T. 8
X		
Xanthurus Indicus	App. 2	App. T. 3
Xiphias, i. e. *Gladius*	161	I. 27
Z		
Zigana ſive Libella	55	B. 1

FINIS.

Index PISCIUM

IN

ICHTHYOGRAPHIA WILLUGHBEIANA

vel deſcriptorum vel depictorum, eorumque NOMINUM *Anglicanorum*, *Belgicorum*, *Germanicorum*, *Gallicorum*, *Italicorum*, *Luſitanicorum*, &c.

Additis SYNONYMIS, per varias *Magnæ Britanniæ* Provincias *uſitatis*, ex Notis MSS. *Tancredi Robinſon* ad Exemplare hujus Libri in Bibliothecâ *Regalis Societatis*, ex Synopſi methodicâ Piſcium *Joannis Raii*, ex *Gualteri Charletoni* Exercitationibus de Differentiis & Nominibus Animalium, ex *Chriſtophori Merretti* Pinace rerum Naturalium Britannicarum, ex *Nehemiæ Grew* Muſeo Regalis Societatis, ex D^ni *Hans Sloanii* Hiſtoriâ naturali Jamaicæ, & *Marci Catesbeii* Hiſtoriâ naturali Carolinæ, Floridæ, Inſularumque Bahamenſium, *collectis*, curâ

CROMWELLI MORTIMERI, *Reg. Soc. Secret.*

N. B. *Synonyma nonnulla in paginis vel tabulis citatis quidem non occurrunt*; *ad eaſdem tamen, ubi deſcriptiones vel figuræ ſub nominibus inveniuntur Latinis, cum his ad fidem prædictorum auctorum ſedulò collata referuntur.*

Prior numerus paginam, *Litera cum numero majuſculo* tabulam, *numerus parvulus ipſam* figuram *piſcis in tabulâ notatâ indicat.*

A

ABlet, *Bellon.* 263. Q. x. 7.
Adano, *Ital.* 241. P. vii. 2.
Adder Sea- 160.
Adelaer Zee- *Belg.* App. 6. Tab. x. 3.
Adello, *Ital.* 241. P. vii. 2.
Ael, bont-, *Belg.* App. 4. Tab. vi. 2.
—— meer- *Belg.* App. 3. Tab. iii. 3.
—— moder, or Ael mutter. 122. H. iii. 5.
—— putt. 125. H. iii. 4. 122. H. iii. 5?
—— quabben. 122. H. iii. 5. App. 4. Tab. iv. 3.
Aelem, *Belg.* App. 3. Tab. iii. 3.
Aeſch, *Germ.* 187. N. viii.
Albacore. App. 16. 29. M. v. 1. App. Tab. ix. 1.
Alba Coretta. App. 16. *Piſon.* M. v. 1. App. Tab. ix. 1.
Albelen, *Geſn.* 184. N. iv. 1.
Alblen, *Germ.* 263. Q. x. 7.
Alboro, *Venet.* 311. V. vi.
Allactants, Mugils, *Gall.* 275.
Aloſe, *Gall.* 227. P. iii. 1.
Altavela, *Neapol.* 65. C. i. 3.
Amorea, *Braſil.* 203.
Anchovies. 225. P. ii. 2.
Angel-fiſh. 79. D. iii.
———— *Bahama.* App. 23. O. i. 2. O. iii. 1.
Angelo peſce, *Gen.* 79. D. iii.
Anguella, *Venet.* 209. N. xii. 2.
Ape, or Sea-fox. 54. B. vi. 2.
Aquilone, *Rom.* 64. C. ii.
Arboro, *Venet.* 311. V. vi.
Argentina, *Rom.* 229. P. ii. 1.

 Bagaty,

B

Bagaty, *Scot.* 209. N. x. 2.
Bagre, *Luſ.* 139. H. vii.
Balance-fiſh. 55. B. i.
Baleſtra, Peſce. *Rom.* 152. I. xix.
Bambèle, *Geſn.* 267. Q. viii. 5.
Banſtickle. 341. X. xiv. 1. 342.
Baracol, *Venet.* 72.
Barbel. 259. Q. ii. 1.
Barboni, *Venet.* 285. S. vii. 2.
Barſe. 292. S. xiii. 1. 2.
Baſſe. 271. R. i.
Batt, Sea- O. v. App. 24.
Batte potta, *Genuenſ.* 81. D. iv.
Bavoſa, *Provinc.* 135. H. vi. 4.
Bearded-Loach. 265. Q. viii. 1.
Beccaſſe de Mer, *Gall.* 163. I. xxvii. 1.
Becuda, *Luſ.* 163. I. xxvii. 1.
Beiſsker, *Germ.* Muſtela foſſilis, 124. G. viii. 4.
Bellows-fiſh. 160. I. xxv. 2.
Berſich, *Germ.* 292. S. xiii. 1. 2.
Bib. 169. L. m. 1. iv.
Billards. 169.
Bird-bolt, a. H. iv. 5.
Black-tail. 311. V. ii. 1.
Blank Kohlmullen, *Germ.* 173.
Blay, a; or } 263. Q. x. 7.
Bleak. }
Blick. 228. *Germ.* 250. Q. vi. 1.
Blike, *Miſen.* 257.
Blinds. 169. L. m. 1. iv.
Blue-caps. 193.
—— Fiſh, *Bahama Iſl.* 214. O. ii. 2.
—— Shark. 49. B. viii.
Bocca in capo, *Ital.* 287. S. ix.
——- molle, *Ital.* 333.
Bodiano, *Luſ.* 339. X. viii. 1.
Boga, *Ital.* 317. V. viii. 1.
Bogue ravel, *Monſpel.* 317. V. viii. 2.
Bonito, *Luſ.* 179. S. xii. 214. O. ii. 1. App. 16.
Bont-Ael, *Belg.* App. 4. Tab. vi. 2.
——- viſch, *Belg.* App. 6. Tab. viii. 3.
Bora, *Taurinis.* 86. E. i.
Botar. 275. R. iii.
Botargo. 275.
Bounce. 62. B. iv. 1.
Bouviere, *Gall.* 267.
Brachſmen, *Helvet.* 249. Q. x. 4.
Brame de Mer, *Gall.* 307. V. v.
Branlin, a. 193. N. ii. 2.
Braſem, *Belg.* 333. App. 1. Tab. i. 3.
Bream. 248. Q. x. 4.
——- Sea. 312. V. i. 5. V. xii.
Bret. 94. F. ii.
Brick, *Belg. & Germ.* 106. G. iii. 2.
Broncini, *Venet.* 271. R. i.
Brueken, *Germ.* App. 18.
Buckshorn, *Cornub.* 181. M. iii.
Buck-thorn, a. *Aſellus exſiccatus.* 171.
Bulcard. 133. H. vi. 2.
Bull-head. 137. H. iii. 3.
Bull-Trout. 193. 198. N. i. 5.
Buncht-back Lump. 209. N. x. 2.
Buraco de Velha, *Luſ.* 315. Q. vi. 4.
Burbot, a. H. iv. 5.
Burbot, *Gall.* 125. H. iii. 4.
But. 94. 98. F. v.
Buts-kopf, *Belg.* Orca Rond, 40.
Butter-fiſh. 115. G. viii. 3.
Butter-fly-Fiſh. 131. H. iii. 2.
Buz, *Germ.* 185.

C

Cabiliau, *Belg.* 165. L. m. 1. i. 1.
Cabote, *Gall.* 280.
Cackerell, the. 318. V. viii. 4.
Cackerell, the white. 319. V. viii. 5.
Cackerell, the Oxe-eye. 317. V. viii. 1.
Capelan, *Maſſil.* 171. L. m. 1. i. 2.
Capone, *Rom.* 281. S. ii. 2.
Caras, *Germ.* 249. 250. Q. vi. 1.
Card-Scate. 70.
Carp. 245. Q. i. 2.
——, prickly. 247. Q. ii. 2.
——, Sea- 319. X. i. 2.
Cartilaginous Fiſh. 45 & ſeq. B. C. D. E.
———————— flat. 64 & ſeq. C. D.
———————— long. 47 & ſeq. B.
———————— oviparous. 85 & ſeq. E.
Caſſaon, *Luſ.* 53. B. ix. 4.
Caſtagnole, *Ital.* 330. X. v. 6.
Cat-Fiſh. 65. C. i. 3. C. iii.
Cat-Fiſh, *Bahama.* 139. H. vii. 7?
Cavagiro, *Genuenſ.* 117.
Cavala, *Luſ.* 179. M. iv.
Cavallo marino, *Ital.* 157. I. xxv.
Cavalo. App. 16.
Caviare. 240.
Cephalus, *Bellon.* 260. 274.
Cepole, *Rom.* 116. G. vii. 5.
Cetaceous Fiſh. 26 & ſeq. A.
Chad, a. 312. V. i. 5.
Charre, gilt. 197. N. v.
Charre, red. 196. N. i. 4. N. vii. N. ix.?
Chayquarona, *Luſ.* 328. X. vii. 5.
Chevalier, Umble, *Genev.* 195.
Chevin, or Chub. 255. Q. x. 1. Q. iv. 2.?
Chewing-Fiſh. 305. V. i. 1.
Chiepa, *Ital.* 227. P. iii. 1.
St. Chriſtoforo & St. Pietro, Peſce di. *Ital.* 295. S. xvi.
Chub, or Chevin, 255. Q. x. 1. Q. iv. 2?
Coal-Fiſh. 168.
Coal-Whiting. 168.
Coat of Mail Fiſh. App. 22. P. viii. 2.
———————— *Braſil.* 212. N. xiii. 5.
———————— *Schonv.* 211. N. vi. 2. 3.

Cock-

Cock-paddle, *Scot.* 208. N. xi.
Cod, barrell'd, 166.
———-Fish, 165. L. m. 1. i. 1.
———-Sounds. 166.
Codlings, ib.
Cole-Fish. 168. L. m. 1. iii.
Comb-Fish. 214. O. ii. 2.
Coney-Fish, *Grew.* 149. I. xiii. xvii.
——————— horned, I. xiv.
Conger-Eel. 111. G. vi.
——————— *Indian.* G. x. 1.
Cook-Fish. 320. X. i. 3.
Coorza, App. 16. *Pison.* M. v. 2.
Coretta alba. App. 16. M. v. 1. App. Tab. ix. 1.
Corret. App. Tab. ix. 1. App. 24. *Belg.* M. v. 1.
Corvina, *Lus.* 302. S. xviii. 5.
Corvo, *di Fortiera.* S. xx.
Corvo, *Venet.* 299. S. xix.
Cramp-Fish. 81. D. iv. G. x. 2.
——————— *American,* 80. D. v. 2.
Creeper, Sand- *Belg.* G. x. 2.
Crow Fish. 300. S. xxi. 280. S. i. 3.
Cruyshay, een. *Belg.* 55. B. i. ix. 3.
Cud-Fish. 305. V. i. 1.
Cull, a. 137. H. iii. 3.
Cunner, the. 321. X. v. 1.

D

Dab. 97. F. iv.
Dace, or / Dare. } 260. Q. x. 3.
Dart, a; or / Dard, } *Gall.* 260. Q. x. 3.
Dentale, *Ital.* 312. V. iii.
Devil, Sea- / ———-Fish. } 85. E. i.
Diabe, *Lus.* 147.
Dobeler, *Germ.* 261.
Dog-Fish, picked. 56. B. v. 1.
———- smooth. 60. B. v. 2.
Dogger, or / Dolphin. } 28. A. i. 1. *Belg.* 214. O. ii. 1.
Donzellina, *Venet.* 121. H. ii. 1. *Ital.* 324. X. iv. 1.
Dorado, *Lus.* 213. O. i. 5? 214. O. ii. 1.
Doree, / Dorn, or / Dory. } 294. S. xvi.
Dorsch, *Germ.* 172. L. m. 1. i. 1.
Dover, *Germ.* 261.
Dragon, a. *Raia exsiccata & formata.*
——— Sea- 288. S. x.
Drummer-Fish, *Jamaic.* 302. S. xviii. 5. X. viii. 4.
Duif, Zee- *Belg.* App. 5. Tab. v. 5.
Duivel, Zee- *Belg.* 85. E. i. App. 5. Tab. ix. 3.

E

Eel. 109. G. v.
Eel, like Fish. 103. G. H.
—— but. 99. F. vi.
—— Conger. 111. G. vi.
—— Pout. 125. H. iii. 4.
—— Sand. 113. G. viii. 1.
—— Sea- 111. G. vi.
—— Silver, 110.
Egel, Zee- *Belg.* App. 5. Tab. v. 2.
Elefants-neuse, *Belg.* App. 4. Tab. vi. 4.
Elvers. 112.
English Fishes, *a Catalogue of.* 22.
Enxaroco, *Lus.* 120. H. vii. 4.
Erchin, Sea- *Histrix,* 146. I. v.
Evertzen, Jacob. *Belg.* 303. T. i. 1. App. 4. 24. Tab. vi. 1.
Eyes, Nine- 104. G. ii. iii.

F

Father-lasher, *Cornub.* 138. H. iv. 3.
Falcone, *Sicil.* 283. S. vi.
Ferra, *Genev.* 183. N. i. 1. 185. N. vi. 1.?
Fiatola, *Rom.* 156. I. iv. 2.
Fierce-flaw. 67. C. i. 4.
File-Fish, *Grew.* 152. I. xix. I. xxii.
——— *Charleton.* 79. D. iii.
———- the long, *Grew.* I. xx.
———- the tallest, *Grew.* I. xxiii.
———- the streaked, *Grew.* I. xxiv.
Fin-Fish. 35.
Fingerins. 193.
Finger-visch, Vyf. *Belg.* App. 7. Tab. viii. 2.
Finscale. 252. Q. iii. 1. 2.
Fire-flaire. 67. C. i. 4. C. iii.
Fisgurn, *Germ.* 118. G. viii. 4.
Fish-glue. 244.
Fishing-Frog. 85. E. i.
Flaire. 69. C. v.
Flat-Fish. 93. & seq.
Flounder. 98. F. v.
Flounder's-head. *Orca* Rondel. 40.
Fluke. 98. F. v.
Fly-Gander, the. 283. S. vi.
Flying-Fish. 223. P. iv. 283. S. vi.
Fork-tails. 189.
Fox, Sea-, or Ape. 54. B. vi. 2.
Fravolino, *Ital.* 311. V. vi.
Fregarola, *Ital.* 268. Q. viii. 7.
Freggia, *Gennens.* 117.
Frog-Fish. 85. E. i.
———- *Brasilian.* 89. E. ii. 3.
Fuller-Scate. 78.

G

Galea, *Venet.* 121. H. ii. 1.
Galeetto, *Livorn.* 133. H. vi. 2.

Gallina,

Gallina. *Rom*, 280.
Gangvifch, *Germ.* 183. N. x. 1.
Gaper. 327. X. iv. 2.
Gar-Fifh. 158. I. xxv. 1. 231. P. ii. 4. App. Tab. iii. 2.
——the green, *Baham.* App. 22. P. viii. 2.
Garanha, *Luf.* 329. X. vii. 6.
Gardon, *Gall.* 260.
Garzetto, *Genuenf.* 320.
Gat Fifh, *Belg.* 321. X. vii. 1.
Gatto Pefce, *Venet.* 62. B. iv. 1.
Gattorugine, *Venet.* 132. H. ii. 2.
Geel-ftardt, *Belg.* App. 2. Tab. iii. 1.
Gelbe Kohlmulen, *Germ.* 173.
Geroom, *Jamaic.* App. 2. Tab. i. 2.
Geftachelt Meer-Taube, *Germ.* 145. I. x. 2.
Giblichen, *Germ.* 250.
Gilt-head, or / —— Poll. } 307. V. v.
Gin-Fifh. 327. X. iv. 2.
Girrock, *Grew.* 231. P. ii. 4.
Glat-Bambel. 268.
Gliffa, *Cretenf.* 179.
Globe-Fifh. 143. I. 1.
——Frog. 145. I. ix. 2.
——the Hare. 144. I. ii.
Glue-Fifh. 244.
Go, *Venet.* 206. N. xii. 1.
Goget, *Venet.* 206. N. xii. 1.
Gold-Fifh. 228. P. III. 1.
Goldlin. 316. U. vii.
Gorais, *Ratisbon.* 249. Q. vi. 1.
Gray. 187. N. viii. 193.
——Grunt, *Acara pinima*, 310.
——Gurnard. 279. S. ii. 1.
Green-Fifh. 166.
Grayling. 187. N. viii. 263.
Grefling, *Germ.* 263.
Grey, *D. Johnfon?* N. i. 4. N. viii?
Greyling, a. 263. Q. i. 1.
Grig, a, *Anguilla parvula.*
—— a Stone, *Lampetra parvula.*
Griflagine, *Auguft.* 263. Q. i. 1.
Groundling. 265. Q. viii. 1.
Grundel, *Germ.* 265. Q. viii. 1.
Grunter, the. 330. X. v. 6.
Gudgeon. 264. Q. viii. 4.
——Sea. 206. N. xii. 1.
Guilt-head, a. 69. C. iv.
Guiniad, *Wallice*, 183. N. i. 1. N. vi. i.?
Gunnells. 115. G. viii. 3.
Gurnard, grey. 279. S. ii. 1.
—— red. 281. S. ii. 2.
—— ftreaked, *Mullus imberbis.* 278. S. i. 1.
Gwrach, *Wallice.* 320. X. i. 2.

H

Habberdeen, *Scot.* 166.
Haddock. 170. L. m. 1. ii.
Hake. 174. L. m. 2. i.
Halb-Karafs, *Germ.* 250.
Half-Fifh. 189.
Harder, *Belg.* 276. R. iv. 1.
Hafle, or / Hafler, } *Helvet.* 261. Q. x. 2.
Haufen, *Germ.* 243. P. vii. 1.
Hautin, *Flandr.* 187. N. i. 3.
Haydeck, or Lizard, 232.
Hayen, *Belg.* App. 5. Tab. v. 1.
Hedge-hog-Globe Fifh. 144. I. iv. 6.
Helbut. 99. F. vi.
Herring. 219. P. i. 2.
—— flying. 223. P. iv.
—— Mother of. 227. P. iii. 1.
Hind, the. *Baham.* 303. T. i. 1. App. 4. 24. Tab. vi. 1.
Holibut. 99. F. vi.
Homelyn, the. 69. C. iv.
Hoorn-vifch, *Belg.* App. 5. Tab. x. 2.
Horn-Fifh. 158. I. xxv. 1. 231. P. ii. 4.
Horned, fquare Fifh, I. xiii.
——triangular Fifh, I. xv.
Horfe, white. 78.
—— Sea- 157. I. xxv. 3. 4.
—— Fifh. ib.
Hound-Fifh, picked. 56. B. v. 1.
—— fpotted. 61.
—— fmooth, unprickly. 60. B. v. 2.
—— rough. 64. B. iv. 2.
Huch, *Germ.* 199. N. i. 6.
Huncheon, *Belg.* 281. S. ii. 2.
Hufen, *Germ.* 243. P. vii 1.
Hufh-paddle, *Scot.* 209. N. x. 2.

I

Jack, a. 236. P. v. 2.
—— poor, *vide* Hake. 166. 174.
Jacob Evertzen, *Belg.* 303. T. i. 1. App. 4. 24. Tab. vi. 1.
Jaquettay, *Luf.* 309.
Icing-glafs. 244.
Jentling, *Germ.* 256. Q. vi. 3.
Jefen, *Germ.* ib.
Illeck, an, *Cornub.* 279. S. ii. 2.
John, poor. 166. 174.
Jozo, *Rom.* 207. N. xii. 4.
Ifis, *the* Pride *of the.* 104. G. ii. 1.
Ifland-Fifh. 166.
Junkerlin, Sea. 324. X. iv. 1.

K

Kabbos, *Belg.* App. 4. Tab. iv. 3.
Kael Kop, *Belg.* App. 2. Tab. ii. 1.
Karpkarafs, *Germ.* 250.

Katje,

Katje, Zee-. *Belg.* App. 5.
Keeling. 165. L.m. 1.i. 1.
Kilch, *Gesn.* 185.
Kingstone, a. *Merret.* 79. D. iii.
Kite, the. 283. S. vi.
Klip-visch, *Belg.* App. 6. 7. Tab. v. 4.
Knorre-haen, *Belg.* App. 3. Tab. iv. 1.
———pott, *Belg.* App. 3. Tab. vii. 3.
Kohlmuien, *Germ.* 173. L. m. 1. i. 3.
Kollen, } *Germ.* 173.
Kolmunder, }
Kommer Eel, *Belg.* App. 24.
Koning's-visch, *Belg.* 179. M. iv. App. 3. 16. 24. Tab. iii. 4.
Koppen, *Germ.* 256. Q. vi. 3.
Krom-rugh, *Belg.* App. 4. Tab. iv. 2.

L

Lampern. 104. G. ii. 1.
Lampery. ib.
——— *Indian.* App. Tab. vi. 2.
Lampreyon, *Gall.* 104. G. ii. 1.
Lamprillon. ib.
Lampuga, *Rom.* 156. I. iv. 2.
Lark, Sea- 133. H. vi. 2.
——— crested. 134. H. vi. 7.
Launces. 113. G. viii. 1.
Lax, the. 243. P. vii. 1.
Leather-mouthed Fishes. 245.
Leccia, *Ital.* 296. S. xvii.
Lentillade, *Gall.* 72. C. iv.
Leper-Fish. 321. X. v. 1.
Lette, or Zerte, *Misen.* 257.
Licette, *Venet.* 156. I. iv. 2.
Limande, *Gall.* 97. F. iv.
Ling. 175. L. m. 2. ii.
Linguado, *Lusit.* 99. F. viii. 6.
Linguatula, *Rom.* 101.
Lissa, *Cretens.* 179.
Liver-Fish. 314. V. i. 7.
Lizard-Fish. 232.
Loch, Sea- 121. H. ii. 1. H. iii. 5?
Loche. 265. Q. viii. 1.
——— *Chester?* 125. H. iii. 6.
Lote, *Gall.* 125. H. iii. 6.
Lucerna, *Venet.* 281. 287. S. ix. ii? v?
Lucio marino, *Ital.* 273. R. ii.
Lug-a-leaf, *Cornub.* 95. F. i.
Lumpen, *Antwerp.* 120. H. i.
Lump-Fish, 208. N. xi. App. 25.
———, the buncht-back. 209. N. x. 2.

M

Mackrell. 181. M. iii.
——— bastard. 181. M. i. 1.
——— Spanish. 176. M. i. 3.
——— Horse. 290. S. xii? xxii.
Maid. 71. C. iv.
Mailed-Fish. 211. N. vi. 2. 3.
——— of *Brasile, Grew.* 212. N. xiii. 5.
Maquereau, *Gall.* 290.
Mareneken, *Germ.* 225. P. ii. 3.
Marenen, *Holsat.* 229.
Marsicone, *Venet.* 207. N. xii. 5.
Marsovin, *Gall.* 31. A. i. 2.
Marsuin. *Cimbr.* 31. A. i. 2.
Meer-ael, *Belg.* App. 3. T. iii. 3.
——— blick, *Belg.* App. 2. Tab. i. 2.
Meer-haen, *Belg.* App. 3. Tab. vii. i.
Meerling, a. 170. L. m. 1. v.
Meer-schwein. 28. A. i. 1. App. 1. Tab. i. 1.
Mekel, *Germ.* 250.
Melet. 210. N. xii. 2.
Melwell, a. 165. L. m. 1. i. 1.
Menelo, *Venet.* 318. V. viii. 4.
Meros, *Lusit.* 303. T. i. 1.
Meuss-esser, *Germ.* 261.
Mey-visch, *Belg.* 228. P. iii. 1.
Miller's-Thumb. 137. H. iii. 3.
Milwell, *Cornub.* 111. G. vi.
Minime, or } 268. Q. viii. 7.
Minow. }
Misgurn, *Germ.* 118. G. viii. 4.
Molebut. 151. I. xxvi.
Mollo, *Venet.* 169. 171. L. m. 1. i. 2. iv?
Monachelle, *Sicil.* 330. X. v. 6.
Monk-Fish. 79. D. iii. *Merret.* 85. E. 1.
Moon-Fish. *Mola.* 151. I. xxvi.
Morchuel, the. *Molva minor, Charl.*
Morenen, *Germ.* App. 18.
Morgay. 64. B. iv. 2.
Morona, *Ital.* 244. P. vii. 1.
Morts. 189.
Mourene, *Ital.* 103. G. i.
Mud-Fish, *Jamaic.* Amorea, *Lusit.?* 203.
Mulgranoc, *Cornub.* 133. H. vi. 2.
Mullet. 274. R. iii.
——— flying. 233. P. iv.
Muray, the. 103. G. i.
——— the black. App. 24. G. x. 1.
Murena, the. 103. G. i.
Musebyter, *Germ.* 261.
Mutton-Fish, *Baham.* 325. X. v. 5.

N

Naeld-visch, *Belg.* App. 2. Tab. iii. 2.
Nagemaul, *Germ.* 293. S. xiv.
Narhual, *Monoceros.* 43. A. 2.
Nase, *Germ.* 254. Q. x. 6.
Nass, the. 85. E. i.
Needle-Fish. 158. I. xxv. 1. 232. P. ii. 4.
Neegen-oogh, *Belg.* App. 4. Tab. vi. 2.
Nerfling, *Germ.* 253. Q. ix. 1. 2.

 Neun

Neun oghen, ein Blinder, *Germ.* 107. G. iii. 1.
Nine-Eyes. 104. G. ii. iii.
Numm-Fish, *Torpedo.* 81. D. iv.

O

Occhiata, *Rom.* 310. V. ii. 1.
Oerve, *Germ.* 253. Q. ix. 1. 2.
Old-wife. 320. X. i. 2.
———, *Baham.* I. xxiii.
———, *Grew.* O. iii. 2.
Ombrino, *Rom.* 301.
Omer, *Eborac.* 187. N. viii.
Oogh, neegen. *Belg.* App. 4. Tab. vi. 2.
———, viif. *Belg.* App. 6. Tab. x. 1.
Orada vecchia, *Venet.* 305.
Orata, *Ital.* 307. V. v.
Orff, *Germ.* 253. Q. ix. 1. 2.
Organie, *Genuens.* 282. S. i. 4.
Otter-Pike. 289.
Outin, *Flandr.* 187. N. i. 3.
Owl, Sea- 208. N. xi.
Oxe-Eye Cackerell. 317. V. viii. 1. 2. 3.

P

Paddle-Cock. 208. N. xi.
———-- Hush. 209. N. x. 2.
Paganello, *Venet.* 207. N. xii. 4?
Pagro, *Genuens.* 312. V. i. 5.
Pala, *Genev.* 185.
Pamuchlen, *Boruscis.* 172. L. m. 1. i. 1.
Panther, the Sea. *Grew. Galeus Asterias.* 61.
Pargie, the. 312. V. i. 5.
Parrot-beck, *Belg.* App. 24. X. ix. 1.
Peacock-Fish. 322. X. iii.
Pearch. 291. S. xiii. 1. 2.
———-- Sea. 327. X. vi. 1. X. iv. 2?
Pearl, *Lond.* 95. F. i.
Pegorella, *Cret.* 205. N. xii. 3.
Peissker, *Germ.* 124. G. viii. 4.?
Peixe Gallo, *Lusit.* 295. S. xviii. 2.
———- Pioltho, } *Lusit.* 119. G. viii. 2.
———- Pogador, } *Lusit.* 119. G. viii. 2.
———- Porco, *Lusit.* 147. 150. I. xix. App. 4. Tab. iv. 4.
———- Viola, *Lusit.* 80. D. v. 2.
Pennevisch, *Belg.* App. 4. Tab. vi. 3.
Pernio, *Ital.* 292. S. xiii. 1. 2.
Pesce Balestra, *Rom.* 152. I. xix.
——— Pettine, *Rom.* 214. O. ii. 2.
——— di S. Pietro, *Venet.* 294. S. xvi.
——— Porco, *Rom.* 58. B. ii. iii.
——————— *Venet.* 28. A. i. 2.
——— Prete, *Venet.* 287. S. ix.
——— Rondini, *Ital.* 233. P. iv.
Peteuse, *Gall.* 267.
Picho, *Lombard.* 247. Q. ii. 2.
Picked Dog, or Hound. 56. B. v. 1.
Pieter-man, *Belg.* 289. S. xi. 1.
Pignoletti, *Venet.* 207. N. xii. 5.
Pigo, *Lombard.* 247. Q. ii. 2.
Piilstert, *Belg.* 66. C. i. 5.
Pike, *or* Pickerel. 236. P. v. 2.
Pilchard. 223. P. i. 1.
Pilot-Fish. 119. G. viii. 2. App. 5. Tab. ix. 2.
Pink. 268. Q. viii. 7.
Piper. 282. S. i. 4. S. iii.
Pit-visch, *Belg.* App. 6. Tab. viii. 1.
Plaise. 96. F. iii.
Plat-visch, *Belg.* 93 & seqq.
Plye, *Gall.* 96. F. iii.
Pogge, a. 211. N. vi. 2. 3.
Pola, *Bellon.* 101.
Pole, the. *see* Sole. 100?
Pollack, a Rawlin. 168. L. m. 1. iii.
——— a Whiting. 167. L. m. 1. i. 3.
Pollards, 168. 169. L. m. 1. iii. *Charleton,* 255. Q. x. 1. Q. iv. 2?
Poor-Jack. 174.
Poor-John. 166.
Porcupine, Sea- 146. I. v. vi.
Porgy, the. *Bahama.* 307. V. v.
Porpesse. 28. 31. A. i. 2.
Potshoeft, *Belg.* 138. H. iv. 3.
Pot-Wal-visch, *Belg.* 41. A. i. 3.
Poyson-Fish. 65. 67. C. i. 3. C. iii.
Prick, *Belg. & Germ.* 106. G. iii. 2.
Prickel-Back. 341. X. xiv. 1.
Prickle-Fish, the. 210. N. xii. 2.
Pride of Isis, the. 104. G. ii. 1. App. 18.
Prill, a. 94. F. ii.
Pudiano vermelho, *Lusit.* 339. X. viii. 1.
——— verde, *Lusit.* 340. X. ix. 2.
Put-ael, *Belg.* 125. H. iii. 4.

Q

Quarelet, *Gall.* 97.

R

Raeven-beck, *Belg.* App. 2. Tab. vii. 2.
Rainbow-Fish. 324. X. iv. 1.
Rapier-Fish. 161. I. xxvii. 2.
Rappe, Ein. *Germ.* 256.
Rasor-Fish. 214. O. ii. 2.
Raven-Fish. 280. S. i. 3.
Rawlin Pollack. 168. L. m. 1. iii.
Rays. 68. & seq. C. i. v. D. i. v.
———- sting, 66. C. i. 2.
———- whip. 66. C. i. 5.
Red Charre. 196. N. i. 4. N. vii.
Red-Eye. 249. Q. iii. 1. 2. App. 24. *Belg.* V. x.
Remora, the. 119. G. viii. 2. App. 5. Tab. ix. 2.

Reutele. *Germ.* 196. N. vii. N. i. 4? N. ix?
Rhingau, *Germ.* 183. N. x. 1.
Rhombo, *Venet.* 93. F. viii. 3.
Riemling, *Germ.* 267. Q. viii. 5.
Riondo, *Rom.* 296. S. xv. 4.
Robalo, *Lusit.* 272.
Roch, a. 262. Q. x. 5.
Rochet. 279. 281. S. ii. 2.
Rock-Fish. 206. N. xii. 1.
——-Whitings. 169. L. m. 1. iii.
Roetele, *Germ.* 196. N. vii.
Rondine, *Ital.* 233. P. iv. 283. S. vi.
Root-Aug. *Germ.* 249. Q. iii. 1. 2. 252? App. 24.
Root, *Gesn.* 195.
Roscies. 260.
Rospus, *Istris.* 86. E. i.
Rosse, *Gall.* 262. Q. x. 5.
Rotele, *Germ.* 252. Q. iii. 1. 2. 262. Q. x. 5.
Rottene, *Germ.* 262. Q. x. 5.
Roud, *or* Rud. } 249. 252. Q. iii. 1. 2.
Rouget, *Gall.* 281. S. ii. 2. 285.
Rough, a. 335. X. xiv. 2.
Roussette, *Gall.* 62. B. iv. 1.
Ruffe. 334. X. xiv. 2.
Rutten, *Germ.* 125. [H. iii. 4.] H. v. 1.
Ryferle, *Gesn.* 266. Q. vi. 2.

S

Sagree, *Genuens.* 57.
Salmon. 189. N. ii. 1.
——— Peal. 190. N. iii.
——— Trout. 193. 198. N. i. 5.
Salvelin, *Germ.* 195.
Samlet, a. 192. N. ii. 2.
Sandat, *Pomeran.* 293. S. xiv.
Sand-creeper. App. 24. G. x. 2.
——-Eels. 113. G. viii. 1.
Sanguinerola, *Ital.* 268. Q. viii. 7.
Sardella, *Venet.* 224. 228.
Sardina, *Rom.* 223. P. i. 1. 224.
Sardona, *Rom.* 219. P. i. 2.
Sargo, *Bellon.* 260. *Ital.* 309. V. iv.
Sarpa, *Genuens.* 316. V. vii.
Sauclez, *Massil.* 210. N. xii. 2.
Savetta, *Ital.* 254. Q. x. 6.
Saw-Fish, *Pristis.* 61. B. ix. 5. [152. I. xix.]
Scad. 290. S. xxii.
Scate, *Grew.* 79. D. iii.
Scheert, *Germ.* 256. Q. vi. 3.
Schel-visch, *Belg.* 168. L. m. 1. iii.
Schelley, *Combarl.* *Lavaretus.* 183. N. x. 1.
Schindel. *Germ.* 293. S. xiv.
Schnot-visch, *Germ.* 261. Q. x. 2.
Schtaitser, *Germ.* 335.
Schrolln, ib.
Schwartz-Kohlmulen, *Germ.* 173. L. m. 1. i. 3.
Scorpion, *Virginia.* App. 25. X. xv.
Scrofanello, *Rom.* 331. X. xiii. 1.
Scud, a. 290. S. xxii.
Scurf, the. 193. 198. N. i. 5.
Sea, Adder. 160.
— Ape. 54. B. vi. 2.
— Bat. O. v. App. 24.
— Blewling. 49. B. viii.
— Bream. 312. V. i. 5. V. xii.
— Carp. 319. X. i. 2.
— Devil. 85. E. 1.
— Eel. 111. G. vi.
— Fox, or Ape. 54. B. vi. 2.
— Gudgeon. 206. N. xii. 1.
— Horse. 157. I. xxv. 3. 4.
— Lark. 133. H. vi. 2.
——— crested. 134. H. vi. 7.
— Loche. 121. H. ii. 1. H. iii. 5.
— Owl. 208. N. xi.
— Panther. *Grew.* Galeus Asterias. 61.
— Pike. 273. R. ii.
— Porcupine. 146. I. v.
— Rough. 312. V. iii.
— Serpent. 107. G. iv. ix. App. 19.
— Snail. App. 17. H. vi. 1.
— Wolf. 130. H. iii. 1.
Sehe-hanen, *Hiligl.* 281. S. ii. 2.
Seicle, *Belg.* 66. C. i. 5.
Sencle, *Massil.* Angoella, *Venet.* 209.
Serpent, Sea- 107. G. iv.
Shad. 227. P. iii. 1.
Shag, a. *Truttæ Species.*
Shaid, *or* Shaidon, *Germ.* 128. H. v. 2.
Shard, a. *Lincoln.* *Trutta minor.* 200.
Shark, blue. 49. B. viii.
——- white. 47. B. vii.
Sharpling. 341. X. xiv. 1. 342.
Sheat-Fish. 128. H. v. 2.
Ship-halter. 119. G. viii. 2.
Shote, a. *Cornub.* *Trutta minor.* 200.
Silver-Eels. 110.
Skate. 69. C. v.
——, the Card. 70.
——, — Fuller. 78.
Skipper, a. 232. P. ii. 5.
Skull-Fish. *Orbis.* 143. I. i.
Sleeper, the. 135. H. vi. 5.
Smelt, a. 189. N. ii. 2. 202. N. vi. 4.
Smerlin, the. 265. Q. viii. 3.
Smy, the. *Apua.* 342.
Snail, Sea- App. 17. H. vi. 1.
Snipe-Fish, *Grew.* 160. I. xxv. 2.

Snipe, Zee- *Belg.* App. 5. Tab. v. 6.
Snot-Fish. *Orbis Species.* 143.
Soagia, *Venet.* 95. F. i.
Soatto, *Venet.* ib.
Soffietta, *Rom.* 160. I. xxv. 2.
Soldaten-visch, *Belg.* App. 6. Tab. v. 4.
Soldido, *Lusit.* 211. N. xiii. 6.
Sole, a. 100. F. vii.
Sorge, *Venet.* 121. H. ii. 1.
——-- marina? 205. N. xii. 3.
Sounds, Cods. 166.
Sparlings. 221. N. vi. 4.
Sparo, *Venet.* 308. V. ii. 2.
Sperma-Ceti Whale. 41. A. i. 3.
Spiegola, *Rom.* 271. R. i.
Spirinchus (a Smelt) 202. N. vi. 4.
Spirling, the. *Apua.* 342.
Spit-Fish. 273. R. ii.
Spit-Nose, the. 187. N. i. 3.
Sprat. 221.
Sprods. 189.
Square-Fish. 148. I. x. xi. xii.
———— horned. I. xiii. 1.
Star-gazer, 287. S. ix.
Stein-bicker, *Belg.* 340. *Aculeatus, &c.* App. 23. X. xiii. 2.
——-- bisser, *Germ.* 265. Q. viii. 3.
——-- brachsmen, *Germ.* 249.
Stickle-back. 341. X. xiv. 1. 342.
Sting-Ray. 66. C. i. 2.
Stip-visch, *Belg.* App. 7. Tab. ix. 4.
Stock-Fish. 166.
Stone-biters. 266. Q. viii. 3.
Stone-Fish. 323. X. v. 2.
Strever, *Germ.* 294. S. xv. 4.
Strivale, *Genuens.* 296. ib.
Stront-visch, *Belg.* App. 2. Tab. ii. 2.
Sturgeon. 239. P. vii. 3.
Sucking-Fish. 119. G. viii. 2. App. 5. Tab. ix. 2.
Sueta, *Ferrar.* 254. Q. x. 6.
Sum, *Polon.* 128. H. v. 2.
Sun-Fish. 151. I. xxvi.
Surmullet. 285. S. vii. 1.
Suro, *Venet.* 290. S. xxii.
Suyger, *Belg.* 119. G. viii. 2. App. 5. Tab. ix. 2.
Swallow-Fish. 233. P. iv.
Swath-Fish. *Charlt.* 116. G. vii. 5.
Sword-Fish. 161. I. xxvii. 2.
———— the under, *Grew.* P. viii. 3. App. 4. Tab. vi. 4.

T

Tainha, *Lusit.* 277. R. iv. 3.
Tarantola, *Rom.* 290. S. xii? App. 29. P. v. 1.
Tareira, d'Alto, *Lus.* 203. N. xiii. 2.
——— di Rio, *Lus.* 238. P. vi. 5.
Temelo, *Ital.* 187. N. viii.
Tench. 251. Q. v. 1. 2.
——-- Sea. N. xii. 3. 320. X. i. 1.
Thorn-back. 74. D. ii. 3.
——-- but. 93. F. viii. 3.
Thorn-brachsmen, *Germ.* 249.
Tickle-back. 341. X. xiv. 1.
Tinca marina, *Venet.* 319. X. i. 2.
Toad-Fish. 85. E. i.
———— *American.* 90. E. ii. 1.
Tobacco-pipe Fish. 233. P. vi. 4. P. viii. 1. App. 22.
Ton, *Monspel.* 176. M. i. 3.
Tope, a. *Canis Galeus.* 51. B. vi. 1.
Torgoch, *Wallis.* 196. N. i. 4. N. vii. N. ix?
Treischen, *Germ.* 125. [H. iii. 4.] H. v. 1.
Triangular-Fish. 149. I. xiii. 2. xvi. xvii. xviii.
———— horned. I. xiv. xv.
Triglia, *Ital.* 285. S. vii. 2.
---------- il Re di. 286.
Trissa, *Rondel.* 227. P. iii. 1.
Trombetta, *Genuens.* 160. I. xxv. 2.
Trompette, *Gall.* 158. I. xxv. 1.
Trout. 199. N. iv. 2.
——-- Bull. 193. N. i. 5.
Trumpet-Fish. 160. I. xxv. 2.
Tub-Fish. 280. S. i. 3.
Tuck-Fish, *Grew.* P. viii. 3. App. 4. Tab. vi. 4.
Tunny-Fish. 176. M. i. 3.
Turbot. 94.
——— of the North. 99. F. vi.
——— of the South. 94. F. ii.
——— the prickled. 93. F. viii. 3.
Typhle, *or* Typhline, } *Antiq.* 158. I. xxv. 1.

V.

Vandoise, *Gall.* 262.
Vangeron, *Genev.* 262. Q. x. 5.
Ubirre, *de Laet.* App. 3. Tab. iii. 3.
Verdone, *Ital.* 320. 322. X. ii.
Verkens Beck, *Belg.* App. 24. V. ix.
——— visch. *Belg.* App. 1. Tab. i. 1. App. 4. Tab. iv. 4.
Veron, *Gall.* 268. Q. viii. 7.
Vielle, *Gall.* 320. X. i. 2.
Viif oog, *Belg.* App. 6. Tab. x. 1.
Vinder-Fish, *Flandr.* 253.
Vinger-visch, viif- *Belg.* App. 7. Tab. viii. 2.
Viver, *Gall.* 288. S. x.
Uleer-muys, Zee- *Belg.* App. 6. Tab. x. 3.
Umber. 187. N. viii. S. xix.
Umbrino, *Rom.* 300.
Under Sword-Fish, the. *Grew.* P. viii. 3. App. 4. Tab. vi. 4.

Unicorn-Fish. 42. App. 12. A. ii. 91. E. ii. 2. 150. I. iv. 1. 216. O. iv.
Vrow-visch, *Belg.* 253.

W

Wapper, *Germ.* 264.
Week-visch, *Belg.* App. 6. Tab. viii. 4.
Weever, a. 288. S. x.
Weiss-visch, *Germ.* 257. 258.
Whale, the. 35.
——-- bone. 36.
——-- the River, *Grew.* 128. H. v. 2.
Whip-Ray. 66. C. i. 5.
Whirl-pool, *a Whale.* 41.
Whistle-Fish, 121. H. ii. 1.
White-Horse. 78.
——-- Shark. 47. B. vii.
Whiting. 170. L. m. 1. v.
——— Mops. 169. L. m. 1. iv.
——— Pollack, or Coal-Whitings. 167. L. m. 1. i. 3.
——— Pout. 169. L. m. 1. iv. App. 22.
——— Rock. 168. L. m. 1. iii.
Wife, old. *vide* old.
——— *Grew.* App. 23. O. iii. 2.
Wit-visch, *Belg.* App. 3. 6. Tab. vii. 4. viii. 4.
Wolf-Fish, —— Sea *or* Woof. } 130. H. iii. 1.
Wrasse, *Cornub.* 319. X. i. 2.

Z

Zatto, *Lombard.* 86. E. i.
Zee-Adelaer, *Belg.* App. 6. Tab. x. 3.
—— Duif, *Belg.* App. 5. Tab. v. 5.
—— Duivel, *Belg.* 85. E. i. App. 5. Tab. ix. 3.
—— Egel, *Belg.* App. 5. Tab. v. 2.
—— Katje, *Belg.* App. 5.
—— Luis, *Belg.* App. 4.
—— Snipe, *Belg.* App. 5. Tab. v. 6.
—— Vleer-muys, *Belg.* App. 6. Tab. x. 3.
Zerte, *Misen.* 228. 257. 258.
Zigurella, *Ital.* 324. X. iv. 1.
Zwaert-visch, *Belg.* 161. I. xxvii. 2.

Omissa.

Bize, *Monspel. & Hispan.* 179. M. i. 2.
Blawling, *Gesn.* 186.
Calderon, *Gall.* 41.
Cogniol, *Massil.* 181. M. i. 1.
Ersskruper, *Holsat.* 340.
Flambeau, *Gall.* 116. G. vii. 5.
Lachs, *Germ.* 189.
Laugelen, *Germ.* 262.
Pearch, lesser Sea- 334. X. xiv. 2.
Persico, *Ital.* 292.
Snottolf, *Germ.* 145.
Spada, *Ital.* 116. G. vii. 5.

Corrigenda in INDICE *Anglicano*, &c.

Cook-Fish. 320. X. i. 1. *pro* 3.
Flying-Fish. 233. P. iv. *pro* 223.
Gestachelt Meer-Taube, *Germ.* 145. I. viii. 2. *pro* I. x. 2.
Herring, flying. 233. P. iv. *pro* 223.

Addenda & *Corrigenda* in INDICE *Latino.*

Acarnan. 311. Corrige pro 312.
Acipenser. P. 7. pro 8.
Acus vulgaris. App. 3. pro 2.
——-- *Indica, maxilla, &c.* pro maxima.
Alauda non cristata. H. 6. pro H. G.
Albula minima. 186. pro 116.
Albula nobilis Schonfeld. 185. N. 6. *pro* 124.
Albus Salv. 258. pro 259.
Amia. S. 17. pro 16.
Ammodites, adde App. 24. G. 10. n. 2.
Antacæus. P. 7. pro 8.
Aper. I. 4. pro 5.
Aphya cobites, adde N. 12. n. 5.
Apua. 342. pro 341.
Araneus major. 288. pro 882.
Asellus Callarias. N. 12. pro 13.
Asellus alter, Merlucius. L. m. 2. 1. pro m. 1. 1.
Asper pisciculus. 294. S. 15. pro 293. S. 14.
Attilus padi. 241. P. 7. pro 240. P. 8.
Barbota. H. 3. pro 4.
Camuri. 272. pro 271.

Canis

Addenda & *Corrigenda* in INDICE *Latino.*

Canis Carcharias, pro dracharias. 47. *adde* B. 7.
———— *Gesn. Icon.* B. 7. pro 6.
Capeuna. Q. 6. pro 8.
Capito lacustris. 258. pro 285.
Carapo. 115. pro 114.
Caviar Cyprini rubrum. 246. add.
Celerinus pro *celerimus.*
Cephalus, Bellon. 260. Rond. 274. *add.*
Cestrius. 275. pro 274.
Cete. A. 1. n. 3.
Cicirellus, Messanensibus. 113. add.
Clarias. 127. pro 126.
Colia seu Lacertus. 232. P. 5. n. 1. App. 29. dele 181. 182.
Columba marina. adde App. T. 5.
Cottus. 137. H. 3. adde 3.
Cugupu gaucu. 303. adde App. 2.
Diabolus marinus. App. T. 9. pro 11.
Dobula, Schonfeld. 261. pro 267.
Eperlanus. 202. adde N. 6.
Exocætus. H. 4. H. 6. pro 1.
Faber. S. 16. pro 15.
Farra. 185. adde N. 1. 1. N. 6. 1. l. *Ferra.*
Fullonica, Rond. 78. add.
Garus. 181. add.
Glaucus. S. 15. pro 14.
Gobio capitatus. 137. H. 3. adde 3.
Guacucuia. 89. adde E. 2. n. 3.
Guaracapema. 214. O. 2. n. 1. pro M. 5.
Guarapucu. adde 179.
Guatacupa. 302. pro 102.
Hippurus. i. e. Dorado. O. 1. n. 5. pro O. 1.
Lepras. X. 5. pro 4.
Lota, Gall. 125. adde H. 3. n. 6.
Lucerna. adde 281.
Lucius. P. 5. pro 6.
Lupus marinus. H. 3. adde 3.
Lyra. 282. pro 281.
Mugil alatus. 233. App. 18. add.
Mustela marina. H. 2. n. 1. pro H. 4.
———— *fluviatilis.* H. 3. n. 4. pro H. 4.
———— *vivipara.* 122. pro 222.
Pagrus. 312. pro 313.
Parati; dele O. 1.
Paru; adde O. 1.
Perca marina. 327. pro 328.
Petimbuaba. P. 6 & 8. pro. Q. 9.
Physeter. 41. dele A. 7.
Pilot-Fish. vide *Pira quiba.* dele 47. App. T. 8.
Piscis triang. aculeo, &c. dele App. 1.
Piscis quadrang. max. I. 10. pro 11.
———— *rostrat.* I. 11. pro 10.
Piscium victus. 19. pro 13.
Pœcilia, Schonfeld. 124. add.
Reutel. 196. pro 186.
Rutilus fluviatilis. 262. pro 268.
Salar & Varius. adde 189.
Salmulus. 192. pro 190.
Sand-creeper. adde G. 10. n. 2.
Saurus. App. 29. pro 28. adde 232.
Scarus, pro *Scarius.* 305.
———— *Cretensis.* 306. pro 307.
Scomber. M. 3. pro 4.
Spirinchus 202. N. 6. n. 4.
Sphyræna parv. adde 229.
Squatina. 79. pro 80.
Sturio. P. 7. pro 8.
Tinca marina. N. 12. pro 13. adde 319. X. 1.
Trachurus. 290. M. 3. pro 2. S. 12. adde 22.
Trissa. H. 3. pro 5.
Umbra fluv. Thymalus pro *Thymatus.*
Zigæna, pro *Zigana.*

Series TABULARUM,

Cum Ordine CLASSIUM, *in quas distribuuntur* PISCES *in* Ichthyographiâ Willughbeianâ.

Frontispicium ———— *in fronte Operis.*

Classis I. Pisces CETACEI. pag. 26. N°.

TAB. A. i. ii. ———— 1—2

Class. II. CARTILAGINEI. p. 44.

§. 1. Cartilaginei *Longi.* p. 47.

B. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. ———— 3—11

§. 2. Cartilaginei *Plani.* p. 64.

C. i. ii. iii. iv. v. ———— 12—16

RAIÆ. p. 68.

D. i. ii. iii. iv. v. ———— 17—21

§. 3. Cartilaginei *Ovipari.* p. 85.

E. i. ii. ———— 22. 23

Class.

Series Tabularum, *&c.*

Claſſ. III. Spinosi.

§. 1. *Plani,* Ovipari, Spinoſi, qui in latus projecti natant. p. 93. No.

Tab. F. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. —— 24—31

§. 2. *Anguillæ-formes,* ſeu leves lubrici, & plerique oblongi. p. 103.

G. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. —— 32—41

Mustelæ Piſces. p. 120.

H. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. —— 42—48

§. 3. Piſces *Corpore contractiore,* vel ſaltem non admodum lubrico: qui pinnis ventralibus carent. p. 143.

I. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. xi. xii. xiii. xiv. xv. xvi. xvii. xviii. xix. xx. xxi. xxii. xxiii. xxiv. xxv. xxvi. xxvii. —— 49—75

§. 4. Piſces *Spinoſi* dicti, quibus pinnarum dorſalium *Radii* omnes *molles* & flexiles ſunt. p. 165.

Membrum. 1. *Tribus in dorſo pinnis* donati. p. 165.

L. Membr. 1. i. ii. iii. iv. v. —— 76—80

Membr. 2. *Non Aculeati,* quibus *duæ in dorſo pinnæ* eriguntur. p. 174.

L. Membr. 2. i. ii. —— 81—82

Piſces, quibus præter pinnas inſigniores *pinnulæ aliquot exiguæ* prope caudam, ſummo dorſo, & imo corpore innaſcuntur, viz.

Genus Thynninum. p. 176.

M. i. ii. iii. iv. v. —— 83—87

Genus Truttaceum. p. 182.

N. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. xi. xii. xiii. —— 88—100

Membr. 3. *Non aculeati,* quibus *unica in dorſo pinna, Marini.* p. 213.

O. i. ii. iii. iv. v. —— 101—105

Piſces *Harengi-formes.* p. 218.

P. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. —— 106—113

Membr. 4. *Non aculeati, unica* in dorſo *pinna; Fluviatiles* & *Edentuli.* p. 245.

Q. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. —— 114—123

§. 5. Piſces *aculeati.*

Membr. 1. *Duabus in dorſo pinnis,* anteriore à ſpinis radiatâ. p. 271.

R. i. ii. iii. iv. —— 124—127

Cuculorum Species. p. 278.

S. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. xi. xii. xiii. xiv. xv. xvi. xvii. xviii. xix. xx. xxi. xxii. —— 128—149

Membr. 2. *Unicâ in dorſo pinnâ,* radiis anterioribus ſpinoſis, poſterioribus mollibus. p. 303.

T. i. —— 15

Scari Piſces. p. 304.

V. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. xi. xii. —— 151-----162

Turdi Piſces, quo nomine & *Merulæ* dicti & *Pavones* includuntur. p. 319.

X. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. xi. xii. xiii. xiv. xv. —— 163-----177

Appendix comprehendit

Tab. i. ii. iii. iv. v. vi. vii. viii. ix. x. —— 178-----187

ERRATA.

E R R A T A

In Tabulis *olim excusis, in recenter impressis correcta, vel sic corrigenda.*

Tab. A. i. 3. Cete, *Pot Walfish,* Belg. dict. *pro Balæna.*
B. v. 1. Mustelus.
ix. 1. Canis carcharias, *Gesn.* id. B. vii. } hæ figuræ extant in tabulis primò
2. Maltha Rondeletii, *Gesn.* ——— } excusis, in aliis verò erasæ sunt.
3. Cucuri, pro Cucuri*a.* 5. Pristis.
C. i. 2. Aiereba.
D. v. 4. Asterias.
F. viii. 6. Aramaca, pro *Amaraca.*
G. ii. 1. Maculis *carens,* addatur. v. Anguil*la.* vii. 6. Ophidi*on.* viii. 2. *adde,* vide Append. Tab. ix. Remora *Imperati,* the Sucking-Fish. 4. Misgur*n.* x. 1. Indicus, pro *Inclicus.*
H. ii. 1. *adde,* Idem H. iv. 4. H. ii. 2. Gattor*u*gine. iii. *adde,* 6. Lota *Rondeletii.* iv. 1. cristat*us.* 4. Marina, pro *fluviatilis.* 5. *adde,* 5. Mustelæ fluviatilis species, D. *Plot* Hist. Staff. p. 241. vi. 6. Blennus, pro *Belennus.*
I. viii. 1. 2. At*in*ga, *ad Utrumque numerum.*
ix. 3. Capi*te.* I. xii. med*iis.* I. xv. cuta*ceâ.* I. xx. Guaperva longa. I. xxii. forcipa*ta.* I. xxv. 7. *adde,* Orbis hirsuti species minor. I. xxvii. *adde* numeros 1. 2. ad figuras: N° 1. *Guebucu* id. App. Tab. v. 6.
L. m. 1. i. 2. m*o*llis. *M*ollo.
M. i. 3. Mack*e*rel. iii. *adde,* Trachurus *Salv.* iv. Guar*a*pucu.
N. i. 3. Oxy*rr*hynchus, pro *Oxychynchus.* vii. R*e*utel Piscis *in* Lacu Tigurino, pro *Tugiens.* xii. 5. Mar*s*ione.
O. i. 1. *N*aqu*u*nda. 4. Gua*r*erva.
P. ii. 3. Lycostom*us.* P. vii. 4. Antac*æus.* P. viii. 1. Peti*m*buaba. viii. 3. Caput Acûs, &c. App. 23. Tab. vi. 4.
Q. iii. 1. Rutilus latior; an Ballerus *Rondel?* pro *Erythrophthalmus.* iv. 2. *adde,* Idem cum Q. x. 1. *Capito.* vii. *insere numeros* ad pisces, 2. ad superiorem, 3. ad medium, 1. ad inferiorem, *ib.* 1. Piquiti*n*ga. x. 2. lege *Hasler* pro *Haster.* 4. Br*a*ma. 5. dele *Roth aug.* Germ. 6. lege Nase pro *Naso.*
R. iv. 3. Cur*i*mata.
S. xv. 3. Glauci pro *Glaucis.* xviii. 1. idem App. Tab. vii. 1. xviii. 5. Guatu*cufa* Brasil. idem ac X. viii. 4. xxi. Umbra *Rondel.* pro *Corvus.*
T. i. 1. Idem in App. Tab. vi. 1.
V. i. 6. *adde,* idem V. iii. *Dentex.*
X. i. *in titulo lege,* Merul*as.* v. 2. Alph*e*stes. vi. 2. Mormy*r*us. vii. 5. Piraumb*u.* viii. 4. Guata*c*ufa. idem. S. xviii. 5. X. ix. insere numeros 1. 2. ad nomina. xiv. 2. Cer*n*ua.

Appendicis.

Tab. iii. 4. Guarabuc*u.*
iv. 1. Grunniens, pro *granicus.* 3. Muste*læ.*
v. 6. idem. I. xxvii. 1.
vi. 1. vide T. i. 1. 2. Enneop*h*thalmus. 4. *vide* Caput ejusdem. P. viii. 3.
vii. 1. *adde,* idem ac S. xviii. 2. 2. Koraco*rr*hynchus. 3. insere *Piscis grunniens, Cuculi species.*
ix. 4. *Stip visch,* Belg.
x. 1. Pentop*h*thalmus.

LONDINI: Prostant venales apud Carolum Davis in vico *Pater-noster-Row* dicto, & Thomam Woodward in vico *Fleetstreet* inter duas Templi portas; Regalis Societatis Typographos. M.DCC.XL.

Pisces Cetacei



1. *Delphinus.*
2. *Phocæna.*
3. *Cete,* Pot Walfisch *Belgis dict.*

Tab: A. 1.

Sumptibus S. Pepys Præs: S: R:



Piscis Monoceros ejusq; cornu à varijs authoribus exhibitum; item embryonis alicujus cornu

Tab. A. 2.

Sumptibus D. Sam. Pepys Præs. S. R.

Cartilaginei Longi.

Zygæna Salviani.

Tab: B. 1.

Sumptibus S. PEPYS Præs: S. R:



Centrina Salv.

Tab: B: 2.

Sumptibus S: Pepys Præs: S: R:



Centrina Supina.

Tab: B: 2. 3

Sumptibus S: Pepys S: R: Præs:



1. *Catulus major, Salv.*
2. *Catulus minor, Salv.*

Tab: B. 4. 4

Sumptibus S: Pepys Præs: S: R:



1. *Mustelus Spinax*, Salv.
2. *Mustelus lævis*, Salv.

Tab: B: 4: 5

Sumptibus S: Pepys Præs: S: R:





1. Canis Galeus, *Salv.*
2. Vulpecula, *Salv.*

Tab: B: ℥. 6

Sumptibus S: Pepys Præs: S: R:

Canis carcharias Gesneri.

Tab. B: 7.

Sumpt. D. Sam. Pepys Præs. S. R.

Galeus glaucus Rond.
The blew Sharke.

Tab. B. 8.

Sumpt D. Sam: Pepÿs. Præs. S. R.



1. *Canis carcharias, Gesn.*
2. *Maltha* Rond. *Gesn.*
3. *Cucuri Brasil, Cassaon Lusitan.*
4. *Cruyshaye Belgis, Tiburoni Species.*
5. *Pristis, sive Serra, Clusii.*
6. *Galei genus, Clus.*

Tab: B: 6. 9

Sumptibus S: Pepys Præs: S: R:

Cartilaginei Plani.



1. *Raia asterias Rondel.*
2. *Aiereba Brasiliensibus.*
3. *Pastinaca Mar. altera, F. Columnæ.*
4. *Pastinaca Mar. prima Rond.*
5. *Narinari Brasiliens.*

Tab: C: 1. Sumptibus S: Pepys Præs: S: R:

Aquila, Salv.

Tab: C. 2.

Sumptibus G. Needham M.D: é S: R



Paſtinaca, Salv.

Sumptibus G. Needham M.D: E.S.R:

Læviraia, Salv.

Tab: C. 4.

Sumptibus E: Browne M:D: é S:R:





Raia lævis undulata seu Cinerea.
The Skate or Flair

Tab. C. N. 5.

Raiæ.

Raia, Salv.

Tab: D. 1.

Sumptibus D^ni Ri: Buckley Eq: Baronetti

1. *Raia aspera*, Rondel.
2. *Raia asperrima*, Rondel.
3. *Raia clavata*, Rondel.
4. *Altera species Raiæ clavatæ*, Rondel.

Sumptibus Dni Cyril Wych Eq: aur: & S.R:

Squatina Salu

Tab. D. 3. Sumptibus D^ni Cyril Wych Eq. aur. é S. R.

Torpedo Salu:

Tab: D: 4.

Sumptibus Tancredi Robinson M.D: è S: R:



Tab. D. 5.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præsidis Societatis Regalis

Cartilaginei Ovipari.



Rana Piscatrix Salv.

Tab: E.1.

Sumptibus D^ni Christoph Wren Equitis aurati e S.R.



1. *Guaperua Brasil*
2. *Acaramucu Brasil*
3. *Guacucuia Brasil*

Tab: E. 2.

Sumptibus D. Alex Pitfeild e. S. R.

Plani Ovipari Spinosi, qui in latus projecti natant.



Rhombus non aculeatus Squamosus, a Pearle Londinensibus.

Tab: F. 5.

Sumptibus D. Io Knatchbull Eq: Bar.

hombus maximus asper non quamosus; a Turbutt

F. 2.

Sumptibus D Eliæ Ashmole e S.R.



Passer Bellonii quadratulus; a Plaise.

Tab: F. 3.

Sumptibus nob: Rob: Boile e: S: R:

aſſer aſper ſive ſquamoſus; a Dabb.

Tab: F. 4.

Sumptibus nob: Rob: Boile e. S. R.



Passer fluviatilis; *a* Flounder.

Tab: F. 5.

Sumptibus Tho: Firmin e: S: R:



Hippoglossus; *a* Holibutt.

Tab: F. 6. *Sumptibus Sam: Fuller S.T.D: et E.L.C:*



Buglossus seu Solea Rond: a Sole.

Tab: F. 7.

Sumptibus Fransc: Bernard M. D:



1 Soleaparva sive lingula Rond.
2 Rhomboides Rond.
3 Rhombus aculeatus: Rond
4 Solea oculata Rond.
5 Citharus Rond.
6 ~~Amaraca~~ Aramaca Brasiliens
7 Arnoglossus Rond
8 Citharus flavus, sive asper Rond.

Tab: F. 8.

Sumptibus Hug: Chamberlain M:D: e S·R·

Anguillæ formes, ſeu læves *lubrici & plerumq; oblongi.*



Muræna, Salviani.

ab: G. 5.

Sumptibus nob: v: D Alex.ri Stanhope



Lampetra altera minor maculis. carens, Salv. a Lamprey.
Lampetra major, Salv. a Lamprey.



1. Lampetræ cæca Baltnerj
2. Lampetræ mediumgenus

Tab. G: 3

Serpens marinus, Salviani.

Tab. G 4

Sumptibus Io: Herbert e S. R.

Anguilla, Salviani.

Tab. G. 5.

Sumptibus Fran: Aston e S. R.

Conger Salviani a Conger
Tab: G. 6.

Sumptibus D. Io: Evelyn e S. R.



1 *Myrus Rondel*,
2 Mucu *Brasiliensibus*.
3 Tajasica *Brasiliensibus*.
4 Carapo *Brasiliensibus*.
5 *Tænia Rondel*
6 *Ophidion Rondel*
7 *Falx Venetorum Bellonij*.
8 *Serpens rubescens Aldrovandi*.

Tab: G. 7

Sumptibus D: *Richardi Beaumont* e. S. R.

1 Sand-Eels *Anglorum*. *Ammodytes*
2 Iperuquiba *Brasiliensibus* *vid. App. Tab. 9 Remora Imp.*
3 *Gunnellus Cornubiensium*
4 Misgurn *Norimbergæ*

Tab: G. 8.

Sumptibus Dni Ios: Williamson *Eq: aur: e S. R.*



Serpens marinus maculosus. é M: S.R.

Sumpt: D. Edmond King M: D. e. S: R.

Tab. G. 9.



1. *Conger Indicus maculosus*
2. Sand Creeper *Belgis, é Torpedinum genere*
é picturis archetypis D: Iac: Frasier.

Tab: G. 10. *Sumpt: D. Andr:* Birth *M: D: é S: R.*



Mustela
Lumpen Antverpiæ dicta.
Tab: H: 1.

1. Sorghe marina Venetijs. Idem H. 4. n. 4.
2. Gattorugine Venetijs.

Tab: H: 2.

Sumpt. D: Henrici Plumtree

1. *Lupus marinus Schonfeldij.*
2. *Blennus Salv.*
Tab: H: 3.

3. *Gobio Fluviatilis capitatus Balt.* A Bull head
4 *Mustela Fluviatilis Balt.* the Burbot.
5 *Mustela vivipara Sconfeld*
6 Lota, Rondel.



1. Adonis sive Exocœtus cristatas Bellonij
2. Clarias Bellonij.
3. Scorpena Belloni.
4. Mustela Marina
5. Mustelæ fluviatilis species D. Plot. Hist. Staffᵈ p. 241.

Tab: H: 4:



1. Rutten et Treischen Salv.
2. Silurus i.e. Glanis Salv.
Tab: H. 5.

Sumptibus Walteri Mills M.D. & S.R.



2. *Alauda non cristata Rond.*
3. *Dracunculus Rond.*
4. *Pholis Rond.*
5. *Exocœtus Rond.*
6. *Blennus Rond.*
7. *Galerita Rond.*
8. *Liparis Rond.*

1. *Liparis nostras. Sea Snail Dunelmensibus*

Tab: H: 6.

Sumpt. D: Pauli Ricaut Equitis aurati. e. S: R.



1.2.3.5.6.7. *Bagre variæ species Margr:*
Tab: H: 7:

8.9. *Puræaru Brasiliens.*
4. *Pacamo Brasiliensibus*

Pisces corpore contractiore vel saltem non admodum lubrico ; qui pinnis ventralibus carent .

Orbis Salvian. Primus Rondel.

Tab. I. 1.

Sumpt. D. Edward Haynes. e. S. R.



Orbis Lagocephalus è M: S: R.

Tab. I. 2.

Sumpt. D. Gulielmi Payne. è S. R.


Orbis hirsutus densis et exiguis muricibus donatus.

Tab. I. 3

Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S. R.



1 *Pira aca Brasiliensibus*
2 *Stromateus Rondel*
3 *Aper Bellon*
4 *Aper Rondel*
5 *Orbis Scutatus Rondel*
6 *Orbis echinatus sive muricatus Rondel*

Tab. I. 4



Histrix piſcis Clusij Guamajacu Guara Brasiliensibus, an Orbis muricatus primus et alter Clusij.

Tab I 5.

Histrix piscis longissimis Spinis donatus.

Tab. I. 6. Sumpt. D. Rob. Davies. Armig.



Orbis muricatus et reticulatus
e M. S. R.
Tab. I. n. 7.

Sumptibus D. Francisci Rolle Eq. aurat.

2 †

1 †

1. *Altèra Atinga minor orbicularis Calceolary.*
2. *Guamajacu Atinga Brasiliensibus. Margr.*

Tab. J. 8.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.

1



2

3

1. *Ostracion alter Gibbbſus Ald.*
2. *Orbis ranæ rictu, Clus.*
3. *Orbis oblongus Teſtudinis capite Clus.*

Tab. I. 9.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.

Piscis quadrangularis quatuor tuberculis medio dorso insignitus; è M.S. R. an ostracion prior Aldrovandi?

Tab. I. 10

Piscis quadrangularis rostratus.

Tab. I. 11.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.

Piscis quadrangularis, cui in singulis mediis squamis lateralibus singulæ maculæ majusculæ.

Tab. I. 12

Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S. R.

2



1

1. *Pisciculus cornutus Bontij.*

2. *Piscis triangularis cornibus carens Clusij.*

Tab. I. 13.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



Piſcis triangularis cornutus Clusij

Tab. I: 14. *Sumptibus D. Gulielmi Musgrave* c. S. R.



Piscis triangularis cornutus, cuj mediâ caudâ cutacea aculeus perlongus erigitur.

Tab: I. 15.

Sumpt. D. Theodorj de Vaux Eq: auratj & S. R.



Piscis triangularis capitis cornibus carens Clus.
Tab. I. 16.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



Piscis Triangularis ex toto maculosus.

Tab. I. 17.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



Piscis triangularis ex toto cornibus carens.

Tab. I. 18. *Sumpt: D. Rob: Southwell Equitis aurati e. S. R.*



Capriscus Salvian

Tab. I. 19.

Sumtibus D. Iacobi Mounson e S. R.



Guaperva longa e M. S. R.

Tab. I. 20

Sumpt. D. Guliel: Payne. e. S. R.

Guaperva Histrix

Tab. I. 21.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



Guaperva caudâ forcipatâ, pinnis maculosis, è M: S: R.

Tab. I. 22.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.

Guaperva maxima Caudata, è M: S. R.

Tab. I. 23.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



Guaperva ad Caudam striata . é M. S. R.

Tab. I. 24.

Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S. R.

1. *Acus Aristotelis species altera major.*
2. *Scolopax Rondel.*
3. *Hippocampus Rondel.*
4. *Hippocampus non aculeatus, incisuris raris.*
5. *Hippocampus non aculeatus incisuris crebris, Indiæ Ocidentalis.*
6. *Acus 2.da species Rondel.*
7. Orbis hirsuti species minor.

Tab. I. 25. Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



Mola Salv.

Tab. I. 26.

Sumpt. D. Gualtri Yong Equitis aurati

1. Guebucu Brasiliensibus: Becaße de la mer.
2. Xiphias piscis. Sword fish.

Tab. I. 27.

Sumpt: Tho: Gale STD. e S.R.

Pisces Spinosi dicti quibus pinnarum dorsalium radii omnes molles, Et flexiles sunt;

Membrum I.

Tribus in dorso pinnis, Donati.

1. *Asellus varius, Schonfeldii.*
2. *Asellus mollis minor, Mollo V.*
3. *Asellus virescens, Schonfeldii.*
4. *Asellus major vulgaris.* a Codfish or Keeling.

Tab: L. membr: 1. n. 1 *Sumptibus Ric: Waller e S.R.*



Asellus Antiquorum Hadoc.

Tab: L. membr: 3 n: 2

Sumptibus Mart. Lister e S. R.

†



Asellus niger. Cole Fish septentrionalibus Anglis.

Tab: L. membr: 1. n. 3.

Asellus mollis latus.
Whiting Poutes *Londinensibus.*

Sumpt: D. S. Pepys. Præs. S.R.

Tab. L. membr. 1. n. 4.



Asellus mollis major, sive albus. a whiting.

Tab. L. memb. 1. n. 5. Sumpt D. Sam. Pepys Præs. S. R.

Membrum II.

Non aculeati, quibus duæ in dorso pinnæ eriguntur.

Asellus. Salv. The Hake.

Tab L membr: 2. n. 1.

Sumptibus Frider: Slare M. D. e S. R.



Tab L membr. 2 n 2

Sumptibus Rich Dni Coote Baron de Colonny

Pisces quibus præter pinnas insigniores pinnulæ aliquot exiguæ; prope caudam summo dorso et imo corpore innascuntur viz.t

Genus Thynninum.



2



3



1

1 Colias Rondeletij.
2 Pelamys Sarda Rondel.
3 Thynnus sive Thunnus Gesn Spanish Mackrell or Tunny

Tab: M. 1.

Sumpt: D: S: Pepys Præs: S.R.



Pelamys Salviani

Tab. M. 2.

Sumpt Henrici Paman *M. et. LL. D. e. SR.*

Scombrus Mackerel. *Trachurus, Salv.*

Tab: M 3. *Sumpt: D:* Metcalf Robinson *Eq. Baronet*



Guarapucu Brasiliensibus
Koning Fish *Belgis*
Cavala Lusitanis

Tab. M. 4

Sumpt: D: Sam: Pepys *Præs: S. R.*



1 Corret Belgis Corretta alba Pisonis, e P. A. D. I: Frasier.
2 Coorza Pisonis

Tab. M. 5 Sumpt: D. Metcalf Weddall Arm.

Genus Truttaceum.

1. Salmo Lemani Lacus, sive Umbla Rond.
2. Alter Salmo Lem: Lac: sive Umbla altera Rond.
3. Oxyrhyncus Rondeletij.

Tab. N. 1.

4. Umbla minor Gesn.
5. Trutta Salmonata Gesn.
6. Huch, Germanis Gesn.

Sumptibus D. Sam. Pepys Præs: S. R.

1. *Salmo a Salmon.*

2. *Salmulus. a* Smelt *Eborac.* *Samlet or Branlin*

Tab. N°. 2.

Sumptibus D^ni^ Iohannis Hoskyns Eq: Baronetti e S. R.



Salar et varius Salv

Tab. N. 3. *Sumptibus D. Henrici Squire Armig.*



1 . Albula ex Baltner .

2 . Trutta fluviatilis Baltneri .

3 . Salmulus Baltneri .

Tab. N. 4.

Sumptibus D. Rog: Belwood . Armig



Cyprinus Salv. Carpio lacus: Benacj. The Gilt charr.

Tab. N. 5.

Sumptibus D. Iohanni Lowther Eq: Baronetj e. S: R.

1 . *Albula nobilis Schonfeldij* .
2 . *Cataphractus supinus Schonfeldij* .
3 . *idem* . a Pogge .
4 . *Eperlanus Schonfeldij* a Smelt .

Tab. N . 6 .

Sumptibus D . *Samuel* Pepys *Præs* . S . R .



Rutell *piscis in Lacu Tigurino Helvetiæ.*
Torgoch Wallis; Red charr *Westmorlandis.*

Tab. N. 7.

Sumptibus D. Rogeri Meredith *. e. S: R.*



Thymus et Thymalus Salv.
a Greylnig or Omer. *Eboracensibus.*

Sumptibus D. Sam: Pepys *Præs. S: R.*

Tab. N. 8.



Salmarinus Salv.

Tab. N. 9.

Sumptibus D. Sam: Pepys Præs: S: R.



1. *Lavaretus Bellonij.*
2. *Lumpus Gibbosus Gesn. Paralipom.*
3. *Bezola Rondel.*

Tab: N: 10.



Lumpus Anglorum

Tab · N · 11 ·

Sumptibus Ed: Tyson. M:D: é. S: R.

1. *Goo, sive Gobius marinus.*
2. *Anguilla.*

Tab. N. 12.

3. *Tenca marina Salv.*
4. *Gobius pinnis longioribus. an Paganello?*
5. *Sandella sive Marsione.*

Sumptibus D. Sam: Pepys Præs: S.R.





1. *Amore Guacu Brasiliensibus.*
2. *Tareira d'alto Margr.*
3. *Piracoaba Brasiliensibus.*
4. *Piabucu Brasiliensibus.*
5. *Cataphractus Americanus e. m. S: R.*
6. *Tamoata Brasiliensibus.*



Tab. N. 13. *Sumptibus D. Sam. Pepys. Præs S: R.*

Non aculeati quibus unica in dorso pinna, marini.

1. *Nhaqũnda Brasiliens.*
2. Paru *Brasiliens.*
3. Acarauna *Bras.*
4. *Guarerva Brasiliens.*
5. *Hippurus Rondel*
6. *Pompilus Rondel.*

Tab: O: 1. *Sumpt: D: Sam. Pepys Praes: S. R.*

1. *Delphinus Belgis.*
2. *Pesce pectine Salviani*

Tab: O: 2. *Sumptibus: D. Ferdinandi Mendez. D. Med. Reg.*



1 *Acarauna major pinnis cornutis an Paru Brasiliensibus Marg.*

2 *Acarauna minor quadrata e* M.S.R.

3 *Guaperva Brasiliensibus Marg*

4 *Acarauna nigra Zonis luteis distincta*

Tab. O.3. *Sumpt: D. Henricj* Hall. *e S. R.*

monoceros piscis M. S. R.

Tab: O: 4.

Sumpt: D. Sam: Pepys. Praes: S: R:



Sea Batt *Belgis. an ex Acaraunis?*
é picturis archetypis. D. Iacobi Frasier.
Tab: O: 5.

Sumpt: D. Sam: Pepys, *Pres: S: R.*

Pisces Harengiformes

1. *Harengus minor, sive Pilchardus,* a *Pilchard.*
2. *Harengus.* a Herring.

Tab. P 1. *Sumptibus D.* Abrahami Hill *è S.R.*



1. *Sphyræna parva Rond.*
2. *Enchrasicolus. an Anchove*
3. *Lycostomus Balth Schonf.*
4. *Acus Oppianj.*
5. *Acus minor Bellon.*

Sumptibus D. Sam. Pepys Præs: S: R.

Tab. P 2.



1. *Clupea Salv. a Shad.*
2. *Agone Salv.*

Tab. P. 3.

Sumptibus D. Sam. Pepys Præs: S: R.



Hirundo. Salv.

Tab. P 4.

Sumptibus D. Sam. Pepys Præs: S: R.

1. *Saurus Salv.*
2. *Lucius. a Pike.*

Tab. P 5

Sumptibus D. Sam. Pepys Pres: S: R.



1. Camaripuguacu. Brasil.
2. Uubarana. *Brasiliens.*
3. Piraya *et* Piranha. *Bras:*
4. Petimbuaba *Bras:* Tobacco pipe Fish.
5. Tareira do rio. *Margrav.*
6. Maturaque. *Brasiliensibus.*

Tab. P 6.

Sumptibus D. Sam. Pepys *Praes: S: R.*

1. *Huso Danuby German. Gesn.*
2. *Attilus Padj.*
3. *Acipenser Salv.* Sturgeon.
4. *Antacæus Stellatus Gesn.*

Tab. P 7. *Sumptibus Iohannis Dni Vaughan. e. S. R.*



1. *Petimbuaba Brasil; Tobacco pipe Fish.*
2. *Acus maxima Sqūmosa.*
3. *Acus alicujus Iudicæ caput.*

Tab. P 3.

Sumptibus D. Sam. Pepys Præs: S: R.

Pisces non aculeati, unica in dorso pinna, fluviatiles et edentuli.

1



2



1. *Grislagine Augustæ* a Greysling
2. *Cyprinus Rond* a Carp.

Sumpt: D: Tho: Henshaw. *é. S:R*

Tab. Q 1

1. *Barbus Salv.* a Barbell
2. *Cyprinus clavatus Sive Picho et Pigo Salv.*

Sumpt: D: S: Pepys *Præs: S.R:*

Tab. Q. 2.

1. *Rutulus latior, an Ballerus, Rond.?* A Rudd.

2. *idem é picturis Baltneri.*

Tab. Q. 3.

Sumpt: Tho: Gale S.T.D. è S.R.

1. Alburnus Salv.
2. Squalus Salv. Idem cum Q. 10. n. 1.

Sumpt: D. S. Pepys Præs.: SR.

Tab. Q 4.

Tinca Salv. a Tench
Idem. é. Baltner.
Tab. Q: 5.

Sumpt: D. Gulielmi Robinson Armig.



1. *Caras piscis Germanis Gesnerj paralipom*
2. *Cobites fluviatilis Rondeletj*
3. *Capito cæruleus Gesnerj paralipom*
4. Guaibi Coara *Brasiliensibus*.
5. Capeuna *Brasiliensibus*.

Tab. Q. 6.



1. *Piquitinga. Brasil:*
2. *Guaru guaru. Brasil:*
3. *Piaba. Brasil:*

Tab. Q: 7.

1. *Cobitis barbatula Fundulus Baltn.* a Loche.
2. *Alburnus lacustris Gesner. Baltn.*
3. *Cobitis barbatula aculeata Baltn.*
4. *Gobius fluviatilis Baltn.*
5. *Phoxinus Squamosus* Bambele *Baltn.*
6. *Tænia cornuta Schonfeldij.*
7. *Phoxinus vulgaris* a Pink. *Baltn.*

Tab. Q 8.

Orfus Germanorum

idem é picturis archetypis Baltneri

Tab. Q 9. Sumpt: D. R: Plott. L. L. D e S. R.



4. *Cyprinus latus ſive Brama Geſneri* a Breame.

1. *Capito*, a Chubb.
2. *Cephalus fluviatilis minor* Haſter.
3. *Leuciſcus* 2^{dus} *Rond.* a Dace.
5. *Rutilus*, a Roche *Anglis*.
6. *Naſus*, Naſo *Germanis*.
7. *Alburnus Auſonij*.

N.B. Hæ omnes figuræ ex Babtero ex Sculptæ Sunt.

Tab. Q. 10. *Sumpt. D. Thom. Lechmere Armig.*

Pisces aculeati duabus in dorso Pinnis, anteriore à spinis radiatâ.



Lupus Salv. a Basse.

Tab. R. 1.

Sumpt: D. Sam: Pepys Praes: S. R.



Sudis Salv.

Tab. R. 2.

Sumpt. D. Sam. Pepys Præs: S: R.



Mugilis Salviani. a Mullet.

Tab. R. 3.

Sumpt: D. Sam: Pepys Præ: S: R.



1. *Harder Belgis Margr.*
2. *Guacarj Brasiliensibus Margr.*
3. *Curimata Brasiliensibus Margr.*
4. *Cestreus Rond.*
5. *Mugil niger Rond.*

Tab. R. 4.

Sumpt. D. Sam. Pepys Præs. S. R.

Cuculorum species

1. *Mullus imberbis Rond.*
2. *Mullus asper Rond.*
3. *Corax Rond.*
4. *Lyra Rond. The* Piper

Tab. S. 1.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R

1. *Cuculus griseus. gray Guernard*
2. *Cuculus Salv. Red Gurnard or Rochet.*

Sumpt. D Samuelis Pepÿs Præs. S. R

Lyra Salviani.

Tab. S. 3.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R



Corvus Salv.

Tab. S. 4. *Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.*



Lucerna ſive Cuculus. Bellonij.

Tab. S. 5. Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S. R

Milvus Salv.

Tab. S. 6. *Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S R.*

1. *Mullus major* Salv. a Sirmullet.
2. *Mullus barbatus* Rond.

Tab. S. 7.

Sumpt. D. Rich: Tompson. Armig.

Mullus, major Hispanicus Aldrov.

Tab. S. 8.

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R



Uranoscopus Salv.

Tab. S. 9

Sumpt. D. Guliel. Gore Armig.



Draco marinus uterq Salvian.

Tab. S. 10. *Sumpt. D. Guhel: Denton. M. D.*

1. *Niqui Brasiliensibus.* Pieterman *Belgis. i.e. araneus Maris.*
2. *Niqui Alterum Margr.*
Tab. S. 11.



Trachurus Bonito.

Tab: S. 12.



1. *Perca fluviatilis.* a Pearch
2. *Idem è Baltner.*

Tab. S. 13

Sumpt D.ni Daniel Price.



Lucioperca.

Tab. S. 14

Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



1. *Glaucus Rondelety.*
2. *Secunda Glauci Species Rondel.*
3. *Tertia Glauci Species Rondel.*
4. *Asper Pisciculus, Rondel.*

Tab. S. 15.

Sumpt: D. Sam: Pepys Præs: S: R.

†

Faber Salv.

Tab. S. 16 Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S. R.



Amia Salv.

Tab. S. 17

Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S. R.



1. *Guara Tereba Brasil.*
2. *Abacatuaia Brasil.*
3. *Ceixupira Brasil.*
4. *Corocoro Brasil.*
5. *Guatucupa Brasil. idem ac X. 8. n. 4.*

Tab. S. 18. Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.



Umbra Salv.

Tab. S. 19. *Sumpt. D. Samuelis Pepÿs Præs. S. R.*

Corvo de Fortiera Salv.

Tab. S. 20.

Sumpt. D. Rob: Clayton Equitis aurati.



Umbra; Rond. Corbo.

Tab. S. 21. Sumpt. D. Samuelis Pepys Præs. S. R.

Trachurus Salv. Horse Mackerel *Londinensibus.*

Tab. S. 22.

Sumpt. D. Sam. Pepys Præs: S. R.

Pises aculeatj unicâ ni Dorso pinnâ radys anterioribus spinosis :
Posterioribus mollibus .

1 . Cugupu-guacu *Brasiliensibus* . Iacob Evertsen . *Belgis* .

2 . *Piratia pua . Brasiliensibus .*

Tab . T. *Sumptibus D. Arthuri* Rawdon , *Baronetti* .

1. Scarus Rond.
2. Cantharus Rond.
3. Scarus varius. Rond.
4. Acarnas. Rondel.
5. Pagrus. Rond.
6. Synagris. Rond. idem ac V. 3
7. Hepatus Rond.
8. Orphus Rond.

Tab. V. 1.

Sumptibus D. Sam. Pepys. Præs: S: R.



1. *Melanurus. Salv.*
2. *Sparus. Salv.*

Tab. V. 2.

Sumptibus D. Sam. Pepys. Præs: S: R.



Dentex Salv.

Tab. V 3.

Sumptibus Hans. Sloane: M: D: é S: R.



Sargus . Salv .

Tab. V. 4

Sumptibus D. Sam. Pepys. Præs: S: R.



Aurata Salviani.

Tab. V. 5

Sumptibus D. Sam. Pepys, Præs: S: R.

Rubellio Salv

Tab. V. 6. *Sumpt D* *c. S: R*



Salpa Salv.

Tab. V. 7.

Sumptibus D. Sam. Pepys. Præs: S: R.

1 . *Boops Rondel .*
2 . *Boopis 2da Species Rondel .*
3 . *Rara boopis Species Rondel .*
4 . *Mæna Rondel .*
5 . *Smaris Rondel .*

Tab: V. 8.

Sump: D: Sam: Pepys Præs: S: R .

Verchens Beck. *Belgis. i. e. Porci rostrum.*
picturis
é archetypis D. I: Frasier.

Tab. V. 9.

Sumptibus D. Sam. Pepys. Præs: S: R.



Red eye . *Belgis. i. e oculus Coccineus .*
picturis
e , archetypis D. I: Frasier .

Tab . V. 10 .

Sumptibus D. Sam. Pepys . *Præs : S : R*

Corcovada.
è picturis archetypis D. I. Frasier.

Tab. V. 12.

Sumptibus D. Sam. Pepys. Præs: S: R.



Brama marina caudâ Forcipatâ.

Tab. V. 12.

Sumptibus D. Sam. Pepys, Praes: S: R.

De Turdis Piscibus, quo nomine et Merulos dictos et Pavones complectimur.



1. *Merula Salv.*
2. *Turdus Salv.*

Tab. X. 1.



Verdone Salv.
Tab. X. 2.

Sumpt.

Pavo Salv:
Tab. X. 3.

Sumpt. Hugonis Willoughby Armigeri

1. *Julis. Salvian.*
2. *Hiatula. Salvian.*

Tab. X. 4.



1. *Lepras Bellony.*
2. *Alphestes sive Cynædus Rondel.*
3. *Anthiæ prima Species Rondel.*
4. *Anthiæ tertia Species Rondel.*
5. *Anthiæ quarta Species Rondel.*
6. *Chromis Rondel.*

Tab: X. 5.

Sumpt. D. Sam: Pepys Præs: S: R.



1. *Perca marina Salv.*
2 *Mormyrus Salv.*

Tab. X. 6

Sumpt. D. Leonardi Pluknet. M. D.

1. *Pira-pixanga. Brasiliensibus.*
2. *Iuruucapeba. Brasiliensibus.*
3. *Carauna. Brasiliensibus.*
4. *Piratiapia. Brasiliensibus.*
5. *Piraumbu. Brasiliensibus.*
6. *Acara aya. Brasiliensibus.*
7. *Iaguaraca. Brasiliensibus.*

Tab. X. 7. *Sumpt: D: Sam: Pepys Præs: S: R.*



1. *Pudiano Vermelho Luſitanis.*
2. *Acarapitamba Braſilienſibus.*
3. *Acara Braſilienſibus.*
4. *Guatucuſa Braſilienſibus.*

 Sump: D. Sam: Pepys Præs: S: R.



Tur. dus ab insulâ Ascension dict.

Parrot beck Belgis,
Pudiano verde Lusitanis Margr.

è Picturis archetypis D. I. Frasier.

Tab. X. 9.



Scarus Cretensis Aldrovandi.

Tab. X. 10. Sumpt: D. Guliel: Holder S: T: D: e: S: R.



Ingentis cuiusdam piscis Indici caput, an è Turdorum genere. e M.S.R.

Tab. X. 11.

Scorpius Salviani.

Tab: X. 12.

Sumpt. Rev^di D^ni Iohannis Fell. Episcopi. Oxon.

1. *Scorpæna Salvianj.*
2. *Aculeatus marinus major Schonfeldy.*

Tab: X: 13. Sumpt: D. Iacobi Hamilton arm'g.



1. Pisciculus aculeatus Rond. e P. Balt
2. Cernua Fluviatilis Gesn. e P. B.
3. Aphya Cobites Rond.
4. Aphya vera Rond.

Tab: X. 14

Scorpius Virginianus

Tab. X, 15.



1. *Apri ſeu Capriſci ſpecies.*
2. *Harengus minor Indicus.*
3. *Brama Saxatilis ſeu Pagrus Indicus*

Appendicis Tab: 1.

Sumptibus F Lodwick e S:R:



1. *Phalacro-cephalus.*
2. *Piscis stercorarius.*
3. *Perca Amboinensis.*

Appendicis Tab: 2.



1. *Xanthurus Indicus.*
2. *Acus Piſcis.*
3. *Anguilla Indica.*
4. *Guarabucu Braſilienſibus.*

Appendicis Tab: 3.



1. *Gallus grunniens.*
2. *Piſcis gibboſus.*
3. *Muſtelæ ſpecies.*
4. *Peixe porco Luſitan.*

Appendicis Tab: 4.



1. *Canis carchariæ ſpecies.*
2. *Orbis muricati ſpecies.*
3. *Klip Fiſh ſeu Soldaten Fiſh.*
4. *Columba mar. Orbis ſpecies.*
5. *Guebucu Braſilienſibus.*

Appendicis Tab: 5.

1. *Iacob Evertzen.*
2. *Lampetra Indica seu Enneophthalmos.*
3. *Bagre Margravii species.*
4. *Acus Indica mandibula inferiore in spiculum producta*

Appendicis Tab: 6.

1. *Gallus mar. seu Faber Indicus. idem ac S. 18. n. 2.*
2. *Koracorrhynchus Indicus.*
3. *Piscis grunniens, Cuculi species?*
4. *Albula Indica marina.*

Appendic: Tab:7.

1. *Pit Fish, Belgis.*
2. *Quibusdam, a Pilot Fish.*
Pisci anonymo Margr. p. 153. *similis.*
3. *Bont Fish Belgis.*
4. *Witt Fish or Week Fish Belg.*
Teniæ dictæ species.

Appendicis Tab: 8.



1 Corret Thinni species
2 Imperati Remora
3 Diabolus marinus
4 Slip Fish Guapervæ species

Be79.

Appendicis Tab: 9.

1. *Pentopthalmos*
2 *Piscis cornutus*
3 *Aquilæ marinæ species*

Appendicis Tab: 10.